
# CLAVDII GALENI

PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS, SEV QVAE VNIcuique corporis parti conueniunt, libri decem, opus & eruditum & omnibus medicis necessarium, nunc primum latinitate donatum, ac in lucem æditum, per Ioannem Guinterium Andernacum publicum scholæ Medicorum Parisiensis professorem.




PARISIIS
Ex officina Simonis Colinæi.
1 5 3 5



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, Ioanni à Meitzehusen Archiepiscopo Treuerensi, principi Electori, &c. Ioannes Guinterius Andernacus S. D.



QVi ingenij sui labores in lucem proferunt Antistes amplissime, hoc in primis solent profiteri, nihil sibi maiori esse curæ, nihil se æque studere, quàm vt vitæ, vsuíq; hominum consulant. Quod animi studiū ac propensionem inde iam ab adulescentulo admiratus, diu multúmq; cogitaui, quanam re & ipse possem prodesse q̄ plurimis. ac nulla hactenus commodior occurrit, quàm si quę summis ingenijs exquisitáq; doctrina, veteres medici græco sermone tractauissent, ea latinis literis illustranda susciperem. Non sanè, quia Medicina græcis & literis & doctoribus percipi non possit, sed meum semper iudicium fuit, etiā eos qui optime gręcam linguā callerent, promptius hac latinam intelligere: deinde quòd bona nostri temporis medicorum pars vix latinam orationem, nedum græcam assequatur. Sum igitur aggressus primum varia Galeni opera, quibus mille ferè annis scholæ caruerant: inter quæ extant Commentarij de confectionibus administrandis, de Hippocratis & Platonis placitis, de Compositione medicamentorum secundum genera, de Antidotis. His accessit Paulus Aegineta, aliíq; autores, quorum hic mentionem facturus non sum, ne videar ptolixior. Cum verò liberatum me iam laboribus, defunctúmque hoc munere putarem, alijs animum negotijs occupantibus, ecce noua traditur Sparta excolenda: nempe publica Medicinæ docendæ prouincia. Qua suscepta, rursus alia me cura ac sollicitudo afficit: quo scilicet pacto illam pro dignitate possim exornate. Itaque quantum otij vel à priuatis, vel publicis negotijs concedebatur, id totum communibus iuuandis studijs accommodaui: cúmque multas res in Medicina nequaquam satis adhuc nitori suo ac dignitati restitutas viderem, præcipue verò medicamentorum compositionis disciplinam multis retro annis neglectam, nondum etiam ab huius seculi medicis excultam, intellexi me operæpretium facturum, si Galeni opus eruditum de compositione medicamentorum, quæ vnicuique corporis particulæ conueniunt, in sermonem latinum conuerterem. Nam miscendi medicaminum ratio si medico sit incognita, vt cætera illi amplissime sint concessa, nihil est quòd egregiū abs se fieri posse confidat. Quid enim in tot contrarijs naturæ affectibus, qui diuersas medicamētorum vires postulant, medicus professione sua dignum præstiterit, congruentis illorum misturæ ignarus? At hodie quidam omnia se ex simplicibus medicamentis confecturos promittunt, cum diuinus ille Hippocrates etiam ea quæ id quod par est sola ac per se efficiunt abunde, alijs temperarit condimentis, ne vel stomachum subuertant, vel gustanti percipiantur insuauia. Iam verò pleraq; medicamina, si Galeno credimus, ne in vsu quidē, citra aliorum commixtionem, esse possunt. Quanquam eos non probem, qui citra necessitatem ad composita cōfugiant, tam inepte, vt hodie fieri solet, ne dicam infeliciter ea congerentes, vt si non vitæ periculum, certè noxam multo maximam corpori infligant. Qua de causa Herophilus ille inter maximos quondam medicos habitus,

vere dixisse fertur, Medicaméta deorum manus esse, si eum qui ipsis vteretur, in rationali methodo exercitatum, necnon industrium, naturáque prudentem sortiantur: ac rursus, nihil esse, si in hominem vsu, non scientia nitentem inciderint. Laborem igitur nostrum, quē in hoc opere longe vtilissimo transferendo suscepi, tuo nomini, Antistes Clarissime, nuncupare visum est: partim quòd patriæ nostræ, cui secundum Platonem non parum debemus, religionis nomine primas sis, & patronus: deinde quòd ob virtutes animi singulares, vitæ innocētiam, in maximis rebus apud summos Reges, & Imperatores transigendis magnanimitatem & prudentiam incomparabilem, ad istum dignitatis tuæ honorem sis euectus: in quo optima quæque, omnes qui iudicio pollent, de te sibi promittunt. Hanc meam de te opinionem auxerunt, Henricus Falkenborch legum doctor eruditissimus, & Bartholomæus Latomus, Regius Lutetiæ Latinarum literarum professor clarissimus, mirandum in modum nominis tui studiosus. Hi, inquam, viri sæpe mihi humanitatem tuam in literatos omnes, clementiam in subditos, liberalitatem erga omnes prædicarunt. Quibus animi tui dotibus fretus, literarium hoc munus tibi offerre audeo: quod si læta fronte excipias, alia in nominis tui honorem ac gloriam comparare non grauabor. Vale. Lutetiæ, Anno ab orbe redempto Millesimo quingentesimo tricesimo quinto, vndecimo Calendas Maias.

# INDEX TOTIVS OPERIS, CVIVS PRIOR NVMERVS, PAGINAM: POSTERIOR, PAGINAE LINEAM NOTAT.

D

N



O

P.

# INDEX.

T

INDICIS FINIS.

## CANDIDO LECTORI.



VAE PARTES MEAE SVNT, CANDIde lector, multum in hoc operē ſudatum eſt, vel exemplaris vitio, quod vnicum mihi contigit, vel laboris magnitudine, dum mendas emaculare conor. Accedit huc quòd horis tantum ſucciſiuis quibus ab artis noſtræ vſu vacare licet, verſioni incubuerim. Expectabatur quidem opus hoc multis iam annis à viro non inerudito: verum cum nimia mora ſtudioſos magis ac magis torqueret ille, compulſus ſum ego ab amicis, tanq̃ in harena illa probe exercitatus, laborem conuertendi libri ſuſcipere. In quo q̃ feliciter me geſſerim, alij iudicent. Hoc poſſum mihi audacter aſſumere, neminem facile fore, qui citra aliorum exemplariorum ſubſidia, exactius quid proferat. Cæterum διάθεσις nunc affectum, nunc diſpoſitionem interpretor: hoc te neſcire volebam.

Vale.

¶Hæc caſtiganda poſt impreſſionem offendi.

Pag.19.lin.10.ingrederentur, inungẽtes abſtergerẽt.pag.54.lin.1.elaterio & cyclamino.pag.119.lin.18.triginta vna.pag.156.lin.9.familiaribus.pag.162.lin.18.autem id omnium.pag.172. lin.39. calidíſque. pag. 184.lin.16.obolis tribus.pag.186. lin.18. oliua muria conſperſa. pag.190. lin.5. diſpoſitio vocis inopíæ & raucitatis finitima eſt: magnitudine. pag.235. lin.25. cochlearium. pag.236. lin.15. præſertim cum acute. pag.272.lin.30.Piſſe.

# CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER PRIMVS,

## IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

QVod non solum affectus, cui medeberis, curationem sui indicat, sed etiam quòd ægrotantis temperamentum, & particulæ affectæ natura, non parum simul ostendũt, antea in libris Methodi medendi à me comprehēsum est. Quẽadmodum & qua ratione quis ex simplicibus medicamentis compositũ ipse moliatur, breuiter sanè illic: in septẽ verò libris hũc præcedentibus, vniuersam componendi viam ac rationem diffusius explicaui. In præsentia facultates medicamentorum vnicuiq; corporis parti conuenientes, quomodo quis & ipse methodo præparet, & ijs quæ à vetustioribus medicis inuentæ sunt, rectè vtatur, institutum mihi est persequi, à capite exorso: quẽadmodum etiam prioribus me vniuersis visum est. Accidunt igitur ipsi, pleriq; sanè affectus alijs omnibus partibus communes: pilorũ autem vitiũ paucis commune est, eò quòd capillis tegi prima ratione haud multis inest. Siquidem generatio pilorum habetur, qualis eorum est quæ ex terra enascuntur: vt in commentarijs de temperamentis ostensum est. Quemadmodum verò in his alia artificio agricolæ & voluntate, alia ex naturalibus causis procreantur: ita etiam in animantium corporibus accidit. Quippe caput aruo alicui respondet, quod triticum, aut ordeum, aut aliud quoddam cereale semen in ipso nascens contineat. pili autem superioribus locis erumpentes, ijs qui toto corpore suppullulant, origine similes, reliquis herbis respondent. Non enim primaria ratione natura ipsos creare consueuit; sed secundum aliquod accidens. At verò palpebrarum, superciliorúmque pili, haud mediocrem vsum animantibus exhibere ostendebantur. Menti verò & naturalium pili minoris vsus gratia procreati esse videntur. quare etiam affectus, præsertim eorum qui in oculis superciliísque habentur, ad sui curationem nos dirigunt, mox eorum qui in capite sunt, deinde menti, & naturalium. Sunt autem pilorum vitia, & absoluta ipsorum abolitio, & coloris immutatio: sicut in leucis appellatis accidit, & præterea in alopecijs, & ophiasi, non exigua & indecora simul pilorum noxa obuenit. Nonnulli igitur pollicebantur se, vti has, sic etiã caluitia incipientia, ne augescerent, prohibituros. Sunt qui hoc fieri non posse affirmant. Verùm ad alopeciæ & ophiasis curationem venientes, medicamenta tradiderunt, quibus se recipiunt absolutè ipsas esse curaturos. Quinetiam complures medici dum medicamentis ab ipsis proditis vtuntur, non modò interdum valde successu frustrantur, verumetiam vehementer offendunt, vt dispositionem reddant immedicabilem. Quod ipsis euenit in alijs quoque permultis medicaminibus, dum eis citra methodum vtuntur. Ego autem, id quod Hippocrates iussit, semper in artis operibus factitare conatus sum,

vt remedium, quod admouetur, sicut ille tradidit, adiuuet, aut certe non noceat. Iam verò quod citra methodum medicamentorũ vsus non solum nihil adferẽt præsidij, sed etiam frequenter nocet, hinc tibi licet cõdiscere. Iam enim id quod propositum est auspicari tempestiuum est.

¶*De alopecia, caluitio, & ophiasi.*

Quemadmodum stirpium nonnullæ humorum defectu inarescentes contabescunt, nonnullæ verò alienis à natura sua humoribus conuersantes pereunt: simili ratione etiam pilis vsu venit, vt vel inopia humorum, à quibus nutriri solent, aut prauitate corrumpantur. Inopia sane humidi caluitium accidit, prauitate autem humorum alopecia & ophiasis, quæ quidem ambæ vnus ratione morbidæ dispositionis affectus sunt; nomina autem respectu figuræ diuersa obtinent: quippe in ophiasi pars capitis oblæsa, serpenti similis apparet. Verum alopecia ideo (vt aiunt) appellata sic est, quoniam sæpenumero vulpes infestat. Nos cur sic vocata sit, non disquirimus, vbi autem quomodo gignatur inuestigauerimus; prauorum humorum superfluitatem causam deprehendimus. Porrò quales hi sint, ex cutis capitis colore pernosces. Siquidem hæc in nonnullis ad albidius declinare videtur, in nonnullis ad nigrius, alijs pallidius: quare etiam purgationem primum in ipsis totius corporis moliere, medicamentum aut pituitam ducens, aut pallidam bilem, aut atram propinans: humorem, qui redundat, ex cutis colore conijciens. Ego semper ex Hiera purgaui, adijciens interim veratrum nigrum, si humorem melancholicum expurgare volebam: interim scammoniam, si biliosum. Cum autem pituitosiorem præpollere suspicatus sum, nihil miscui: nam tales, & præsertim ex capite, Hiera ex colocynthide purgare solet, necnõ alios quosdã humores, etiamsi non assumpserit scammoniã, aut veratrum nigrũ, aut epithymum. At catapotia ex aloë, quæ & scammoniam & colocynthidem obtinent, ita affectos vtilius purgare consueuerunt. Post totius corporis purgationem, pituitam per os educere satius est, deinde sic loco remedia inducere, de quorum compositione mox dicturus sum. Conuenit enim, sicut in alijs, ita in his, dispositioni mederi, cuius symptoma pilorum vitium est. Si igitur prauitas quædam humorum in locum vnum cumulatim se receperit, huc curationis consilium diriges, vt quamcitissime hanc euacues, priusquam cutis ab ipsa in malam quandam habitudinem perducatur: adeò vt licet prauos humores ab ea expuleris, probumque sanguinem ad eam confluere paraueris, hic quoque à prauo habitu, in ipsa confirmato infixóque, corrumpatur. Si igitur prauos cutis humores euacuare cogitas, digerentium medicamentorum vsus est. Atqui forsan opponet aliquis communem in omnibus affectibus scopum, qui ex humorum influxu gignuntur, & negligi, & peruerti ipsum arbitratus. Quippe repellere eos oportere dicimus, refrigerando partem & astringendo, non extrahere calefaciẽdo: esse autẽ digerentia medicamenta omnia facultatibus calida. Et verè quidem hæc obiecta esse dicemus. nam incipientes ophiases aut alopecias, ne augescant, huiusmodi medicamẽtis prohibere conuenit, non tamen iam vocari initium ipsorum alopeciam aut ophiasin, quemadmodum nec scabiem, aut lepram modò, quæ ex impetigine capit originem. Ego sanè, vt nouistis, etiam confirmatas iam alopecias nonnunquam sola

purgatione curaui, nullum præterea medicamentum post ipsam loco affecto inducens. qua re motus sum, vt etiam amplius huius experimentum fecerim, idque ex tali quodam euentu. Adulescens quidam boni habitus, & luctæ studiosus, hoc capitis affectu conflictabatur. erat autem nobis admodum familiaris, vt etiam victus rationem ipsius cognosceremus, qua mẽsibus iam tribus, quatuórve vsus erat, singulis ferè diebus fungis se replens. hunc sola Hiera ex colocynthide bis intra dies quinque purgaui: primum drachmis quatuor, secundo quinque. Verùm priusquam ad has veniret purgationes, dedi vndecim ex aloë catapotia, ciceribus magnitudine similia. Habent autem hæc cucurbitæ syluestris partem vnam, aloës & scammoniæ, singulorum duas. His ego absynthij succi partem vnam admisceo, antea verò mastichen quoque chiam & bdellium indidi. sic enim Quintus vtebatur. Sed cur ea subtraxerim postea, alia ratio est, quam in commentarijs de purgantium medicamentorum compositione dicendam differo. Quum igitur post tres hasce purgationes pituitam per os educturus essem homini, deinde quodam in dolenti particula medicamento vsurus, contigit ipsum ex improuiso peregrinationem quandam subire: in qua boni succi cibis, quos à me audierat, vtens, post dies circiter viginti reuersus est, pilorũ affectu persanatus. Hac igitur occasione ego eandem curationem in alijs molitus, distuli capiti medicamenta imponere, vt quid sine his eueniret conspicarer. curati itaque sunt omnes hoc modo. Non tamen in vetustis iam tale facere experimentũ tentaui. Nam sanies cuti insidẽtes ægrè in his extergi possunt. Multo autem magis, in quibus iam ipsa quoque cutis malo quodam habitu prædita est, solis purgationibus fidere non expedit. Hæc quidem igitur necessario præfatus sum. de medicamentis autem, quæ affectum adiuuant, iam dicere exordiar. Proinde oportet ea omnino esse, quæ noxium humorem euacuent. vacuare autem nullum potest, nisi vim digerentem obtineat: hanc rursus habere nequit, nisi calefaciat. Verùm si ex genere impensè calefacientium existat, cutem aduret. atque si nõ adurat, initio quidem strenue iuuabit: desiccata autem nimium temporis spatio capitis cutis eiusmodi euadet, qualem calui obtinent. Non tamen absoluto sermone mediocriter calidum esse oportet, [sed] intra propositi scopi terminos consistens. Etenim tenuium partium id esse conuenit, si in altum penetraturum sit, ex quo pilorum radices trahunt originem: & virtute eiusmodi, quale prædictum est, cũ cutis capitis crassior duriórque sit. ideo quoque medicamento indigebit efficaciori. Si tamen, præter quòd prauos discutit humores, sanguini probo extrahendo sit idoneum, quemadmodum thapsia, id vtique erit præstantissimum. At quum thapsia multo sit calidior, quàm affectui conducat, meritò ipsam aliquis solam applicare cauerit: siquidem exulcerationes in cute solet excitare, & œdemata quędam inflammatoria omnino. quapropter nonnulla vehementiam mitigantia ipsi admiscemus. potest autem id præstare ceratum ex oleo confectum, quod, oleum dico, tenuiorum partium existat, quale Sabinum est. Præstaret, si etiam mediocriter esset vetustum. Iam ricininum oleum ad hoc conducit, naturam ab initio talem obtinens, qualem Sabinum, quum in vetustatem incidit. Quòd si neutrius

Grecum nõ habet.

copiam habueris, aliud græcanicum oleũ quodcunque, sine oliuæ germinibus confectum miscebis: magisq́;, si vetustum sit. Cõstat igitur id quod ab Iberia, aut Hispania affertur, aut quomodocunque nominare libet, fugiendum esse: item quod ex oliuis nondũ exactè maturis exprimitur, omotribes & omphacinum appellant. Vsus sum & sola thapsia, virium ipsius acrimoniam copiosæ aquæ mixtura exoluens. At eum qui thapsia vtetur, scire oportet, recentem à vetustiore multũ differre. nam post annũ virtus medicamenti admodum dissoluitur: adhuc magis si bimulũ fuerit. audebit aliquis dicere trimulum omnino inutile effici. Itaque hæc intelligens aquæ misturam inæqualem efficito, recenti sanè copiosam temperans, atque ideo frequenter illinens quotidie: imbecilliori autem vetustate, pauciorem, vt & diutius propter crassitiem adhærescat, & non statim propter humiditatem decidat. Quinetiam si compositum medicamentum pares, quod thapsiam quoque recipiat, quale est, quo ego continuè vtor, miscebis non æquale semper thapsiæ pondus, sed quantum tempore ætatis procedit, tantum augebis. Distinguetur autem exactius adhuc de isto paulo postea; cum ad composita proficiscar, persecutus antea, quæ simplicia medicamenta huic affectui sint familiaria. Etenim ex eis quæ valide calefaciunt, euphorbium est: ex eis quæ abundè, laurinum, siue oleum sit, siue vnguentum, siue quodcunque ipsum voles appellare. etenim his quoque inest, vt præterquam quòd calefaciunt digerúntque, sanguinis aliquid in locum ab eis incalescentem attrahant. Licet igitur ipsis vti etiam separatim: euphorbium sanè in oleo læuigando: laurinum autem solum citra alterius misturam inungendo. Quod si ex facili defluxurum videatur, ceræ momentum adijcietur. At cum recẽs euphorbium multo sit calidius, bimulo iam aut trimulo vtens, libræ olei Romanæ vnam euphorbij vnciam immittes, quæ est duodecima olei pars. recenti autem parcè vteris, paululum primo con temperans, vel etiam ceræ vnciam vnam adijciens, vt conspicias quomodo hominem excalefaciat. licebit enim tibi, vbi secundò vti velis, rursus immittere siue oleum volueris, siue ceram. Similiter & thapsia omnibúsque validis medicamentis vtendum est. Etenim minus peccatum nullam noxam adfert: maius interdum exasperat exulcerátque cutem, & inflammationem mouet. Quin & in subsequentibus vbi inter composita medicamenta quãdoque scriptum sit euphorbium, aut thapsia, pondus ipsorum de vigentibus medicaminibus, non vetustis, inaudire te oportet. Itaque vetusta admodum omnino fugere conuenit, non in his modò, sed etiam alijs medicamentis, quæ succi sunt, liquores, flores, folia, fructus, radices, & semina. quandoquidem & metallica longo temporis spatio & ipsa facultatibus languescunt. Vtimur autem nonnullis medicamentis viginti aut triginta annorum, eo quòd absolutam nondum declinationem habeant. Alia enim alterius declinatio est & vigor, & vt aliquis dixerit, etiam senium. Porrò vnumquodque suum indicat vigorem, ijs qui frequenter viderunt, ex odore & gustu. interim verò & colore, & consistentia secundum crassitiẽ. Quemadmodum in alijs vniuersis medicamentis cognoscendũ existimaui nõ modò quòd calefaciant, verũetiã in quo abscessu: sic & in his quæ alopecijs congruunt, volo te intelligere euphorbium sanè esse calidissimum, minus autẽ eo calidam thapsiã, post hanc esse sinapi & nasturtiũ.

altero modo lemneſtis nullo horum inferior eſt. Nominatur autē non ſic tantum, ſed etiam duplici alia appellatione, adarcion, & adarce, hęc ſequitur ſulphur, nitri ſpumā, ipſúmque molle nitrum crematum. vocant id etiam berenicarium, quemadmodum album aphronitrum, quod leue, & rarum eſt, nullam in ſe terrenam aſperitatem continens. Item veratra ambo, erucæ ſemen, & laurinum, ſiue vnguentum, ſiue oleum malis ipſum nominare: ad hæc alcyonia vtraq;, & vſta, & non vſta. potiora autem ſunt vſta. Iam radices arundinis & cortex, ambo & hæc concremata. imo etiam liquida pix, & liquor cedrinus, quem nonnulli cedriam nuncupant. Præterea murium ſtercus, vrſique adeps, præſtat ſi vetuſtior ſit. quinetiam hyænæ, leonis, pardali, & anſeris adeps conducit, & omnes qui tenuiorum partium ſubſtantiam ſortiuntur, vt in imam cutem vſque ad pilorum radices penetrent ſubeántque. Iam & amygdalæ amaræ totę combuſtæ vtiles ſunt, & thus in aceto quamacerrimo elaboratum. Audi autem me quomodo verbum elaboro dicatur, cum pluribus diebus, & præſertim in ſole diutius aliquid cum acri aceto conteritur. His omnibus medicamentis vti licet: validis quidem ceratum liquidum miſcendo, imbecillia verò oleo laurino imbuendo, ac inueteratas & contumaces diſpoſitiones validis medemur, incipientes autem & exiguas, imbecillibus.

¶ *Ad alopecias compoſita.*

Compoſita medicamenta, partim à prioribus medicis qui inſignes extiterunt, vehementer commendata: partim à nobis ipſis longa experientia comprobata huiuſmodi ſunt, Euphorbij, thapſiæ, & laurini olei, ſingulorum drachmæ duæ, ſulphuris viui, veratri, ſingulorum drachma vna, ſiue nigri copiam habeas, ſiue albi. his miſceto ceræ drachmas ſex, laurino, aut ricinino, aut veteri oleo liquefaciens. & hoc ceu validiſſimo medicamento in diuturnis & curatu difficilibus vtitor. Ego nonnunquā his etiam naſturtij drachmam vnam admiſcui, aut alcyonij cremati drachmam. præſtantius autem ad hæc, quod durius aſperiúſque eſt. Quòd ſi thapſia deſideretur, in eius vicem tantum pōdus vel naſturtij ſeminis, vel erucæ miſcendum eſt, vel ipſum naſturtiū. Si boni laurini deſit copia, liquidam picem adiungito. itaque laurinum, liquidam picem non admodum ſuperat, thapſia verò alia maximé. nam valentiſſimum ex iis, quæ ad affectum efficaciter faciunt, hoc medicamentum eſt: cum, vt dixi, ægre cedit remedijs. Quippe exigua & incipientia etiā ſola purgatio medicatur, & ſimplicia, quæ enumeraui, ſingula cremata, ſi excipiantur, vel laurino, vel cedrino, vel pice liquida, vel ricinino, vel oleo veteri. Miſcui interim etiam mel loco cerati, minus & mole & pondere, ac nihilo inferius medicamentum euaſit.

Iam quæ ex adipibus componuntur thapſiam aſſumentia, nonnihil adiuuant: magíſque vbi ipſis miſcueris adarcion, & euphorbium. Eſto autem ſingulorum adipum (ſunt enim tres) pars vna, leonini, pardalij, & hyænæ. Si hyænæ deſideretur, ſatis eſt duobus pręſentibus vti, miſcēdo anſerinū: at ſi omnes quatuor habeas, omnes miſcere oportet: & cū ipſis vrſinum, ſi huius quoq; facultas eſt. ei verò quod ex ipſis collectū eſt, ſufficit duodecimā thapſię, aut euphorbij partē miſcere. ſin autē validius cogites efficere, amborū pariter. quippe per experiētiā hæc quoq; probata, medicamēta efficacia inuēta ſūt. Etenī vt pluriū

haberem experientiam, singulis familiaribus medicis, qui postulabant, aliud atque aliud ex tempore tradebam, ex ijs quæ vsu essent comprobata: ac plurima comperta sunt præstātissima. In primis autem meminisse nos oportet methodi, quæ in vsu ipsorum versatur, communis omnibus, & præcipue validis medicamentis: ideóque ipsius frequēter mentionem facio, quòd magnam vim obtineat. nam qui singulis validis medicamentis vtitur, per initia sanè ipsa molliora offeret, mixtura nimirum eorum quæ vim illorum validā dissoluant: cuiusmodi sunt oleum, cera: & ex simplicibus, quæ imbecillia diximus, thus, arundinis cortex, radices crematæ, amygdala amara, aliáque id genus. Postq primum & semel vsus fueris, secundò considerare oportet, quam immutationem in affecta parte medicamentum quod applicueris molitum sit, & ad illam respicientem, vel virtutis ipsius vehementiam mitigare, vel augere: vt in ipso nunc proposito affectu, nouacula pilos conuenit auferre, cutem affectam linteo perfricare, neque aspero nimium, neque molli, obseruantem quantum ruboris huic ex hoc motu & fricatione accedat. Erit enim tibi hoc ad curationis spem vsui futurum: si ob modicas sanè frictiones rubeat, mediocrem dispositionem censebis: sin ob multas, difficiliorem. Nam cutes nonnullæ, etiamsi diu confrices, non rubescunt. Constat igitur omnibus, has esse difficillimas: quemadmodum quæ facile rubescunt, mitissimas: quæ in harum medio consistunt vniuersę, tantum inuicem differunt, quantum vel pessimis vel moderatissimis accedunt. Hæc igitur obiter dicta sunt, etsi ab instituto opere non sint aliena. Rursus igitur ad id reuersus, methodum illam quæ in vsu versatur, in memoriam tibi reducam. Nam vbi primum medicamē probatum applicueris, spectare conuenit initio, an etiam ante frictionem cutis appareat coloratior, mox an ex pauciore fricatu, quàm antea: vel si cum æquali quidem, sed magis ac antea, rubuerit. In primis autem considerare, quando valida inducis medicamenta, ne supra modum cutis incalescat. Deprehendes id, colorem ipsius contemplans, & digitos inijciens. colore siquidem erit flauidior: digitis autem iniectis, impensè calida apparebit. Quare curam in huiusmodi adhiberi conuenit. Periculum enim est, ne cutis aduratur, vbi iterum atque tertio ipsis vsus fueris. Digredi ergo ad mollius aliquod oportet, aut eodem vtēdo, sed vi ipsius resoluta, mixtione cerati aut adipis, aut humiditatis cuiusdā oleosæ. Vtilis est aspersio ex oleo dulci, calido, & panis in cataplasmate, item fomenta, scarificatus, cucurbitulæ, cerati inunctus. Quòd si affectus in vetustatem inciderit, frequens rasura, & rubor sinapi excitatus, vt prædictum est, frictiones infra subscriptæ, pice oblita, aut cedrino oleo: post frictionē scarificatio conducit. Nonnulli aciculas colligantes, vt aciem supra cutem habeāt, ipsam pupugerunt. Rubore ex fricatu excitato, & scarificatione adhibita, medicamentis vti oportet recorporatitijs. Porrò in omnibus communis scopus est, vt medicamentum in aëre calido admoueatur, & si locum habes aliquem soli opportunum, in illo potissimum, ne aura ipsum perspiret. hyeme autem in balneo medicamentis vti satius est.

¶ *Quæ composita medicamenta seniores me in alopeciæ affectu prodiderint.*

Heras igitur in Narthece ad verbum ita scriptum reliquit, Ad alopecias,

Alcyonium quod aſperius eſt,vſtum læuigatúmque cum oleo loco illinito, præſertim ex lucerna oleum capiens. hæc ſanè Heræ ſcriptura eſt. At intelligere nos oportet medicamentum hoc facultate eſſe mediũ,ac ideo etiam mediocres magnitudine alopecias mederi poteſt.Mediocre ſiquidem eſt medicamentum, ſi arundinis radicem, aut corticem, aut amygdala amara, aut tale quid combuſtum oleo temperes. Valida autem, quæ euphorbio, thapſia, & adarce conſtant. Medium inter hæc ordinem obtinet crematum alcyonium: ſed etiam hoc ipſum moderatius eſt oleo commixtum, valentius pice liquida & laurino. miſcetur quoque prædictis adipibus.Ego ſane cuidam cum vtens vrſino adipe ad affectum nihil proficeret,conſului,vt combuſtum alcyonium adiungeret,vnde celeriter perſanatus eſt.Lucernæ oleum, non alia quadam ratione accõmodum eſt,quàm quòd reliquo ſit ſubtilius.accedit hoc ei inde, quòd veluti in lucerna coquatur, fitque tum veteri tum ricinino perſimile: quemadmodum ſi etiam aliter oleum ſuper ignem velis calefacere. Quin & ſordes, quæ in lucernis gignuntur, liquido luto reſpondentes, ruſticantibus apud nos cognitæ ſunt in medio digitorum pedis vlcera ſanare. quæ continuè ipſis oboriuntur,quòd illos lauare, purgaréque ſingulis diebus neglexerint.his igitur ipſis ſordibus lutoſis, conſului cuidam ruſtico, vbi raſiſſet alopeciã,quam mihi oſtendit,illinere,frequentérque locum radere, quo remedio curatus ille,alios quoque ita ſanare tentauit, ratus omnem alopeciam ab hoc medicameuto poſſe curari.ego autem moderatam ipſius diſpoſitionem contemplatus,ſordibus ſanatum iri ſperaui.

*¶Aliud Heræ,in pueris conueniens.*

Aliud deinceps poſt commemoratum medicamentum his verbis tradidit, Erucæ ſeminis partem vnam, naſturtij partem vnam, nitri partem vnam. In quibuſdam exemplaribus ſcriptum eſt ſimpliciter, Erucę partem vnã,naſturtij partem vnam,nitri partem vnam. Loco pice liquida oblito perfricatóque antea applicato.vbi medicamentum abſtuleris,locum ſpongia calente aqua imbuta abſtergito.tolles autẽ bis die.Efficax eſt maximè pueris hoc medicamentum. valentius enim eſt priore. inueteratam verò & contumacem alopeciam non vtique curauerit:id quod & Heras ipſe innuit,aſſcribens ipſum in pueris potiſſimum,hoc eſt,in corporibus molli cute præditis eſſe efficax. facile ſiquidem ex talibus praui humores diſcutiuntur. Perſimilem pueris cutem obtinent nimirum eunuchi & mulieres.

*¶Quæ Crito prodiderit ad alopecias.*

Crito tertio Coſmeticorum in hunc modum ſcripſit, Ad alopecias dictas, qui affectus pilos vitiat, & communiter deformitates inducit, vtendum eſt ſubſcriptis confectionibus,vt Heraclides Tarentinus. Amygdala amara cum corticibus cremata, tritáque ex aceto excipito, momentum mellis inijciens. cum vſus exigit,locum affectum puro linteolo prius infricatum continuè illinito.Prodeſt autẽ maximè aſſidua raſura antequã medicamentũ impoſueris.

*¶Aliud, quo Moſchus vſus eſt.*

Erinaciorum marinorum teſtas combuſtas,exceptáſque aqua imponito,locis prius infricatis. In quibuſdam exẽplaribus inueni non aqua,ſed adipe vrſino, cinere erinaciorũ excepto,atq; hoc magis mihi placuit:eſt enim efficacius.

*Aliud.* Arundinis radices vstas adipe vrsino exceptas sic imponito. *Aliud.* Thapsiæ corticem contritam ex aceto inducito. *Aliud.* Chamæleontis radicem diligenter in puluerem redactam cum aceto induces. Hæc præfatus Crito deinde ista scribit, Cum dispositio inueterata sit, vtendum est subiectis mistionibus, indicans ex his præscripta medicamenta mediocrium esse dispositionũ remedia. Tradit igitur deinceps etiam quæ ad validiores dispositiones cõgruũt, quæ sic ad verbum habent.

¶ *Quæ Heraclides ad diuturnas alopecias tradiderit.*

Ad alopecias, vt Heraclides Tarentinus. Orestini, ad inueteratas alopecias, Muscerdæ drachmæ duæ, thuris drachmæ duæ: aceto quãacerrimo dissolutã locis prius derasis illinũtur. *Aliud.* Erinaciorũ marinorum cũ testis crematorũ drachmæ duę, gallarũ immaturarũ tantũdem, amygdalarũ amararũ vstarum par modus, muscerdæ drachma vna: aceto dissoluta, tritáque accuratè imponuntur. *Aliud, vt Orestinus.* Vrsi pilorum vstorum, adianti cremati, arundinis radicũ vstarum, fici foliorum vstorũ, cilicij panniculi combusti, singulorũ paria pondera: adipe vrsino & cedrino liquore excipiũtur. cũ vsus postulauerit, foueto locum fici folijs perfricans: nitróque abstergens, illinito medicamento quotidie. vbi summa cutis exulcerata fuerit, ceratum applicato ex luteo oui, & triticeæ, nec non ordeaceæ farinæ succo recenti oblinito. *Aliud Othonis Siculi probatum.* Ranarum minimarum crematarum in fictili cineris pars vna, muscerdæ, veratri albi, arundinis radicis crematæ, piperis albi, singulorum paria pondera, aceto excipiuntur. Vtitor, locum prius infricans, pilósq; deradens. *Aliud.* Vngularum caprillarum combustarum cineris, thapsiæ succi, alcyonij, muscerdæ, aphronitri, myrrhæ, piperis albi, zinziberis, singulorũ æqualis modus, trita curiosè felle caprillo excipiuntur.

¶ *Quæ Cleopatras memoriæ mandauerit in Cosmetico.*

In Cleopatræ Cosmetico medicamẽta ad alopecias hisce verbis conscripta sunt, Ad alopecias, Sãdaracham in læuorem detritam visco quercino q̃copiosissimo excipito: ac vbi locũ nitro prius exterseris, medicamentũ linteolo illitum, applicato. Ego autẽ nitri spumæ prædicta admiscui, & pulchrè profecit. *Aliud.* Scyllæ drachma vna, veratri albi drachma vna: læuigata ex aceto, loco raso, nitróq; prius exterso, illinuntur. *Aliud.* Sinapi drachma vna, nasturtij drachma vna: læuigata ex aceto imponuntur, loco deraso prius, nitróque exterso. Præstaret autem scarificare. *Aliud.* Corticis arundinis drachmæ quatuor, aphronitri drachmæ quatuor: pice liquida exceptis vtitor, continue autem locum radito, & citissimè pili enascentur. præterea adhuc linteo prius infricabis. *Aliud.* Murium capita amputata infricato: aut muscerdam læuem illinito parti linteolo extersæ. *Aliud.* Amygdala amara cum corticibus combusta ex aceto & melle terito, & locum cruentans infricatione illinito. Facito autem hoc subinde, & locum nouacula radito, & statim pili emergent. *Aliud.* Hæc facultas omnibus præstat, ad pilos fluentes efficax, oleo aut vnguento diluta, item initio pilorum oculi defluuio laborantibus, aut in caluitium incidentibus est admirabile. Murium domesticorũ cõbustorum pars vna, corticis vitis cõbustæ pars vna, dẽtiũ equorũ crematorũ pars vna, adipis vrsini pars vna, medullæ ceruinę pars vna, arundinis corticis pars vna. Hæc sicca læuigẽtur, &

melle quod satis est admixto, vsque dum ipsius spissitudinē habeant, cōterantur, addantúrq; adeps & medulla liquefacta. Reponatur medicamētum in pyxide ærea, quo cōfricabitur alopecia quousque pilos produxerit. similiter etiā pili defluentes quotidie subungentur. Atque ex his medicamentis, & illis quæ mox persequar, non difficile est acriora & validiora, molliora & imbecilliora discernere, si memor sis eorum, quæ initio dixi. sic enim licebit etiam ipsis pulchrè vti: in alopecijs quidem moderatioribus, mediocribus: in validioribus, fortioribus: quemadmodum in validissimis, fortissimis.

*Quæ Archigenes medicamenta alopeciis vtilia conscripserit.*

Conscripsit Archigenes quoque hæc remedia ad alopecias in eum modum. Superficiarias alopecias, cute nitro exte rsa linteóque expurgata, verbenaca in sole trita, macerat áque aceto abunde, illinito: aut similiter extersæ cū si, betæ folia imponito, super humidum linteum accommodata, auferto autē locum madefaciens. altas alopecias cum aceto infricabis, nitri gleba, aut sepiæ testa, aut [ichthia] aut fici folijs, vsque ad sanguinis eruptionem: deinde hoc abstersio betam vino decoctam induces, aut ficus siccas crematas in vino, aut lētis farinā cum vino applicato. aut alopecia in pustulas erūpente, bupresti cū aceto, aut ranunculo, qui batrachion Græce dicitur, aut ari radice, cum horū aliquo medicamentum cerati figura efficiens in noctem imponito: manè autem pustulis scarificatis, allium applicato, aut buselinum, aut anemonæ folia. Bene faciunt post excitatas pustulas etiam hippocampi marini, vsti insparsiq; cum mométo chalcanthi crudi læuísque, aut suillarum maxillarum ossa concremata. *Aliud*. Deraso capite extersóque aphronitro, alcyonio ex acri aceto infricato, vsque dum cruor emanet: deinde nucum auellanarum corticibus cō crematis, læuigatis ex melle quotidie bis curato. plurimum diebus decem malum subsidet. Aut mures domesticos in olla tritos læues cum axūgia excipito, & allio alopecias prius infricans, splenij figura imponito, ídq; singulis diebus facito, vsque dum pili renascantur. Aut ranunculos exiguos similiter crematos in cinerem cum pice frequenter restincta, quousque incrassescat, illinito, neque radens prius, neque abstergens. Aut muscerdam & thus æquali portione cum aceto ad mellis spissitudinem redacta inungito, locum prius ad ruborem exulcerans. Aut ficus aridas crematas cum oleo similiter lęuigatas illinito. Aut veratrum album, piper, muscerdā abstersæ prius parti & derasæ, cum aceto inducas. Aut raphano, & cæpa per trāsuersum secta infricans locū strenue oblinito. Aut alcyonio torrefacto & intingens digitum in oleo, diligenter infricato, vsque dum rosionem excitauerit, & restitues. Aut alcyonium ad lucernam torrefactū, & adipem vrsinum similiter liquefactum misceto, inungitóque, in sole abstergens. Aut loco prius scalpello exasperato, vt mos est, cępalęui cum melle obducito. Aut raphani cortice similiter. Aut vbi scarificaueris cutem, arūdinis corticem, quem Aegyptij byphthirion nominant, crematum pici liquidæ admisceto, spleniúmque imponito, quater vel quinquies soluito, deinde loco absterso aliud splenium inducito. nonnulli nitrum ad decimā cineris partem miscent, & valde auxiliantur. Aut squamam stomomatis cum aceto & oleo similiter illines. Aut æluri vel crocodili stercoris drachmæ sex, sinapi drachmæ quatuor cum aceto acri. Aut cantharidas vstas pice liquida

Vetus non habet.

excipito, vt ceratū fiat liquidum, parte prius nitro tosto extersa, in splenij modū imponito, ac sinito per noctē adhærescere, manè vbi abstuleris, permitte locū siccari vsq; dum perrumpatur. vbi pili eruperint, continuo radito. Aut nasturtium, alij piper, muscerdā, veratrum album, pari pondere cum aceto inungito. Aut cute cruentata ichthia aut ficulneo folio, aut pumice leui, amygdala amara vsta, cum oxymelite illinito, idque frequenter, & pilos radito. cito enim augescent. Aut testudinis marinæ sanguinem illinito, commendatur. Aut hippotami pellem crematam inungito. Aut nucibus auellanis vstis, & herba pedicularia cum laurino vnguine. hoc enim Archigenes approbat. Aut muscerdam & veratrum album inungito. Aut arundinis corticis cremati & nitri, singulorum æquale pondus, pice liquida in malagmatis formam redigito. Aut nuces amaras cum corticibus vstas ex aceto, aut melle frequenter illinito, locū prius linteolo extergens, & frequenter radito. Aut ammoniacum thymiama cum liquore tithymali infricato. Aut æluri stercore sicco cum aceto vtitor. Aut rhus drachmas quatuor vel duas, sinapi drachmas duas cum aceto acri illinito. Aut amygdala amara cū pumice. Dionysidorus medicus. Corium recens comburens, cum aceto acri illinito. Summè facit in diuturnis thapsiæ succus, vel radix, cerato excepta impositáque loco, sic vt nihil aliud præterea admoliaris. recedit enim superior cutis, & tabes effluit, pilíque sua sponte succrescunt. Vides quomodo Archigenes medicamētum ex thapsia commendet, non enim inuenies eo præstantius remedium. Porrò augetur fides præsidiorū etiam ex historiæ consensu, eóque ego Empiricorum quoque medicorum medicamenta omnia persequar.

*Quæ Asclepiades memoriæ mandauerit in libro de alopecia.*

Non iunioris Asclepiadis, nimirum qui insignes medicamentorum compositiones in multis libris conscripserit, mentionem in præsentia facio, sed antiquioris, Bithyni. hic igitur Asclepiades celebratur curandi rationē inuenisse, qua multos dicit alopecijs difficilibus obnoxios, consanescere: plus autem ad curationem valere totam victus institutionem, quàm medicamenta affirmat. Itaque vino omni vsque ad finem his de causis abstinendum est. Constat autem causas ipsum prædixisse, quas librum legenti cuiuis licet discere. Deinde ordine subiungit, Vitanda etiam nimia repletio. Iam prohibet esse carnes, caseum, lac, legumina, & omnia simpliciter, quæ in parua mole vires obtinent, ad nutriendum, flatúsque procreandos valentes. Quin & exercitia multa fugere præcipit, sicut & continua balnea, multósque sudores. De medicamentis hæc ad verbum scribit, Est autem primum vnguentum tale, Aphronitri partes duæ, salis ammoniaci pars vna, cremata, læuigatáque, aceto quàm acerrimo subiguntur, donec sordium accipiant spissitudinem. alopecia leuiter prius derasa, vt densescat, & locus fiat cruentus, caput modice inungimus confricantes vsque dum medicamentum conceperit, & in altum fuerit deductum. Vbi pulchrè sic prius deliniuerimus, sinimus ægrotum conquiescere vsque ad crepusculum, deinde idem facientes vesperi, iterum atque tertio similiter, magnam immutationem deprehendimus. sistitur enim depastio, & pilorum defluuium. & si non vi trahantur, resistunt, nec euelluntur. deinde subsequenti die confricantes ex aceto locum illinimus, vsque dum pu-

stulę erūperent, & cutis per summa exulceraretur. vbi pustulas scarificauerimus, & id quod ab vlceribus aquosum fluit, biduum vsque exceperimus, eodem rursus vnguine vtimur, cauentes ab vlceratis locis, eósque prætergressi, sanos ipsos aggredimur, hos quoq; attingentes, ad vesperam vsq; permittimus: deinde idem moliti, & perfricantes paulatim vsque ad septem & octo dies, iam contemplamur à terminis alopeciæ non tenues adhuc & lanuginosos pilos, vt antea, sed ponderosiores: deinde pedetentim semper hos in locum denudatum conscendere, deficere autē rursus tenues & imbecilles, ita vt simile quiddam exulceratis contingat. Etenim in vlceribus ab extremo cicatrix incipiens, fine ad vlceris media desinit: & in alopecia prima, quæ ad pilosam partem habentur, inualescunt, densantúrq;: quæ autē in medio sunt, postremo omnium pilos recuperant. Proficiēte igitur curatione, nullum requirimus medicamentū aliud, verùm vno hoc lōgiori temporis spatio vtimur, & affectus benignè cessit. nisi cum omnino permagna fuerit pilorum raritas, intercedente tempore frequēter nouacula rasimus, interdum mucrone scalpelli cutem lancinantes, per punctúras modicum sanguinis abstulimus. Hæc præfatus Asclepiades ad verbum, de rasura secus quàm alij deinceps pronuntiauit. nō enim continuè, sed ex interuallo partē affectam radi iubet, cum iam mediocriter crassi pili in ipsa nascuntur: incipientes autem etiamnum & tenues tondendos non censet. Vbi de radendis pilis sermonem absoluisset, deinde ad hunc modum tradit, Quòd si pili tardiùs proueniant, ad subscriptas facultates confugimus. sunt autem huiusmodi, Erinacei terrestris caput aut cutem crematam in puluerémque redactam melle cōspersam illinito. *Aliud.* Hippocampū marinum & nitri modicum simul comburens miscénsque adipem anserinum, loco, quem prius nitro exterseris, inducito. *Aliud.* Thapsiam in aqua maceratam, illinito. *Aliud.* Muriū stercora ex aceto leuigata, inungito. *Aliud.* Arundinis cypriæ folia & in fictili vsta, deinde resina picea quàm plurimum cineris illius accipiens applicato, & alopeciæ prius scarificatæ imponito, deligatóque. aut corticem, aut comam arundinum similiter præparato. præterea nitri cineris æquali portione mixta, picéque excepta, vtitor. Est autem non ignauum, sed admodum efficax remedium. Ad hęc Asclepiades meminit etiā muscarū: quarū iubet, vbi venatus sis q̄ plurimas, statim capita in glabra alopeciæ loca imprimere: præsertim, inquit, vbi ipsam exulcerauerimus. etenim fert etiā, ait, muscarū sanguinē, cum irritatur medicamentis ex nitro alijsque compositis, à quibus ipsam nō solum rodi inquit, sed etiam pustulas excitari.

### ¶ *Quæ Soranus ad alopecias scripserit.*

Quū nonnulla ex sua ipsius institutione præfatus esset, citassétq; Asclepiadis verba, deinde in hūc modū scribit, Quare cum vitiū recens est, abstinentia primum conueniet, deinde simplex cibus boni succi, fotus ex oleo dulci, calido, panis in cataplasmate, fomenta, rasuræ, cucurbitulæ, ceratum, & refectio. Vbi malum in vetustatem inciderit, continua rasura, rubor sinapi excitatus, frictiones præscriptę, ex pice illita aut cedrino oleo, item frictiones ex fici folijs, aut cæpa, aut linteolo indici digito, aut pollici circumuoluto. post frictionem scarificationes. nonnulli autē aciculis colligatis vt acie coeant, cutem pupugerunt. post ruborem ex frictione excitatum & scarificationem, medicamenta

recorporatitia, siue vnguenti modo, siue emplastri conueniunt. huiusmodi autem multa particularia sunt, quippe cæpa læuis, aut raphani cortex, vtrunque cum melle applicatum. vel aphronitri pars vna, ceræ & salis ammoniaci pars vna, cremata, lęuigatáque cum aceto acri, vsque ad sordium spissitudinẽ. Scripta sunt & alia multa, inquit, apud Asclepiadem, Heraclidẽ Tarentinum, Elyphatidem, & Moschionem in Cosmetico, ex quibus decerpsit & ipse, tum ab Asclepiade prins conscripta, tum alia quædam, quorum ordine mẽtionem faciam. Adipis vrsini pars vna, arundinis foliorum combustorum cineris pars vna, ferri stomomatis squama aceto oleóq; mixta veteri, illinuntur. *Aliud.* Aeluri aut crocodili stercoris drachmæ octo, sinapis drachmæ quatuor, ex aceto acri adhibentur. *Aliud.* Ordei cremati & muscerdæ æqualis portio, cum aceto acri applicatur. *Aliud.* Nasturtium, muscerda, veratrum albũ, & piper pari pondere ex aceto quàm acerrimo. *Aliud.* Sinapi & nasturtium, aut spõdylium vstũ, lęuigatúmque aceto, illinito. *Aliud.* Ranarum vstarum drachmę octodecim, pumicis vsti drachmæ duodecim (in alio quindecim) sinapis drachmæ octo, nitri drachmę quatuor, nucum crematarum drachmæ vigintiquatuor. item ceratũ ex pipere, pyretro, calce viua, myrteo oleo. oportet autem locum affectum prius infricare, vel alcyonio vsto, quousque rodatur: vel erinacei marini combusti cinere linteo inuoluto, donec rubor excitetur. Reliqua medicamenta partim à me vsu probata, partim à præceptoribus meis, partim à familiaribus medicis. Pumice ijs quæ ruborem excitant admixto, fotúque prius adhibito, thapsiæ succum illines, vsque dum cutis intumescat: deinde post fotum cerato rosaceo vtitor. *Aliud.* Arundinis foliorum & radicis crematorum, vrsi pilorum, adianti, adipis vrsini & picis liquidæ, pilorum caprillorum vstorum, & cedrini liquoris, omnium octo paria pondera sumito, atque ita quę liquari possunt, siccis infundito, prius abstergens. *Aliud.* Fici folia cum aceto & herbæ quæ dicitur stœbe, succo illinito. *Aliud.* Ranas graciles vstas, pici liquidę tepidæ inspergito, atque sic applicato, neque radens prius locũ, neque abstergẽs. *Aliud.* Aphronitri drachmas quatuor, murium stercoris drachmas duas, arundinis corticis vsti drachmas duas, pice liquida excipiens splenium formato, & loco prius raso, nitróque exterso imponito. non aufer ante duos trésve dies. *Aliud.* Sinapis, stercoris æluri, vtriusque paria pondera loco antè absterso illinuntur. *Aliud.* Vbi partem affectam scarificaueris, sepiæ atramentum inducito, aut marrubiũ viride tritum, applicato. *Aliud.* Sphæritidis folia torrida ex aceto lęuigato, imponitóque. vocatur autem sphæritis, cypressus, quæ sphæria, hoc est, globulos, seu pilulas producit. *Aliud.* Nuces amaras cum corticibus præparatas ex melle, & aceto parti prius derasæ illinito. *Aliud.* Erinaceorum marinorum testas crematas, cum melle & aceto, loco prius deraso, illines. *Aliud.* Alcyoniũ vstũ, murium stercora, cum porri succo illinũtur. *Aliud.* Thapsiæ radicis drachmas quatuor, chamęleontis radicis drachmas duas, excipito visco elaborato: at vbi in formam redegeris, imponito: ac vbi locus irritatus fuerit, auferto. *Aliud.* Arũdinis Græcanicę foliorum vstorum drachmas quatuor, muscerdæ drachmas duas, erinaceorum crematorum drachmam vnam, ex aceto læuigata inungito. *Aliud.* Salis ammoniaci drachmam vnam, nitri drachmam vnam, torrida ambo immersáque aceto ter die, vbi locum prius nitro exterseris, inungito.

*Aliud.* Amygdalarum amararum tostarum obolos tres, pumicis obolos duos, salis ammoniaci obolos tres, similiter ex aceto illinito. *Aliud.* Piper, muscerda, veratrum album, pari pondere, cum aceto illinuntur. *Aliud.* Stomomatis squama cum aceto & olei momento inducitur. *Aliud.* Vbi locum pumice prius irritaueris, sulphur, nitri spumam, ammoniacum, singula æquali pondere mixta, cum aceto illinuntur. *Aliud.* Alcyonij drachma vna, sulphuris viui drachma semis, muscarum tostarũ, vt exiccentur, cyathus vnus. muscas seorsim leuigato, & sulphur: alcyonium vero aquæ incoctum cum siccis læuigatur. affunditur pars vna fellis suilli & aceti, donec sordium spissitudinem recipiat: deinde axungiam, quam à rotis deraseris, & in manu emollieris, misceto, vt emplastri formam acquirat, alopecia prius derasa, & rubore in ea excitato, medicaméto fidens vt præstantissimo, illinito. *Aliud.* Loco prius absterso, chondrum aceto maceratum leuigatúmque, cum liquore cyrenaico exiguo, illinas. *Aliud.* Deterso loco & lancinato, carycas tostas cum passo applicato. *Aliud.* Illinito passo, deinde ferulam crematam, adhibeto. Quæ sequuntur duo medicamenta mirifica sunt, scripturam habentia eius, qui ipsa dedit, Ad alopecias, caluitia, incurabiles pilorum raritates in capite, mento, & supercilijs. Ouis pilorũ vncia vna, arũdinis radicis vnciæ sex, filicis cũ radice vnciæ tres semis, [castanearũ barbarum] vnciæ tres, lanarum succidarũ pinguissimarum vnciæ sex, capita muscarum numero triginta sex, muscæ quinque sine capitibus. omnia in vas recens coniecta, fornaci imponito, deinde cinerem ipsarum læuigato, sint autem prius contrita in vino Aminæo. ∗ Ladani vncia vna, myrrhæ vncia vna, & præterea inijciantur olei veteris vnciæ duæ, cedrini vncia vna, malabathri vnciæ duæ: deinde inspersis siccis excipiantur. Verùm medicamentum inungito, vbi prius alopeciam linteolo confricueris, deinde vbi leuiter vellicaueris, aut cæpa, aut scilla, aut fici folio sensim lacerans, ac post balneum valido linteolo continenter abstergens, sub sequentibus diebus satis habeto illinere vsque ad menses duos. quòd si autem perseueres, etiam caluitio medeberis.

Vetus habet, florum castanearũ.

∗ Vetus interpres habet, Aliud.

*Ad eos qui præter ætatem caluescunt, auxilium.*

Adipis taurini insolati libra, adarcæ vncia, thapsiæ succi vncia vna semis (secundum alios, vncia semis) myrrhæ bonæ vncia vna, polytrichi libra semis, callitrichi libra semis, genitalis asinini libra vna, lienis asini libra vna, ladani tantundem. Ladanum ego vino modico commaceratum læuigaui, adipem aquæ vapore liquefeci: deinde genitale asini tostum rade dum consumptum fuerit, lienem torrefacito, cũ callitricho & polytricho in olla recenti. vbi quæ contũduntur comminueris & cribro secreueris, gleucino excipito, aut sabino oleo vtitor ante balneum, caput prius pectens. Iam constat eadem medicamenta etiam ad pilos menti non prouenientes conuenire. Fœnugræci sextarij quatuor, seminis lini sextarij duo, ladani vnciæ octo, acatiæ succi vnciæ sex, folij malabathri vnciæ sex, gallæ numero viginti, vnguis aromatici vnciæ duæ, arũdinis syriacæ vnciæ duæ semis (alij vncia vna) bdellij vnciæ duæ, myrti vstæ sextarius vnus, musci (alij splãgni, alij aromatici) vnciæ tres, iridis astragoli (alij illyricæ) vnciæ duæ, arundinis syriacæ vnciæ duæ semis. contusa simul cretáq; tenui cribro miscebis deinceps vt præscriptum est. cum vsus postulat, inijcies medicamenti tertiã partem, aut quod satis est, in vas æreum, aut fictile: deinde

admixto vino Italico odoro, vt liquidum euadat, deinde carbonibus superponito, & rudicula moueto, quousque ferueſcat ſemel, curam adhibens ne aduratur : deinde illines, iubens medicamento inſudare. poſtea paulatim in ſolio perfricabis, & vt mos eſt, caput ſuperfundens, abluito. mox herbam pediculariam contuſam ſeorſim, cribratámque per quatuor dies, in quibus vteris, medicamento admiſcebis, ac ſimiliter incoques, eodémque modo delines, cauens ne in oculos defluat. Porrò à balneo inunctione vteris hac, Olei myrtei libra vna, ladani vnciæ quatuor. medicina firmiſſima. *Aliud ad eadem.* Pericalamitidis vncia vna, myropiſſoceri, apotragoponis, hoc eſt ex hirci pilis ſordiũ, ſingulorum vncia ſemis, fœtus informis adipis libra, Dionyſiaci foliorum tenerorum ſucci, ladonidis foliorum tenerorum ſucci, callicerios ſucci, verbenacæ herbæ ſucci, arundinis foliorum ſucci, ſingulorum cyathi tres, cynamori, erinaceorum marinorum vſtorum, ſingulorum vnciæ duæ. multo autẽ præſtantius efficies, ſi immittas acanthionis terreſtris cutem crematam. omnia in mortario plumbeo pluribus diebus terere oportet, donec omnia leuigata probe in vnitatẽ coierint : & * ex mortario, quod ſatis eſt excipiẽs vtitor, linteo aſpero locum validè prius infricans: deinde altheæ virentis radice abſterſum hoc medicamine illinito, quod Claudianus familiaris noſter in libello ſic ſcriptum inuenit. poſtquàm is qui illo vtebatur deceſſiſſet è vita, omni ſtudio comparare conatus, quòd duos quoſdam calueſcere incipientes, curatos ab ipſo videret, vt neq; caluitiũ procederet, & pars ipſa glabra pilis denſaretur. Abdite autem & ænigmatice ſcriptum hoc cum accepiſſemus, conſiderabamus in vnoquoque quale eſſet quod ſignificaretur. indagantes igitur aliàs aliud, longa tãdem experientia nos inuenturos veritatem ſperauimus: ſed in præſentia ſcripta ſint poſteris, cum & nos poſtea tradituri ſimus, ſi aliquod interea vſu probatum, inuenerimus. Nunc ſanè pericalamitidis dictum eſſe putamus arundinis corticem: etenim aliàs quoque nouimus ipſam, vbi vſta fuerit, huiuſmodi diſpoſitionibus conuenire, & alios ex ea ſcripſiſſe medicamenta huiuſmodi. Probabile igitur eſt, quoniam circundatus arundine cortex eſt, pericalamitem ipſum eſſe dictum. poteſt etiam, quod vocatur à quibuſdam lymneſtrum, à quibuſdam adarce, & adarcium ſic dici, eò quòd arundinibus adhereſcant. At myropiſſoceri poſitum eſſe arbitramur pro pice & cera in vnguento quodam liquefactis, ex ijs quæ ad huiuſmodi conuenire videntur, quale eſt gleucinum, laurinum, nardinũ, lentiſcinum, ſeſaminũ & cedrinũ. Dictio apotragoponos manifeſto nobis videtur de ladano eſſe prolata. etenim cõſenſus eſt ipſum ad huiuſmodi diſpoſitiones cõgruere, & generatio ipſius ex hircorũ barbis, in quibuſdam regionibus accidit. id quod etiã Rufus Epheſius hiſce verſibus innuit,

Eſt aliud ladanum, tellus quod mittit Erembûm,
Hircorum barbis hærens: nam germina ciſthi
Grata cibo memorant florentis ſumma capellis.
Huius villoſo complentur fœmina pingui
Tota caprûm: necnon barbæ magis omnibus hirtæ.
Vtilius non hoc morbis: ſed præſtat odore.
Propterea miſta hinc medicamina multa reſeruant,
Ambroſia, & regio producit qualia Erembûm.

*Græcum paulo ſecius.

An igitur hoc ſolum ladanum, author medicamenti indi iubeat, incertũ eſt. poteſt autem etiam de vna ſpecie totũ genus pronuntiaſſe. At fœtus informis, videtur mihi dicere vrſæ: hanc enim aiunt, informem ædere, ceu partem aliquam carnoſam: matre autẽ hanc lambẽte, animal efformari. Dionyſiaci vero, dicere videtur vitis. forſan dixerit aliquis etiam hæderæ poſſe põni. Ladonidis, quòd lauri intelligat, neminem puto ambigere. Callicyrios, fœnugręci dicere videtur: nam apud nos in Aſia, hæc planta Aegoceros nominatur. Cynamorum, rubum caninum dici veriſimile eſt. Acanthionem terreſtrem, puto dictũ eſſe erinaceum terreſtrem.

*De capillis fluentibus.*

Affectus capillorum alius eſt, qui raritatem ſanè cutis, ſubſtãtiæ vero ipſos generantis inopiam comitatur. quare etiam curatio eorum, qui hanc noxam conceperunt, non idem conſilium cum alopecijs obtinet. in illis ſiquidem eò tendimus, vt vitioſos humores conſumamus: in his autem capitis habitum corroboremus, & probi humoris copiam moliamur, cutis mediocritatem in denſo & raro reuocemus. Quare humectantibus medicamentis, aliquod mediocriter aſtringens miſceri oportet: cuiuſmodi eſt ladanum, vtraque in ſe moderata obtinens, quæ huic ſymptomati cõgruunt, calorem moderatum & aſtrictionem ei reſpondentem. Quapropter oleo mixtum, vt illinatur, fluentium capillorum ſymptoma ſiſtit. Verùm cuiuis conſtat, antequam medicamento vtaris, capitis frictionem præcedere oportere, & multorum capillorum raſuram: ſi autem anni tempus permittit, etiam omnium prorſus. ſic enim ob frictiones, & illitus, valida calidáque cutis erit, & commoderationem dẽſitatis habebit naturalem. Cæterum conſueuit hic affectus capillorum magna ex parte oboriri iis, qui morbo iam defũncti erant, raro etiam ſine morbo: magíſque requirit victus rationem, & refectoriam & ſalubrẽ. Ac multi citra medicamentum abſolute & celeriter conſanuerũt. Compoſuerunt igitur tum ipſius cauſa medicamenta, quæ cutẽ mediocriter denſarent, tum autẽ ipſam non frigefacerent, quippe vehementer aſtringentia, omnino etiam refrigerant, & affluxum alimẽti repellunt: quo minus, quàm par eſt, ſuppeditato capilli defluunt. Huc itaque medicamentorum rationem dirigimus, vt ſanguinem, qui affluit, non ſolum non prohibeant, ſed etiam promoueant, ſenſim autem & leuiter cutem contrahant, laxatámque cõſtringant. Tale autem ſuapte natura eſt ladanum, quod, quia conſiſtentiam ceræ ſimiliter obtinet, humiditatem quãdam deſiderat idoneam, copioſámque vt capiti inungatur. præſtat igitur humiditatem hanc ſimilem eſſe ladano, hoc eſt ex contrariis facultatibus, attractoria & contrahente temperatam. Non igitur aut ſabinum, aut vetus oleum, aut ricininum idoneum eſt: ſed quod in Iberia, aut Hiſpania, aut quomodocũque vocare ipſum libet, generatur. habet enim nonnihil aſtrictionis: hoc autẽ magis adhuc lentiſcinũ, ſuapte natura tale exiſtens, quale & ladanum. Quare neque expertus ſum, neque cogito medicamentum in fluentibus capillis fore pręſtantius eo, quod ex ladano & lentiſcino temperatum eſt. Porro clarum eſſe cuiuis arbitror, raſis craſſius oportere medicamentum adhiberi: tonſis autem, liquidius. Nam quòd pilos nutrire haud conueniat, donec aliquis ſic fuerit curatus, nemo ignorat. At ſi magnum fuerit defluuium, & magnam capi-

tis cutis raritatem factam esse conijcias, haud absurdum fuerit, in præsentia etiam myrtinum in vicem lentiscini ladano misceri. Iam temperabis etiam aliquando & nardinum vnguentum, in ætate frigida, tempore hyberno. Quin etiam bonum medicamentum ad omnia est, opulentarum mulierum vnguentum, quod vocant Romæ phuliatum: non minus hoc laudabile est, imò etiam magis, quod appellant spicatum. Proinde his quidem per se opulentas mulieres vngi præcipito, & cum nardino pręstantissimo. Ladanum in duplici vase liquefacito: vbi liquefeceris, cum nardino prædicta pretiosa vnguenta cuiuscunque copiam habueris, admisceto. Mihi igitur hæc abunde fuerunt cum refectoria, & salubri victus ratione, quæ in plerisque sola sufficit. Composuerunt autem, vt dixi, nonnulli veteres medici ad fluentes capillos medicamēta, quorum ego mentione facta, vt inter se differunt, percensebo. Primum persequar ab Hera scriptas compositiones medicamentorum, ex quibus primam laudo, alteram superuacaneam esse arbitror. Scribit autem de priore in hunc modum.

*Compositiones medicamentorum ad fluentes capillos*, Heræ.

Heras in Narthece tradidit duo medicamenta, subscripta illiusmet verbis, ne capitis capilli defluant. Ladanum in vino austero macerans leuigato, alternis vicibus superfundens oleum myrteum, & vinum, dum mellis habeat spissitudinem, ac caput ante balneum, ac post ipsum inungito: præstat autem & polytrichi, quod nonnulli etiam adiantum nuncupant, & dimidiam partem ladani adijcere, & vti cum myrteo vel nardino. Hæc de priore compositione Heras præfatus, deinde hæc subijcit, Compositio olei ad capillos fluentes, eadem etiā nigrefacit. Intra Calendas Iulias & Idus nuces virides centum contusas, mixtásque olei primę notę sextario vno, aluminis liquidi libris tribus, coniicito in vas recens fictile, prius irrigatum, & diligentissimè circumlitum, reponito in locū neque nimis humidū, neque calidū, ac sinito subter terrā menses tres, deinde excipiēs, vtitor oleo. Hæc tibi est secundi medicamēti scriptura, magis quàm par est, astrictorium medicamentum efficiens: atque ideo corrigens ipse astrictionis vehementiā primus author, ex eo, quòd defodit, & veluti putrefecit mixturā, subtiliorem medicaminū substantiam reddere conatus est. Huiusmodi medicamentū in anni tēpore, regione, & natura corporis calida, vtile est, vt in contrarijs vsurpare id tutum non est. Etenim vidi mulieres ab eo refrigeratas, vt in grauedinem capitis, raucitatem, & distillationem inciderint.

*Quæ Archigenes ad capillos fluentes conscripserit.*

Archigenes in primo generalium medicaminum libro, ad fluentes capillos in hanc sententiā scripsit. Ladani, absynthij, paria pondera, baccæ iuniperi leuigatę, decē. Linteolo illigata, oleo ad dies quinque macerantur. ex hoc caput inungitur, neque pili defluent, neque furfures habebit. Aut pectens, adianto illines, cum myrteo, aut rosaceo oleo. Aut adianto, & myrti nigræ æquali portione, galla duplicata cū oleo veteri, aut lentiscino, aut myrteo, vt mellis fiat spissitudo, vtitor. Aut thus, aut misy, aut gallā, aut adiantū pari pondere, cū vino marinæ experti in mellis spissitudinē redigens, terito in sole, aut coquito molliter donec nigrescant: deinde oleo veteri, aut lentiscino, aut myrteo mixtis vtitor. Aut brassicam aridam tusam cum aqua applicato, aut loti radicem similiter.

*Quæ Cleopatras in Coſmetico tradiderit.*

Quæ in Cleopatræ Coſmetico ſcripta habentur, his verbis ſonant. Vt capilli in capite creſcant, arundinis teneræ radicibus contuſis ſuccum exprimito, muſcas in pulticula torrefactas miſceto, adipem vrſinum, oleúmque cedrinum vnà conterito, atque in idem contemperata, da vt illinatur. vt autem odor obtundatur, vinum, aut paſſum adfundito. *Aliud non multo poſt prius ſcriptum, hoc modo ad verbum habet.* Ad capillos producendos. Lini ſemen aridum cum lini ſtipite cremato, contritum cum oleo ſeſamino illinito. *Aliud inferius ſcriptum hoc modo ad capillos defluentes.* Terram cimoliam ſolidiſſimam, vino auſtero macerato, & mororum ſucco tantum vt combibat duntaxat, adijcitóque alterci ſeminis maximè læuigati acetabulum: deinde formatos inde paſtillos, ſiccatóſque in vmbra, reponito vaſe fictili nouo. Vbi vſus exigit, aqua dilutos inungi iubeto: deinde cum ſiccatæ fuerint, eluantur per dies quinque. idem facit etiam ad impetiginoſa faciei & colli vitia. *Aliud quod ſtatim auget capillos, denſat & nigrefacit.* Ladanum ex oleo læuigatur, & dulci vino. Vbi in craſſitiem coierit, illinitur, loco prius abſterſo. Paulo poſt aliud medicamentum in hanc ſententiam ſcriptum eſt, Ad defluuium capillorum, quod ſine morbo oboritur. Braſſicam aridam læuem cum aqua oblinito. aut loti radicem ſimiliter. Qua re diſcrepat coſmetica, hoc eſt expoliendi corpora medicinæ pars, à commotica, hoc eſt fucatoria. Commoticæ ſanè ſcopus eſt, pulchritudinem aſcititiam moliri: Coſmeticæ autem, vt id quod ſecundum naturam eſt, vniuerſum in corpore conſeruet, & naturalis ſequitur pulchritudo. nam caput viſu indecorum, & deforme, affectu laborans alopeciæ, quemadmodum etiam ſi palpebræ ex oculis decidant, & ſuperciliorum pili. Non ſolum autem ad pulchritudinem, ſed multo magis ad ſanitatem ipſam particularum, pili hi conferunt, vt in libris de vſu particularum oſtenſum à me eſt. Quid opus eſt dicere de impetiginibus, aut ſcabie, aut lepra, quòd pręter naturam hæc vitia exiſtant? At albidiorem faciei cutem medicamentis moliri, rubriorémve, aut capillos capitis criſpos aut rufos aut nigros, vel, vt mulieres, longiſſimè auctos, hæc & eiuſmodi fucatoriæ prauitatis, non artis medicinæ opera ſunt. Propter horum autem communionem, interim & regiæ mulieres, aut reges ipſi fucatoriæ artis officia nobis iniungunt, quibus quicquã negare nõ licet, cũ doceamus differre fucatoriam ab ornatoria medicinæ parte. Huius igitur gratia viſum eſt mihi etiam medicamẽta Critonis ad capillorum præſeruationem, & incrementum idonea, ex primo Coſmeticorum libro deinceps ſubſcribere.

*Quæ Crito medicamenta tradiderit, conſeruandis capillis, augendíſque apta, & defluuium ipſorum arcentia.*

In primo Coſmeticorum Crito ſtatim per initia poſt præfationem hunc in modum ſcribit, Ad conſeruationem capillorum, ſubſcriptis confectionibus vtendum eſt. Heraclidis Tarentini capillos conſeruantia. Anemonæ florem cum oleo tritum illinito. Idem quoque capillos nigrefacit. *Aliud.* Ladanum auſtero prius vino maceratum, tritúmque, myrteo oleo excipito, & capillos ante balneum ſubungito. *Aliud.* Verbenacam rectam cũ radicibus ſiccatã cõtuſámq; tenuiſſimo cribro incernito. Deinde mixta oleo, vt ſordium habeant ſpiſ-

situdinem in vas æreum reponito. vbi putruerint, in vicem olei similiter vtitor. *Aliud.* Ladani partes duæ, polytrichi, quod nonnulli adiantum vocant, pars vna, vini & myrtei olei pars vna. Nos autem loco myrtei olei nardino vsi sumus. *Aliud.* Idem etiam leuiter nigrefacit. Myrti nigræ vnciæ tres, ladani totidem. Terito dissoluens acaciæ fructus decocto, hoc est eorum quæ spinæ siliquæ dicuntur. Vbi sordium spissitudinem habuerint, nardino, aut myrteo, aut alio quodam vnguine excipito. *Aliud.* Illitus, qui capillos præseruat. Idem quoque nigrefacit modice. Myrti nigræ sextarius vnus, apij seminis sextarius vnus, betæ seminis sextarius vnus, myrti summitatum sextarius vnus, adianti sextarius vnus semis, ladani tantundem, vini nigri sextarij sex. Incoquentur, quousque in totum dissoluantur, ac vbi tertia pars relicta fuerit, olei, aut alterius cuiusdam vnguinis sextarios duos, aut tres adijcito, rursúsque incoquito. Quum autem bis aut ter sufferuefeceris, humorem expressum, pérque saccum diligenter traiectum, in fidelia reponito. Vbi vsus postulauerit, radens omnino, vtitor, capillos bis die oblinens. *Aliud.* Passi cretici sextarius vnus, ladani vncia vna, corticis nucleorum pini crematorum vnciæ duæ, polytrichi vsti vncia vna, adipis vrsinæ libra vna, betæ succi cyathi tres. Ladanum coquitur & passum, donec spissescant, deinde reliqua adijciuntur. Excepta vase plumbeo, adseruantur. In vsu, diluta quantum sufficit, quo voles vnguine, quotidie inducuntur. Nonnulli vero, capiti raso medicamentum illeuerunt, nullo humore dissolutum. *Aliud.* Ladani vncia vna, passi sextarius vnus, corticis nucleorum pini combustorum vnciæ duæ ( in alio, vncia vna semis ) sphæra marina combusta contritáque vna, cilicij nigri, cremati, tritíque cyathi tres, polytrichi vsti & contriti cyathi duo, adipis vrsinæ libra vna. Incoquuntur, præparantúrque, sicut à me prius comprehensum est. *Aliud conseruans capillos, & fluentes restituens.* Apij seminis vnciæ duæ, callitrichi vnciæ duæ, thuris vnciæ duæ, nuces auellanæ numero quindecim, ladani vnciæ duæ, nuclei pini corticis libra vna. Omnia in recentem ollam coniecta, orificio ipsius argilla oblito in balnei camino torresient, deinde exempta conterentur. His adiecta vrsinæ adipis libra, mixtáque, pyxide ilicea excipientur. Quum vsus exigit, capiens medicamenti quantum sufficit, subige quo velis vnguento, & caput bis die inungito. Quidam radentes caput, medicamine oblinunt, adipe vrsina excepto. *Aliud ad caluitium, quo vsus est Andromachus iunior.* Leporum ventriculi sex excepti, arefactíque, diligenter olla fictili friguntur. His myrti vnciæ tres, & summitatum tantundem, adianti vnciæ tres adijciuntur. Hæc omnia curiose frixa contunduntur, & subtili cribro incernuntur, deinde adipis vrsini, & phocæ, vtriusque æquali portione admixta, denuo subiguntur. Excepta pyxide plumbea reseruantur. quum vsus postulat, cuiuslibet vnguenti liquore, diluuntur. De his igitur tantum.

## *Quomodo capilli tingantur.*

Secundum commemorata medicamenta, quum Crito alia prodat, quæ etiam capillos conseruare promittunt, primum autem ipsorum opus est, tingere illos, vt vel nigri, vel flaui fiant, statui omittere per initia, omnia id

genus, quæ palàm ſunt fuco dicata: quoniã haud noui quomodo iam commũne inſtitutum euaſerit, mulieres ſenio confectas, capillos capitis nigreſacere, quaſi turpe exiſtat, canos habere. atque hoc ipſis maſculis videtur, necnon odioſum eſſe dicunt, anum mulierem canum geſtare caput. Quę ſanè ex deliciis ſeipſas comunt, harum nulli, quum aliquid à me ſibi dari poſtularet, exhibui. At grauiores, quæ & fucum vitarent, & maritorum ipſorum importunitatem auerſarentur, voluerunt quodammodo capillos nigreſacere, citra aſtringentium noxam, quæ ex denigratione conciliatur, illis conſului, vt cedrino oleo vterentur, quo ſeſe horis tribus, quatuórve, antequam balneum ingrederentur, abſtergerent poſtea, ídque factitarent dies quatuor, aut quinque. Nam cedrinus liquor, quum medicamentum ſit impenſe calidum, præterquam quòd non lædit, adhuc etiam mulieres facile frigoris iniuriæ opportunas adiuuat. Conuenit autem ipſum olei expertem aſſumere in capitibus, quæ exiccari, caleſieríque vehementer deſiderant: quibus humida nimirum, & frigida intemperies ineſt. In alijs medicamentum hoc oleo temperatum fluentes capillos inſtaurat, & non fluentes auctiores reddit. Verùm mulieres delicatæ odorem huius fugiunt, qui alioqui ingratus non eſt ijs quæ in vſus conſuetudinem peruenire ſuſtinuerunt. In Aſia apud nos mulieres ruſticæ in montibus agentes, non ſolum cedrino liquore, cum oleo miſcentes, illinunt & totum corpus, & caput: ſed pice etiam liquida, cum oleo in eum modum temperata, capillorum in capite radices illinunt, atque medicamentum compoſitum vocant piſſelæon, diuerſum à piſſantho dicto, quod liquidæ ſupernatat pici, tenuius ipſa tum conſiſtentia, tum facultate. Huiuſmodi medicamenta tarde vt caneſcas, efficiunt, nihil noxæ vtentibus inferentia. Quæ autem ex auſteris & acerbis componuntur, valde offendunt. Materiam, vnde hæc conſtant, quæ aſtringentis eſt qualitatis, virtutíſque, nonnihil ſubtile etiam habere competit, vt non ſolum per ſumma, ſed in alto quoque cutem vſque ad capillorum radices inalteret. Hæc itaque compoſitionis ipſorum eſt methodus. Habes in commentario de ſimplici medicina particulares ipſorum materias, in quibus eorum & facultates, & qualitates comprehenſæ ſunt. Poteris igitur ex illis & quæ iam à veteribus compoſita ſunt, quali ſint virtute pręditа inuenire, & ipſe componere. Id quod vtile eſt, tum ad affectuum, qui oboriuntur, dignotionem mulieribus quæ interim offenduntur, tum eorum quæ euenient prænotionem, præſentiúmque remedia. Quippe non modo periclitatas ſubinde mulieres noui, ſed etiam mortuas, quòd caput ex huiuſmodi medicamentis impendio eſſet refrigeratum. Noxa autem ipſis maxime obuenit aliquando in apoplexiam, aut morbum comitialem, aut cataphoram, aut carum, aut catalepſim dictam incidentibus. aliquando catarrhis contumacibus corripiuntur, vt pulmo afficiatur, & tabes inde ſequatur. porrò quæ caput frigidiore temperamento præditũ obtinent, citius læduntur: quę calidiore, tardius. Etenim frigidę corporis particulæ frigidis affectibus, calidę calidis facilius infeſtãtur. Minus tamẽ periculũ earũ quæ frigidius ſortiũtur tẽperamentũ, ꝙ ob minores cauſas offendãtur. Calidæ, quia difficile à frigidis cauſis afficiuntur, quũ à magnis victæ fuerint, maiorem offenſam ferunt. quæ cõmuni & generali dicto incidit, quod apud Hippocratem ſcriptũ

est, In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui, & anni tempori morbus familiarior est, quàm quibus in aliquo horum non familiaris est.

### ¶ *Quæ medicamenta capillos nigrefaciant, Archigenis.*

Dixi paulo superius, medici officium non esse, vt in animum induco meum, qui talia medicamenta tractet. Imperant autem nobis interim regiæ mulieres, quibus recusare non licet, capillos nigrescere cupientss, aut flauescere. Quapropter & Archigenem puto, virum alioqui grauissimum, de ipsis hunc in modum scripsisse. Hæc nigrefaciunt capillos. Capparis radix læuis, cum lacte muliebri (nonnulli asinino) vsque ad tertias decocta, nocte illinitur. Aut vrina canina, diebus quinque, aut sex adseruata abstergito. Aut ilicis radicis cortex, dum tenerescat, incoquitur. hic illinitur, aqua vero capilli absterguntur. Aut anemonæ interius nigrum detritum, cum oleo myrteo attingito. Aut argenti spuma, cimolia, alumen liquidum, pari portione, capillis absterſis, ſiccatiſque in noctem illinuntur, & folia betæ supra deligantur. Aut terram selenusiam, argenti spumam, calcem viuam, singula pari pondere, aqua subigito, quousque mellis spissitudinem habeant: postea capillis lixiuiâ abstersis, illinito. & similiter folia betæ imposita deligato, mane autem excussos capillos attingito. Aut absinthij, ossium palmularum syriacarum, fabarum ægyptiarum, omnium combustorum per se cineris, æqualia pondera. Vino mendesio, sordium spissitudinem efficiens, ceratum myrteum misceto liquidum, & attingito. Aut salicis corticis succo cum oleo infricato. Summe nigrefacit. Aut ex nuce qui veluti racemuli sunt, incoquuntur oleo, deinde liquidum bitumen miscetur, & in vsum adhibentur. Post commemorata, hæc quoque ordine Archigenes conscripsit. Barbam nigrefacit suber madoris expers. item plumbum combustum cum betæ crudæ succo in mellis spissitudinem coactum inungito, linitóque vsque ad prandium. Deinde colluito. Aut recrementum ferri, & plumbum in aceto coctum vsque ad tertias, illinito, ab oleo abstinens. His subiunxit Archigenes ista, quæ & ipsa ex fucatoria prauitate existunt. Rufos efficiunt, lupini crudi, cum aqua & nitro illiti.

### ¶ *Quomodo pili flauescant, fiántque crispi.*

Crispos reddes capillos, si spuma salis cum myrrha abstergas. Vel liquore carpasi vtitor, & manebunt crispi, nigríque. Vel myrtis, & betæ semine pari pondere detritis, cum oleo vtitor. Vel asphodeli radice, cum mero illinito. Vel cortices lupinorum, & nitri momentum in aqua ad dies quatuor macerato, & vtitor. Horum medicamentorum memini hoc nomine, vt ostendam aliquos etiam viros grauissimos cogi fucatoriorum quoque medicaminum experientiam sibi comparare. Cum enim Archigenes non veritus sit ipsa conscribere, multo magis Critoni aliquis condonauerit, in imperatoris curia medicinam exercenti. Iam & Heraclides Tarentinus multa probatáque medicamenta fucatoriæ speculationis scripsisse videtur, etsi nondum tantis delicijs mulieres diffluerent, quantis hoc tempore. Verùm Crito Hera-

clidis, Cleopatræ & aliorum, qui poſt ipſos interea extiterunt medici, omnia medicamenta collegit. ad illum igitur remitto eos qui volent diſcere, quomodo capilli nigri fiant & flaui, aliáque eiuſmodi. Scripſit enim quatuor Coſmeticorum libros, qui in omniũ manibus habentur. Cur igitur ego ea transſcribam, cum poſſent ij, qui velint, ab illo diſcere? In primo quidem libro de capillis omnia ſtatim initio conſcripta ſunt peculiari ordine, reliquorũ verò ſubſequẽtiũ ita habẽt. Vt igitur ex facili qui ſingula eiuſmodi medicamẽta quærunt, inueniãt, viſum mihi eſt ſingulorum librorum capita indicare. In primo igitur hæc ſunt. *Primi Coſmeticorum Critonis capita*. Quæ conſeruent capillos. Quæ augeant capillos. Quæ præſeruent capillos. Quæ tingant canos. Quæ tincturæ flauos capillos, aut aurei coloris reddãt. Quæ capillos abſtergant. Quæ illinantur ad conſeruationem. Quæ faciei rugas exterãt. Quæ ad ſplendorem faciei conciliandum illinantur. Cataplaſmata ad faciei ſplendorem. Quæ ſupercilijs illinantur. Quæ ſupercilia nigrefaciant. Quæ oculis illinantur. Quæ ad abſterſionem inducantur. Ad fœdum nariũ odorem. Dentifricia. Quæ manducentur ad grauem axillarum odorem. Quæ manducentur ad fœdum oris odorem. *Secundi capita*. Quæ colli nigritias abſtergant. Quæ ad axillarum deſudationes illinantur. Quæ ad mamillarum conſeruationem oblinantur. Quæ ventrem purgent. Quæ ſmegmata manus nitidas reddant. Ad nigritias ex partu. Ad rugas ex partu. Ad fiſſuras ex partu. Quæ illinantur ad vmbilici eminentias. Quæ pueros impuberes conſeruent. Quæ virginitatem tueantur. Ad humidas & refrigeratas mulieres. Ad cicatrices nigricantes. Quæ pilos aboleant. Smegmata, quæ capillos extenuant. Quæ capillis abolendis illinantur. Smegmata totius corporis. Quæ purgent, ſplendoremque pariãt omnigenum. Cataplaſmata aromatica veſtibus dicata. Odoratæ veſtium tincturæ. Aſperſiones thalamorum & pauimẽti. Suffiminum variorum præparatio. Illituum & vnguentorum variorum confectiones, Amygdalini, balanini, ex nucibus, ſeſamini, myrtei, lentiſcini, laurini, roſacei, gleucini, melini, œnanthini, ſampſuchini, telini, ſuſini, quod nonnulli crininum vocant, ricinini, irini, narciſcini, phœnicini, cyprini, crocini, nardini, amaracini, hedychroi, mendeſij, malabathrini. *Tertii capita*. Ad porrigines omnigenas. Ad capitis eruptiones. Ad achoras. Ad pediculos & lendes. Ad alopecias. Ad ſcabioſas faciei diſpoſitiones. Ad dentes. Ad ephelides. Abſterſiones faciei. Ad ſtigmata. Ad liuores. Ad ſugillata. Ad varos. Ad epinyctida. Ad menti verrucas. Ad menti impetigines. Impetiginũ illitus. Epithemata eroſoria. Chloręad excoriata impoſitæ. Leucæ, ad cicatricem ducendam. Medicamenta emollientia quæ impetigines exterant. *Quarti capita*. Ad alphos nigras & albas. Ad cicatrices nigras. Ad leucas. Ad lepras. Ad vngues ſcabioſos. Ad pruriginoſos affectus. Ad pſydrachas & excoriationes. Ad ſerpentia vitia. Ad ſcabida. Ad thymos. Ad verrucas. Ad myrmecias. Ad vmbilici inflationẽ. Ad inteſtinorũ deuolutionẽ. Ad hydrocelas. Ad apellas. Ad anũ procidentẽ. Ad chimethla. Ad pedũ rimas. In his quatuor libris Crito diligentiſſime medicamẽta propè omnia probata, decori cõciliando idonea cõſcripſit, adijciẽs ipſis etiam fucatoria, quæ venuſtatem fucatam, non veram pariunt. quapropter ego

etiam ea omittam, eorum duntaxat mentionem facturus, quæ naturalem pulchritudinem tuentur. Etsi enim quàm maxime sciam smegmata, quæ corpus expoliunt, virginibus mamillas diutissime conseruant, impuberumque puerorum testiculos longo tempore exiguos seruant, & quæ pilorum generationem impediunt, scribere tamen huiusmodi revereor, ac multo magis, quæ Crito cataplasmata ex aromatis in vestibus prodidit, odoratas vestium tincturas, thalami conspersiones, pauimenti, suffiminum variorum confectiones, item illitionum & vnguentorum. Hæc enim extra medicinam sunt. Vbi autem tradidit quæ naturalem decorem conseruent, eorum sicubi opus fuerit, meminero: ac primum quæ capillis adhibentur, quæ meo iudicio medicis futura vtilia sunt, edocebo.

## Quæ medicamenta pilos corrumpant.

Quemadmodum eorum quæ augent capillos alius quidem est medicinalis vsus, alius fucatorius: eodem modo eorum, quæ illos corrumpunt. quippe accidit nonnunquam, vt & medici huiusmodi medicamentis vti cogantur, idque secundum tres ipsorum differentias. Dico autem tres, quoniam alia propriè vocantur psilothra, alia pilos extenuantia, alia in totum abolentia. hæc igitur postremo dicta vsum habent periculosum. interdum enim non solum illitæ corporis partes glabræ dehinc omnes fiunt semper: sed etiam caput, mentum, supercilia, & palpebræ pilis denudantur. alia duo vsum habent periculi expertem, partim pilos auferentia, quæ propriè psilothra vocari dixi, propemodũ quotidie in vsu adhibita, mulieribus ferè vniuersis, & quibusdam viris, alia autem subtiliores pilos & minores efficiunt, idonea ijs qui duros, magnos, multos, & crassos obtinent, eóque sues referre videantur. Cæterum hæc ratione maioris & minoris differunt, quoniam genus ipsorum est vnum ex illis compositum medicamentis quæ putrescentem vim, aut vrentem. præstantiora autem nimirum sunt, quæ putrificam habent: nam vsum minus periculosum præbent. periculosior est quodammodo vis adurentium, si quis negligat, dum modice pustulas excitant, aut exulcerant, aut quomodocunque cutem adurunt. Particularem ipsorum materiam in commentarijs de simplicium medicamentorum facultate vniuersam tradidi: exempli gratia, quibus continue vtimur, etiamnum dicam. Itaque ex liquidis stillatitium dictum lixiuium eiusmodi facultate præditum est. Ex siccis & metallicis arsenicum, sandaracha, calx viua, quam plerique vocant hoc solo nomine viuam, ceu non restinctam. Constat igitur vehementium in ipsis virtutem mixtura imbecilliorum medicaminum & liquidorum & aridorum confringi. Quorum mensuram coniectura quidem primum, facultatis ipsorum peritus molitur: experientia vero id quod deficit, instaurat, aut adijcit. Verùm quomodo etiam hæc, quæ experientia iudicata sunt habeatis, asscribam à Critone prodita in primo Cosmeticorum, vbi prius indicauerim medicis quoque necessarium sæpe vsum ipsorum esse. Quemadmodum tincturas negare possumus fucatoriæ prauitatis existere: ita inficias ire non possumus, ea quæ pilos extenuant. Si enim quis mediocres obtineat capillos, non ei super-

fluo comam nutrienti operam cõducemus: sin autem multos admodum, longos & duros, ratio esse videtur, hos pauciores, tenuiores, molliores, & rariores efficere. Accidit autem aliquando vsus, quo ijs, qui multos habent, densos, non tamen duros, in totum ipsis auferamus, quum vel picatione totum corpus indiget. vtimur enim hoc præsidio nonnunquam ratione medica, vel etiam quum aliquod medicamentum emplastum imponimus, necessarium erat omnes à parte pilos adimere, quod licet sanè & nouacula efficere. Nonnulli autem siue reuera, siue etiam simulanter aiunt se nouaculam extimescere. fieri enim potest, vt ab ea cutis conuulneretur. aliqui forsan etiam bona ratione timent, præsertim cum gutturis regiones radi oporteat. ob has rationes medico pariter necessarium est, talium quoque medicaminum experientiam habere, & compositionis & vsus.

*Quæ Crito ad pilos abolendos tradidit, in hunc modum sonant.*

Abolentia pilos, psilothra dicũtur, Arsenici coloris aurei scrupula septem, aut decem, calcis viuæ totidem, amyli vnciæ duæ, terræ quam Romani vocant selenusiam, vncia vna. omnia contrita cribróque tenuissimo increta reponito. cum vsus postulat, capiens medicamenti quod satis est, aqua subigito, deinde illini præcipito, diligentia adhibita, ne adurat. *Aliud.* Statim glabrum locum efficit. Calcis viuæ partes duæ, arsenici pars vna. hæc coniecta in pilam plumbeam & aqua superfusa, aut ptisanæ cremore conteruntur. at vbi nigrum colorem acceperint, calidos iubeto inungi, idque in balneo. glabrum enim corpus efficit. Si autẽ radix tenuis eruperit, incoquito lixiuiũ, & arsenicum, & ex aqua terito, aconitũmque in vas fictile iniectum coquito. vbi spissitudinem acceperint nigrũmque colorẽ, inungãtur. *Aliud.* Paridis orchysti, ilico pilos tollit. Sandarachæ vncia vna, calcis viuæ vncia vna, arsenici vncia vna. tusa cribratáq; reponito, ac vtitor quemadmodum prædictum est.

*Heraclidis Tarentini, subito pilos tollens.*

Calcis viuæ sextarius vnus, cimoliæ sextarius vnus, pumicis crematę sextarius vnus, arsenici partes quatuor. læuigata reponuntur. in vsu aqua diluito, & vtitor veluti prædixi. Hæc igitur Crito conscripsit. vti vero ipsis satius est, sicut & nunc mulieres vsurpant corpus oblinentes, deinde in tepidam balnei domum ingredientes, ac vbi sudare inceperint, strigili medicamentum ex aliqua corporis parte auferunt: deinde si pilos cum eo auferri sentiant, reliquum totum corpus abluunt.

*Quæ pilos corrumpunt, ita vt non amplius appareant.*

Scriptum est de his quoque in libris commoticis, etsi iam materiem medicam egrediantur: quocirca ego quoque solum simplicium in ipsis meminero, quæ in opere de simplicibus quoque dicuntur. Componunt enim proposita superius medicamenta, ex lepore marino, iecore thynni putrefacti, liquore cedrino, rana quæ in viridibus arundinibus depascitur sanie, testudinis marinæ sanguine, vitis albæ lachryma, hederæ lachryma, bryoniæ similiter, oleo insulso, marinis scolopendris, vrtica marina, stellis marinis, nitrum his & amurcam miscentes. paulo autem validiora ex viperis & salamandra componunt, oleo incoquentes, miscent autem ipsis & alcyonium & sandaracham, aliáque id genus.

¶ *Quæ extenuant pilos.*

Extenuantibus pilos vtetur quandoque etiam medicus, vt dixi: quę nō eandem vim cum psilothris obtinent. Quam enim vocauimus in commentarijs de simplici medicina vim abstersoriam, huius sunt ea quæ pilos extenuant. quemadmodum autem in omnibus genere similibus medicamentis, differentia in maioris minorísque ratione consistit: ita etiam in abstersorijs. Itaque ordeacea fabaceáque farina, præterea & eruina; aphronitrum & nitrum consueta omnibus sunt ad sordes abstergendas ipsis vtētibus. continuus autē vsus etiā pilos extenuat. Porrò quæ valentiorem habent vim abstersoriam, in ijs qui admodum duros magnósque pilos obtinent, assumpta hæc conueniunt. Huius notæ medicamentorum est nitrum crematum, nitri spuma, spumosúmque aphronitrum. in continuo vsu sunt etiam vasa nigra, quæ vocantur alexandrina, contusa minutim & tenui cribro increta. Pauperibus ego quoque fictiles testas, & quæ in clibano fiunt, pumicémque tum crematū, tum non crematū indicaui. gratis autem habebit aliquis ad mare obambulās, aut vrbe non procul à mare, testas crematas buccinorum, purpurarum, & aliorum ostreorum, sepiæ testa etiam citra vstionem. Hæc sanè pauperibus admoueo, reliquis verò alcyonium, radicem lanariam, veratra, item bryoniæ radicem, dracontij, aristolochias, canchry, panacis radicem, atque id genus alia. Tractatum est, vt dixi, copiosè in simplicium medicamentorum opere. Hæc odorata cupiens reddere, miscebis cyperum, melilotum, rosas siccas, iunci quadrati florem, iridem illyricam, melissophyllon, herbam cydoniam. & si opulentis paras medicamentum, inijcies spicam nardi & Indicam & Gallicam, montanámque, & terram erethriadem. immittes etiam mala bathrum, folium malabathri, amomum, myrrham, crocum, costum, & mentam. Qui autem caret sumptuosa materia, ei etiā viliores Cosmeticorum authores considerarunt, quorum & Crito meminit, in primo Cosmeticorum libro in hunc mo-
» dum scribens, Ollam fictilem, vacuam recentémque, operculatam, grandém-
» que capito, cui fragmenta cimoliæ impones. componantur autem hi quate-
» nus licet, spectaculi modo, vt media ipsorum regio vacua sit, inter fragmenta
» autem ponantur iuxta se inuicem mala cotonea recentia numero viginti. hæc
» per interualla immutare præcipito. deinde fictili operculato mala marcesce-
» re sinito. Cum vsus exigit, tollens quantum sufficit, læuigánsque vti iube-
» to, postquàm psilothra imposueris, suauem quendam odorem habent. *Aliud.*
» Rosas longè odoratissimas in vmbra ad diem refrigeratas, vt ipsæ solum
» madorem non habeant, in vas condito, & glebas cimoliæ, vti comprehensum
» prius est, substerne rosis, & rursus glebis interpone. deinde vase operculato si-
» nito combibere. vsus indicatus est.

¶ *De porrigine, seu furfuribus.*

Furfuribus similia ex capitis cute excidunt subinde nonnullis, cum se scalpunt: eóque Græci medici hoc accidens pityriasin appellant, ex prauis saniebus innascens, quas ijs qui hoc vitium curant, consumere scopus est. Clarū igitur est omnibus, medicamenta digerendi abstergendíque facultate prædita esse adhibenda, toto prius corpore præparato, si malignis succis plenum appareat. id quod in omnibus in memoria habendum censeo, etiam si inter di-

cendum omittatur. Porrò miscuerũt nõnulli dictis medicamẽtis etiam astringentia quædam, affectam particulã corroborare cupientes, ne influentẽ saniei colluuiem ex facili in se recipiat, sed renitatur ac repellat. cuius rei gratia etiã Archigenes in medicamẽto quod ex chalcantho componitur, ascripsit in hũc modũ, Hoc efficit, vt nihil in posterum generetur. Crito igitur in tertio Cosmeticorum huiusmodi medicaminũ materia statim libri initio tradidit. atq; idcirco, sicut nuper dixi, necessarium non est, me conscribere, cũ omnes eosdem libros habeant. at eorum quę Archigenes prodidit, meminero potissimũ: quoniam nõnullis ipsorum adiecit, ne rursus sinat symptoma generari. Scribit autem in hęc ferè verba, Victus ratio sit his nõ flatulẽta, nihil quod crassum succũ gignat obtinẽs: quod genus est tubera, fungi, bulbi, legumen, caro præsertim bubula, similiáque. Sint autem quę assumũtur ventri ducendo idonea, cõcoctu facilia, adiũgatúrq; mel cibis, liquamen, acetum cum sapa, condimẽtum, cuminũ & fœniculum. aliorum parcus sit vsus, & præsertim ab omnibus bellarijs abstinendum. Vinum prodest album & tenue, voluptati est vinũ dulce & mulsum. inter fructus autũnales præstantissima est vua quæ emarcuerit. deinde ficus ante cibum esse præstat. concoctionis autem probæ in primis cura habẽda est. obambulatio mitis conuenit, plurima manè, & vesperi optima. frigida lotio inter balnea potior est: calida lauanti incommoda est multa in aëre mora, & capitis superfusio magis quàm balnei solium prodest. postea copiose frigida refocillato, dormire ad satietatem, bono est. ira, iracundia, insolatu, vehementi perfrictione abstinendum, & omnibus, quæ caput replent.

*Archigenes ad furfures.*

In quibus autem furfures caput infestãt, admixtã fœnugręco cum betę succo & nitro cimoliam, felle bubulo vel suillo, acetóque macerans, illinito. deinde post horã abluens illinito chalcantho, nitro, ex oleo lęuigatis. aut glandẽ vnguẽtariã, & lomẽtũ, pari modo in aqua lęuigata coquito & vtitor. *Aliud.* Amygdalis amaris cortice exutis cũ aqua aut aceto abstergito. cum autẽ crines resecati fuerint, calida abluito. aut maluam agrestem in marina coctam vsque dum pars decima relicta fuerit, læuigato & abstergito. aut nitri spuma chalcanthóque pari pondere cum vino vtitor ter aut quater mense. hoc efficit ne in posterum regenerentur. Aut fæce vini Rhodij, aut pumice, & nitro æquali modo cum lupinis abstergito. aut cimolia cum fœnugræci diluto, nitróve tosto, & bulbo, * his simul totis paribus abstergito. aut picis liquidæ serũ illinens, alumen inspargito. Vet9, & his sine sale.

*De morbo pediculari, qui phthiriasis dicitur.*

Pediculorum copia in capite quibusdã subitò generatur, ex humorũ scilicet colluuie: calidorum quidem, non tamen quantum acris sanies caloris obtinet. Vnde constat pedicularem dispositionem in altã cute excitari, vbi etiam animalcula hæc gigni possunt: non per cutis summa, in quibus porriginẽ constitui dicebamus. Medicamenta igitur ipsorum oportet esse deficcatoria, magísque ex alto trahere & vacuare idonea inter ea, quæ porriginibus cõueniũt. Hæc sanè compositionis ipsorum methodus est. materia vero vsu comprobata (conuenit enim in omnibus, vt dixi animum adhibere, & ijs quæ experientia commendauit, fidere) tertio Critonis Cosmeticorum libro comprehensa

est, apponã etiam nunc ego Archigenis verba, quæ in hũc modum sonant, Auxilia morbi pedicularis. In pediculosis, herbę pediculariæ, quã staphida agriã ,, vocant, partes duæ, sandarachę & nitri, singulorum pars. cum aceto, & oleo ca ,, put inungito. aut rhus obsoniorum cum oleo lęuigatum similiter illinito. aut ,, oxylapathi radicem cum oleo similiter. aut veratro albo & herba pedicula- ,, ria nitróque pari pondere, cum oleo in balneo vtitor. aut marina, aut muria ,, meraca cum aceto foueto. Quòd si locus nudatus sit, herba pedicularia cum ,, oxelæo illinito. aut alumen tritum ex oleo inducito.

### ¶*De manantibus capitis vlceribus, quæ achores etiam dicuntur.*

Achor affectus est vnus ex his qui in capitis cute oriuntur. genere tumorũ præter naturam comprehenditur, propriam autem singularémq; appellationem propter accidentium proprietatem sortitur. Nam tenuibus admodum foraminibus perforatur, quæ subtilem humiditatis leuiter viscosæ madorẽ cõtinent. Similis ipsi specie est & alius cutis affectus, quẽ à faui similitudine κηρίον Græci nominant, quoniã foramina habet maiora, in quibus humiditas hymettio melli persimilis inhærescit. Origo ipsis est ex humiditate mixta, quæ partim tenuẽ saniem mordacem, partim crassum humorem occupat. Itaque tenuis, vt quæ mordax sit, primum sanè pruritũ ipsis excitat, temporis autẽ spatio ob pruritũ & tumor augescit, & foramina in eo constituuntur. Liquet igitur humores, qui affectum generant, esse vacuandos. si autem influxerint adhuc, prohibere prius influxum, & capitis vacuatione, & præterea totius corporis, vt in alopecijs antè comprehensum est. Quòd si affectus sit exiguus, sufficiunt saltem loco remedia inducta, quæ Græci topica & merica appellant, etiam si totum corpus purgatum non sit. Conueniunt autẽ ipsis propter crassitiem & lentorem humoris eos generantis medicamenta hunc incidentia, sed quæ facultatem digerendi & reprimendi necessario obtinent. Aceto eximium quiddam inest, vt quod incidat, præterea digerat, reprimat, repellátq; influxũ. nam substantia quidem modicè calidum est, plurima autẽ parte frigidum, partium subtilium. id quod in primo de simplicium medicamentorum facultate ostensum est. Sit igitur acre admodũ acetũ, nihil omnino qualitatis vini repræsentás: eóque mergens aliàs aliud metallicum medicamẽtum, achoras curabis. incipito autẽ ab imbecillioribus, prę sertim si dolor aliquis ipsis adsit. Itaq; cimolia huc cõducit & Cretica Leniáq; terra. itẽ pópholyx & spodiũ & argẽti spuma, & tenera cadmia. Quòd si his nõ cedat remedijs, medicamẽtum ex charta siccũ, aceto mersum illinito. Clarũ autẽ est ꝙ pilis prius ademptis hęc sis facturus. Si vero medicamentum ex charta videatur tibi acrius, miscebis ei argenti spumam: si quidem abunde morsum eius obtundere voles, æqualem pondere miscebis: sin intendere cogites, pauciorem: quemadmodum si etiam plurimũ vim eius soluere statueris, copiosiorem. Cum autẽ mihi quandoq; in agro medicamentũ ex charta nõ adesset, in patiẽtis domo speculatus chartulam inutilem, petito ellychnio ipsam cõbussi, mersámque aceto, patienti loco illeui, iniungẽs homini, vt postri die ad me veniret. nouerã enim quòd durã carne præditus cum esset, medicamentum toleraret. manè igitur cum ad me veniret, propemodum conualuisse eum videbam: eóque ad aliud medicamentum digrediendum non censui, sed eodem vti vbi consuluissem, sanũ omnino reddi-

tum postridie conspexi. Prudentis igitur viri vsus est, sicut dixi frequenter, peritique tum substantiæ affectuum, qui curantur, tum laborantis naturæ, sicut & medicaminum facultatis, non generatim solum, sed etiam secundum quantitatem cognoscere, vt coniiciat quotidie quali opus sit remedio. Nam in eo ꝙ medicamentum pridie inductum intendas aut dissoluas, quantum affectus dictitat, conueniens curatio absoluitur.

¶ *Ad achoras inflammatione tentatas.*

Si quando achori inflammatione & dolore infestato incidas, mitigabis nimirum dolorem ipsius antea medicamento liquido, concoquente, emolliente, & rosionis experte: cuiusmodi est parygron, ab Hera aliisque multis conscriptum. Manifestum autẽ est omnibus, quòd hoc ipsum in manu emollitũ spatula vnà cũ rosaceo, factúmq; vt illini possit, nõ emplastri modo induci, quale ab initio erat, impones. cæterũ idonea hoc tẽpore sunt & ea, quæ ad sedẽ ex vlceribus aut fissuris dolentẽ congruũt, de quibus suo loco ac tempore dicetur. sicut & ea quæ cancros mitigant. Hæc igitur omnia præmeditato tibi, & particulariũ medicamẽtorũ varietas vtiliter cognoscetur, quã ego quoq; auspicabor, medicamẽta ab optimis quibusq; medicis cõmẽdata, ordine persequutus.

¶ *Ad achoras medicamenta Archigenis.*

Archigenes de achoribus in primo de medicamentis secũdum genera hæc scripsit, In quibus achores, aut caloris eruptiones, aut pustulæ quædam cum vlcere caput infestant, abstinebunt sanè ab omni acri & salso, præterea acido. deinde rasis capillis aut ter aut sæpius quotidie calida lauato, in qua decocta sit myrtus, aut lentiscus, aut rubus, aut bryonia, aut sycaminus, aut lupini, aut lẽtes, aut asparagi radix. præcipuè quum sanies copiosior effluxerit, inducito salicis folia cum aqua, aut lenticulã cum melle, aut asparagi radicem coctã similiter. aut miscens fœnugrecũ betæ succo imbutũ, vtitor probatis Liparis. *Aliud summe efficax.* Piceæ cortex cum cerato, aut cadmia cum oleo veteri illita, aut cinnabari similiter læuigato, miscens ei myrta applicato. aut conchas ostreorum crematas, singula cum oleo veteri inungito, aut spodium & mãnam in vino. efficaciter valet etiam chalcitis cũ aceto & oleo veteri illita, aut betæ decocto cum cimolia exiguo in balneum miscens salem. aut altercum & semperuiuum modicum læuigata cum rosaceo ad mellis spissitudinẽ illinito. aut purgatis vlceribus smegmate aliquo, exempli gratia cimolia fricta cum vino, aut fęce vini rhodij combusta cum aceto veteri probè, aut cucumeris syluestris radicis decocto similiter, aut tragacanthum, aut argenti spumam, aut sandarachæ portionẽ duplicatam illine cũ vino, vel etiam myrteo, ceu pingui medicamento. aut argenti spuma, & calce viua pari portione, cũ aceto oleóque illinito. aut chalcitide cũ myrteo, aut felle suillo liquido inungito. Hæc sane Archigenes prodidit, non modo empiricam cõplexus disciplinam, sed etiam indistinctã. Inuenire enim est apud empiricos, qui ex ipsis non in contentiosis disputationibus vitã contriuerunt, sed in medicinæ artis operibus studiosè se exercuerunt, in quibusdã notis apparentibus manifestas distinctiones explicatas. quales ego quoq; paulò antea in alopecia tractaui. dicã autem etiam nunc in ipsis, quæ Archigenes docuit, medicamentis. Nonnulla siquidem ipsorũ achoras incipientes sine malignis totius corporis humoribus,

aut ipsorum copiâ medentur, astrictoriam, repulsoriámq; vim obtinētia. nonnulla verò achoribus grauia minantibus, incrementis ipsorū obsistunt, repellentia simul id quod influit, simul etiam concoquentia, & id quod continetur discutiētia. clarū autē est mixtæ facultatis esse oportere. quædā superficiarijs, & exiguis solis auxiliantur, quæ mediocria facultatibus esse cōuenit, & nihil quod irritet, habere, ex digerendi facultate prodeuntia. alia verò fortissima vi pollent, vt etiā achoras à crassis admodum & viscosis creatos humoribus, infarctósque cuti cōtumaciter, possint euacuare. quare, etiam si iam scirrhosum aliquid habeāt, hoc quoq; vi expellant: licet ipsum cutis habitum in eiusmodi prauitatem ducant, vt id quod influit corrumpant, etsi benignum fuerit. Hæc sunt ex efficacissimis medicamētis composita, qualium Archigenes meminit, permiscens sales alijs digerendi facultate præditis. sal enim & chalcitis, & cremata fæx vini, & sandaracha, & calx viua valentissima facultatibus medicamēta sunt, calefaciētia, rodentia, & discutientia. Huius generis sunt & fel calidorum siccorūmq; animaliū, quorum non meminit Archigenes, verum suilli solius, quod omniū est moderatissimū. cui virtute respondet & cinnabari, huic proximè accedunt conchæ combustæ & ordeum, postea oleum vetus. Quemadmodum autem hæc exagitant, incidunt, & discutiunt, id quod violēter impactum est: ita astringentia repellunt, alia omnino syncera à contrarijs facultatibus: quędam excellentia vi astrictoria. myrtus enim & myrta, piceæ'q; cortex integra sunt à contrarijs viribus, sicut & rubus & sycaminus: quāuis mediocri magis astrictione sint prædita quàm myrta, ipsáq; myrtus, sed particeps est tamen huius sensibiliter. myrteum mixtæ virtutis est ex oleo & myrtis, vel myrti succo compositum. quorum oleū sanè molliendi virtute pollet: myrtus autem & myrta, astrictoria: quæ non mollire, sed contrahere & stringere nata est. Rosaceū imbecilliorem sanè astrictionem, quàm myrteū obtinet, attamē & ipsum mixtę facultatis est. Sicut autē hæc confecturis mixtas vires possidet, sic alia sua sponte, quemadmodum lentiscus, cyperus, & lenticula. id quod ostensum est in libro, quo de ipsis tractaui. Digerendi autem & abstergendi facultate, sine calore sensibili prædita sunt, quorū Archigenes nuper meminit, beta & cremata cimolia: at priusquam cremetur, imbecillior betæ virtute est, verū cucumeris, bryoniæ, & asparagi valentior. argenti spuma generosius medicamentum est, quàm cimolia, ignem non experta, imbecillius autem multò quàm vt propositum affectū curet. Cadmia in mediocribus magnitudine achoribus commoderata est, spodion citra rosionem siccat. manna etiam concoquit. Oleum vt nuper dixi, laxatorię quidem facultatis est, sed huius inualide, atque ideo in mixtura facilè vincitur. nam cum emplasticis & refrigeratorijs, qualis est cerusa, illud magis potest vim suam ostendere, vt substantiam corporum quæ contingit cōtrahat, denset, & stringat. Verum hæc omnia in Archigenis oratione permixta sunt, vt qui neq; ipse distinxerit in qualibus achoribus: neq; quando vtendum sit vnoquoq;. Vsurpat autem vinum, non adijciens quale, etsi permultum inter vina sit differentiæ. aliud enim esse austerum, aliud acerbum, aliud dulce, aliud acre, manifestum existit. nōnulla etiā plures simul qualitates repræsentant, vt quæ habeant aliquid & dulce, & astringens, & acre. Cum igitur simpliciter aliquis scripserit, immergere vino quippiā, conijcere

Medicamenta valida rodentia

Fel suillum

Astringentia

Spodion, manna

lectorem oportet, quénam scopum medicamenti compositio obtinet, atq; huc respicientem idoneum eligere: astringens sanè, in quibus repellere voles: acre, in quibus discutere. & alia, vt vniuscuiusq; vim indicauimus, vbi differētias vi norū comprehendimus. Acetum verò quouis tempore ad achoras est accōmodatissimum, vt quod incidat crassos, viscosos humores, discutiat repellátque id quod influit. Non autem solo priuatim vtetur aliquis, nisi abluere & abstergere achoras volet. verùm immergens ipsi medicamenta, mediocria quidem, in quibus affectus incipit exiguúsq; est: valida autem, in maioribus lōgioribúsque: valentiora autem, in longissimis & curatu difficillimis. at differentia quę ex robore medicamentorum sumitur, nuper à me comprehensa est. Ex ijs autem medicamentis quæ tradidit Archigenes, nequaq̄ vterer semperuiuo & cerusa: quippe illud refrigerat fortius quàm conueniat achoras incipientes refrigerare, cerusa autem modicam sanè habet vim refrigerandi, sed est medicamentum emplasticum, in cuius vicem vti licet spodio & pompholyge.

*Quæ Apollonius in primo de remediis paratu facilibus ad achoras inscripserit.*

Apollonius in primo de remedijs paratu facilibus ad achoras primum quidem in hæc verba scripsit, ,, Caput rosaceo oleo inungito, deinde post hoc betæ ,, succo similiter, tertio ab ijs testudinis sanguine eodem modo vtitor, quarto ,, laurino oleo caput illinito, quinto crocino vnguento inungito similiter. Inter hæc primum conscriptum imbecillimum est: pueris, mulieribus, & tenera carne præditis vtile per affectus initia. etenim concoquit, digerit, repellit, omniáque mediocriter efficit. Secūdum, vbi betę succo vti consulit, efficacius quidem est rosaceo, digerendi facultate præditum, non tamen ad validas confirmatásque achoras accōmodatum. Testudinis sanguis superfluus est, & ne experiri quidem vnquam tētaui. Quod deinde scriptum est, laurinum valide calefacit & digerit. opus autem est, vt vacuatum sit, & totum corpus & caput, vt humores achorem generantes discutiat. crocinum vnguentum habet quiddam & digerens & astrictorium, & concoquens. valentiora autem tria hæc rosacei natura sunt, idcirco quæ de illo dicuntur, de his quoque colligere licet. Post hęc ordine hisce verbis scriptum est, Tauri vrina exterito, deinde post hoc facit ,, etiam cameli vrina huic persimilis. vtendum erit his, inquit, pluribus diebus. Verùm ego ei dixerim non modo non pluribus diebus, sed ne vno quidem solo purus ac elegans homo sustinere poterit vllius huiusmodi animantis vrinā capiti superfusam, ídque in affectu tam exiguo & curatu perfacili. dis enim dia pason fit, quod dicitur, & rosaceo vti minima virtute prędito propositi symptomatis respectu, & tauri cameliśque vrina acerrimis, grauissimis, insuauissimísque existentibus. Post hæc tale quoddam medicamentum in eam senten- ,, tiam scriptum est, Furfurum, chœnicis dimidium in aquę heminis duabus ma- ,, cerato, mox tritum percolatúmque succum incoquito cum aceti heminæ dimidio, vsque dum sordium spissitudinem habeat, atque hoc caput exterito, ,, deinde aqua colluito, aut betæ decocto, aut fœnugręci, aut lupinorum. illitu ,, autem vtitor irini vnguenti sedimento. Hoc medicamentum digerit citra rosionem, ex ijs quæ vocantur abstersoria compositum. talis enim facultatis est furfur, beta, & lupinum: fœnugræcum digerit; necnon calefacit mediocriter, ex hoc genere est etiam irini vnguenti sedimentum. De aceti virtute

antea quoque dictum est, nempe ad achorum affectum esse idoneum. quare vtendum est vt medicamento accommodatissimo efficacissimóque. aliud ab hoc medicamentum Apollonius his verbis tradidit, Cucumeris syluestris radices decoquito, succo ipsarum achoras exterito. Di dicimus cucumeris radicẽ vim habere admodum digerentem. Ab hoc istud medicamentũ sequitur, Terræ cimoliæ, sulphuris viui, paria pondera cum aceto in balneo inducito, eóque achoras exterito, calida aqua abluito. hoc etiam inungere conuenit medicamentum, non solum, vt dixi, in balneo vti. quippe omnes obtinet facultates, quibus affectus indiget: cum acetum quidem ipsas habeat, sicut etiam prius cõprehẽsum est. sulphur autem solum vltra quàm par est calefacere possit, & digerere. idcirco probè ipsi cimoliam admiscuit, id quod ex ambobus cõpositum est, ad temperamenti symmetriam reducens. Subsequẽs autem medicamentum, vbi ait maluam siccatam contusámq; in vrinam spargito & exterito, reprehendo, quantũ & prius vrinæ vsum reprehendi, etsi vim ipsius ego quoq; affectui cõuenire dixerim. Deinceps autẽ scriptũ, in quo ait, fici folia in aqua cocta, eadémq; aqua soli exposita, & fece tosta indita, exterito, post hęc abstersorijs pilos illuito, facito autẽ abstersorium acre, quousq; in balneo illitũ non possit achorem vehementer irritare, præsertim si quis ordine, vt iussit, colluat, hoc est, aqua dulci caput superfundat. cæterum id genus medicamentis vti securum nõ est. Nam fęx combusta admodum acre est medicamentũ, vt in opere de simplicium medicamentorum facultate ostensum est. Quod autẽ succedit medicamentum, tutũ vsum obtinet, ac vtetur aliquis eo audacter, ex argenti spuma & laurino composito. miror autem quomodo oleũ tanq̃ laurino simile, medicamento misceat, hunc in modum scribens, Argenti spuma læuigata ex oleo albo aut laurino caput calida aqua prius lotũ inũgito. permultum enim cõmune hoc oleum, quod album vocauit, à laurini virtute abest, ex diuerso ipsum à laurino distinguens. Quod post ipsum scriptum est, similẽ habet absurditatem: quippe loco argenti spumæ cerusa vtitur, mergitq; ipsam myrteo aut laurino, medicamentis permultum differentibus. etenim hoc repulsorium est, illud admodũ calefacit, digerit, atque vsus nimirum repellentis per initia est, digerentis autem, humore, qui achoras generat, iam infixo firmatóque. item rubi canini folia, quorum deinde meminit, quę contundere & exiccare, mox oleo misceri iubet, imbecille sunt medicamẽtum, incipienti autẽ affectui solum accõmodatum est: quippe quòd canis rubus astringat. Tale est medicamentum etiam plumbago cũ cerusa ex vino vsq; ad spissitudinem macerata, vt medicamentum fiat quod possit illini. contrarię autem prædictis potentiæ est, quorum ęqualiter meminit, nullã adijciens distinctionẽ, tum ei quod ex nasturtio, tum illi quod ex scylla constat. Scribit autem de priore in hanc sententiam, Nasturtij & salis pari modo adipi anserino mixto læuigatóq; vtitor. De secundo in hunc modum, Scyllam in fornace defossam, quemadmodum cucurbitã, vbi mollis facta fuerit, exprimito: deinde succũ oleo miscens, non copiosum illinito. Liquet autem in omnibus, multo hoc esse vehementius, id quod ex nasturtio præparatur. Quod deinceps scribit, lenissimum est remedium, si dolor aliquis vehemens in achore fuerit, quatenus mitigãdi gratia decenter adhibeatur: si autem durum & inueteratum achorem discutere

voluerimus, omnino imbecille. scripsit de eo Apollonius in hunc modū, Hemina olei gratissimi in plumbeam pilam infusa, cochleari plumbeo sumpto subiga squousque crassum euadat & subnigrum, deinde argenti spumę & cerusæ, vniuscuiusq; libram vnā subactam oleo misceto, post caput elotum siccatúmq; medicamen inungito, non ex oleo simpliciter, sed interim ex rosaceo, interim ex myrteo præparatum. in ani excrescentijs, rupturis, & vlceribus dolorificis præstātissimū habebis, & in id genus alijs, quę validioribus medicamentis adhibitis irritantur. hæc enim summe leniunt mitigántque, si phagedęnica, si cancrosa, si quomodocunq; malignū aliquid habentia videantur. Non igitur oportebat confectionem ipsius nunc scripsisse, sed vt ego antea dixi, satis erat dicere dolorificos achoras eiusmodi medicamētis leniri. Cōmune enim hoc in omnibus est dolorificis, peculiariter autē facit achoribus. Scripsit deinde eiusmodi medicamentum, Argenti spumæ drachmæ octo, rutæ foliorum tenerorum drachmæ quinq;, olei drachmæ octo, aceti heminæ pars quarta. cōtritis in eodem caput illinito. Hoc medicamentum abundè satis experientiæ nobis dedit. persimile ei virtute est, & quod ab eo deinceps in hac symmetria scribitur, Cerusæ drachmę sex, argenti spumæ drachmæ quatuor, ceræ drachmæ sex, olei rosacei, aut myrtei quod sufficit, vt ceratum liquidius facias. sicca cerato miscebis, & caput inūges. hoc etiā ad totius corporis eruptiones, quę exanthemata dicuntur, valde vtile est. quare vere etiā hoc ab Apollonio scriptū est. Quod autē hoc sequitur, admodū digerit, vt quod spumā nitri copiosam recipiat. nam nisi olei copia coerceretur, acrius esset q̄ cōuenit. vult enim vni argenti spumæ parti quintuplā spumæ nitri admisceri, atq; his cōtritis paulatim oleum affundi, vsq; dum spissitudinem ad illinēdum idoneam accipiat.

### *Quæ medicamenta Crito ad achoras conscripserit.*

In libris de medendis morbis generalis vniuscuiusq; affectus præsidiorū vires persecutus, paucorū memini exemplorū materiæ definitę, differēs indidem omniū ipsorū congeriē tractare. in præsentia autē omnia, quæ ab omnibus prodita sunt medicamenta prolixū esset cōscribere. Quę verò ab insignibus experientia viris cōprehensa sunt, satius visum est vniuersa enumerare, vt etiam ea quæ propinqua inter se omnino eadē esse videtur, paulū autē euariant pōdere aut confectione, perlegentes qui hosce libros tractant, illa potissimū pręparēt, quorum materię copiam habuerint. Interdum enim vel neutiq̄ inuenimus quædam miscendorū medicaminū: aut eiusmodi inuenimus, vt ea inijcere non audeamus. Huius autem cura maxima in omnibus medicaminū confectionibus habenda est, vt quę miscentur, sint vigentia & probata. Idcirco igitur iam etiam Critonis omniū meminero, qui mihi diligentius achorum curatione persecutus videtur. In quinq; igitur sermones disciplinā ipsorū distinxit, quorū primi ego quoq; mentionē faciam. Primus sermo Critonis de achorum curatione. Scribit igitur in hæc verba Crito, Ad achoras capiti oboriētes (fiūt autem hi plerūq; furfuribus & propemodum scabie præcedente) initio vtendum est cōfectionibus subscriptis. Ad achoras recētes. Glutino fabrili cū aqua cocto illinito. *Aliud.* Papaueris syluatici & alterci folia cū oleo illinito. *Aliud.* Fici surculos aut folia tenera ex aqua trita inducito: in vetustis, ex aceto cōteres. *Aliud.* Nucum amararū interiorem partem in aquā tepidam iniectā, & cortice

exuto cũ aqua terito, & vbi cerati ſpiſſitudinem feceris, loco prius deraſo imponito. In diuturnis cũ aceto diſſoluito. *Aliud*. Stercoris ferri & roſarũ æqualẽ portionẽ ex vino tritam imponito. Nõnulli vero vbi contriuerint, cerato quod ex roſaceo præparatũ eſt, excipiunt. Secundũ ſermonẽ de achorum affectu in hanc ſententiam ſcripſit, Cum autem ſuperficies circũtenditur, eóq; moleſtatur, infrà poſitis cõfectionibus vtẽdum eſt. Lipara ad achoras, pſydrachas, feruidas eruptiones, attritus. eſt & ſedi bonum remediũ. Argenti ſpumę drachmæ quinquaginta, rutæ tenerorum foliorum drachmæ vigintiquinq;, aceto diſſoluta, roſaceóq; excepta aut myrteo, pinna illinito. *Alia*. Argẽti ſpumę drachmę ducentæ, ceruſæ drachmæ centum & quinquaginta, rutæ drachmę centũ, herbę pedicularię drachmæ vigintiquinq;, aceti ſextarij tres, myrtei libræ tres. terito particulatim liquorẽ adijciens, & componito quemadmodum prędictum eſt. *Alia*. Ceruſæ drachmæ cẽtum quinquaginta, argenti ſpumę drachmæ centum, rutæ drachmæ centum, myrtei ſextarij tres. terito particulatim liquorem adijciens. *Alia*. Ceruſæ combuſtę drachmę centũ, rutę drachmę centum, mannę, thuris, paria pondera, piceę corticis drachmę quinquaginta, olei myrtei ſextarij duo, aceti tantundẽ. cõponito ſimiliter. *Alia*. Recremẽti plũbi drachmæ centum, pampinorum vitis drachmæ centum, thuris drachmæ centũ, myrrhæ & aphronitri paria pondera, aceti & myrtei quãtũ ſatis eſt. In tertio huiuſmodi ſcribit, Cum diſpoſitio in vetuſtatem incidit, vtendũ eſt ſubiectis confectionibus. deinde ordine ſcribit Damocratium ad achoras humentes & diuturnos. Ladani drachmæ octo, ceruſæ tantũdẽ, ſulphuris viui drachmæ quatuor, vino & myrteo oleo vtitor. *Alia*. Argenti ſpumæ drachmæ octo, pãpinorũ vitis drachmę octo, hypociſtidis ſucci drachmę quatuor, aphronitri drachmę duę, gallarũ drachmæ tres aut duæ. aceto & myrteo vtitor. *Alia*. Malicorij, gallarum, acatiæ rubentis, vino malicoriũ gallaſq; incoquito, acatiã vino diſſolutã reliquis diligẽter læuigatis adijcito, & cũ bene habuerint, myrteo excipito. *Alia*. Argẽti ſpumę, ceruſę, alterci, miſyos, cicutę ſurculorũ paria põdera, thuris cõbuſti, ſurculorũ oleę ęqualia põdera, excipito aceto, lentiſcinóq;, oleo & vtitor. *Alia valde generoſa*. Ceruſæ combuſtæ drachmæ octo, argenti ſpumæ drachmæ octo, chalcãthi drachmæ quatuor, rhus rubri drachmæ quatuor, ſulphuris viui drachmę duę, opij drachmæ duę, myrrhę drachmæ duę. aceto & lẽtiſcino oleo excipito. Quartũ ſermonẽ de achorũ curatione his verbis tradidit, Quoniã verò ex inſcriptis ad achoras multa ſiccant, magíſq; dolorem inferunt tanquã ſuperficie circuntenſa, vtendũ eſt ſubſequẽtibus confecturis, quibus licet citra dolorẽ proficere. Leuce inſuperabilis efficax ad achoras humẽtes, cõtumaces. itẽ ad feruidas eruptiones & attritus. Argẽti ſpumę drachmæ centũ, ceræ drachmę centũ (alij quinquaginta) ceruſæ drachmę centũ, thuris drachmę vigintiquinq;, aluminis ſciſſi drachmę ſedecim, terebinthinæ drachmæ vigintiquinque, piperis albi drachmę tres, olei ſextarius. Cũ autem mutata fuerint, adijcito cerã reſinámq;, & moueto donec manus nõ inquinẽt. deinde vbi ſuſtuleris ab igne, & aliquantũ refrigerari permiſeris, ſicca adijcito, & in pilã tranſfuſis emollitíſq; diligẽter, vtitor illinẽs in linteolũ, & tertio die ſoluens. Magis autẽ iuuat medicamẽtũ, ſi miſceatur Melinæ Paſionis dictæ, vt duę quidem ſint partes Leucę inſuperabilis, vna autẽ Melinæ Paſiõis dictæ. *Aliud*. Ceruſę drachmę

centum viginti, argenti spumæ octoginta, ceræ drachmæ vigintiquatuor, terebinthinæ drachmæ duodecim, mannæ drachmæ sedecim, aluminis scissi drachmæ octo, olei heminæ duæ. componito quemadmodū prædictū est. Meline Lucij, omnē fluxū exiccans ad achoras diuturnas & humētes efficax. Ceræ drachmæ octo, sandarachæ drachmæ quatuor, seui vitulini drachmę quatuor, terebinthinæ drachmæ duæ, thuris drachma vna, myrrhæ drachma vna, aluminis scissi combusti drachma vna, piceæ corticis drachma vna, olei myrtei quod sufficit. quę liquari possūt, siccis superfūdūtur. *Alia* Meline Hyini, omnē fluxum desiccans. Argēti spumæ libra vna, cerusæ libra vna, salis fossitij libra vna, aluminis scissi selibra, chalcanthi vnciæ sex, olei sextarij duo, aceti sextarius. Incoquito oleū, salē, cerusam, argēti spumā vsq; dū manus non inquinēt. sicca autē cōtusa, increta, aceto dissoluta, medicamēto frigescēti inijcito, paulatim aspergēs, mouēnsq; cōtinenter. deinde in mortariū vbi trāsfuderis & emollieris curiosè, excipiens vtitor. Thebei, ad achoras humentes. Argenti spumæ drachmæ quadragintaocto, cerusę vigītiquatuor, corticis thuris drachmę duodecim, gallæ immaturæ drachmæ duodecim, ceræ drachmæ octo, resinæ terebinthinæ drachmæ sedecim, olei sesquihemina. componito, vt prædictum est. Incipit autē quintum sermonē de achoris Crito in hunc modū, Cum dispositio declinat, & omnino cicatrix nascitur, ad totius dispositionis sublationem subscriptis confectionibus vtendum est. deinde ordine smegmata conscribit plura, iuxta hūc modū singula. Smegma ad achoras, furfures, asperitates, scabiē. Terrę cimolię libra vna, nitri rubri libra vna, myrobalani expressionis vnciæ sex (alij libræ sex) myrrhæ drachmæ octo, piperis albi drachmæ octo, nardi gallicæ drachmæ quatuor, casię drachmę quatuor, costi drachmæ quatuor. contusa cribratáque reponito. vsus est in balneo. *Aliud.* Nitri rubri libræ quatuor, terræ cimoliæ tantundem, myrobalani expressionis libræ duæ, cyperi libra vna (alij quatuor) baccarum lauri libra vna, iridis siccę libra vna, bryoniæ radicis, struthij, amygdalarū purgatarū, cornu ceruini combusti, singulorum libra vna. componito quemadmodum prædictū est. *Aliud.* Fæcis vini combusti, quam Romani feculam nominant, libræ vigintiquatuor, aquæ fluuialis sextarij vigintiocto, thuris libræ duæ, terræ samiæ libræ duæ, olei sabini libræ quatuor (alij sextarij quatuor) cerę libræ tres semis. fæcem & aquam in cadum fictilem non picatum coniecta sinito ad dies septem commadescere, ac ferula ter quotidie moueto. subsequenti die vbi dissolueris & per saccū colaueris, liquorē in vas ęreū splendidū, transfusum, igníq; impositū coquito, lucidiore igne vtens. & cum tertia pars confecta fuerit, oleū & ceram indito, ac rursum leui igne vtens incoquito. cum autē iniecta liquefacta fuerint, thus & terram samiam læuigata inijcito. vbi rursus contuderis, in vas vitreū validū traijcito. nam subtilia rumpuntur. cum vsus postulauerit, locum affectum circūlinendo & diligēter infricādo abstergere conuenit, rectè quidē in balneo: sin minus, domi. etenim vtile est medicamentū ad omnem sorditiem, asperitatē, & scabiem, impetiginésq;. *Aliud.* Fæculæ libra vna, aquæ pluuialis sextarij sex, thuris albi librę duę, mastiches librę duę, alcyonij libra vna, guttę āmoniaci librę duæ, terræ samię libræ duæ, olei rosacei libræ duæ, cerę tyrrhenicę albæ libræ duæ, fęcē in aquā immergito, vt prędictū est, ter quotidie ferula cō-

mouens valide, deinde liquorem sacco traiectum & in vas splendidum transfusum, ignique impositũ ad dimidias discoquito: deinde quæ liquari possunt addito. vbi dissoluta fuerint, alcyonium in tenuissimum puluerem redactũ inspergito, sint autem in procinctu aqua fæcis dissoluta leuigatáque porbè, thus, ammoniacum, masticiche, terra samia, vt sordium spissitudinẽ habeant. hæc inspergito adijciens, subigénsque diligenter. exceptis vtitor. *Aliud* Diasmyrnon appellatum. Fęcis combustę librę vigintiquatuor, aquæ pluuialis sextarij quadragintaocto, olei sabini libræ quatuor, ceræ librę quatuor, terræ samiæ libræ duę, thuris librę duę, mastiches libra vna, guttę ammoniaci libra vna, myrrhæ drachmæ octo. componito, vt prius à me comprehensum est.

*Quæ Cleopatras ad achoras in Cosmetico prodiderit.*

Quæ Cleopatras conscripserit ad achoras, deinceps illiusmet verbis explicabuntur. Ad achoras. Fœnugręco tenui incocto, nigræ betæ succo macerato caput eluatur. aut betæ decocto, aut terra cimolia macerata. his elutũ oblinatur, myrto læui cum œnelæo, super betæ folia applicentur. *Aliud* Ad vlcerosas admodum. Cerusæ torrefactæ drachmæ duæ, thuris drachmę duæ, sulphuris drachma vna. læuigata ex oleo inunguntur. *Aliud* Etiam ad furfures efficax. Nitri, chalcanthi singulorũ drachma vna, leuigata & ex oleo delinũtur & illinuntur. *Aliud* Ad achoras. Myrrham & myrti albi viridia folia leuiga in vino, vbi contriueris, delinito. aut terra cimolia incensa cum vino nigro obducitur. aut cerusæ & plumbaginis paria pondera vtriusq; , cum myrteo læuigata inducito. aut sulphuris viui drachmæ sex, thuris masculi drachma vna, aluminis scissi, herbę pedicularię, erucę, nitri spumę, singulorum drachma vna, chalcanthi drachma vna, rutæ germina tria. læuigatis aceti modicum adijcito, & laurinũ oleum, aut myrteũ, aut crocinum, aut vetus oleum: ac vbi liparam, hoc est, pingue medicamentum effeceris, illinito, vbi locũ hoc smegmate prius absterseris. Oesypi staterem vnum, lupinorum stateres duos, ptisanę staterem vnũ, lomenti staterẽ vnũ, cucumeris syluatici radicis drachmas quatuor. Hæc leuigata misceto, & ad abstergendum exhibeto. idẽ facit etiam & ad lepram, & ad varos.

*Quæ Soranus ad achoras conscripserit medicamenta.*

Quoniam & Soranus de achoribus conscripsit, tum in quarto de medicinis, tum in monobiblo medicamentorio, medicamenta nonnulla etiam nobis per experientiam cognita, partim nostro vsu, partim apud pręceptores aut amicos medicos, contemplatis hęc quoq; adijciemus, sic ad verbum prodita. Cum multa sanies excernatur, & dolor vehementer affligat, cataplasma cõueniẽt ex lente leui cocta cum mellis momento, aut ex pane cum coriandro, aut plantagine, aut solano, aut seri, aut polygono, aut perdicio herba. Soranus igitur tanquã in affectu hoc implicato huiusmodi remedia adhibet ex propria ipsius opinione causam adferens. videntur autẽ reuera prodesse dum incipit affectus & generatur, communi repulsionis ratione. Deinceps ait, Cum accessiones remittunt, locum tondere oportet, & abstergere fœnugręci decocto, item betę similiumq; ex aqua, non ex vrina. sicut & nos antea dãnauimus eos, qui ex vrina misturam molirentur. Deinde ordine subdit medicamenta etiam nobis, vt dixi, cognita. Plumbaginis, sulphuris viui, paria pondera. læuigatis affundito

roſaceum, aut myrteum, aut lentiſcinum vſque dum ſordium ſpiſſitudo facta fuerit, & illinito. *Aliud.* Sulphuris viui, argenti ſpumæ, ceruſæ, ſingulorum pares modi, croci pars dimidia. læuigata ex paſſo cretico delinuntur. *Aliud.* Rutæ læuis drachmæ quatuor, argenti ſpumæ drachmæ octo. aceto oleóque roſaceo mixta illinito. *Aliud.* Argenti ſpumæ drachmæ viginti, calcis viuæ totidem, aceti hemina. leuigata inſtar liparæ illinito. *Aliud.* Chalcitis drachmę duę, ſandarachæ drachmæ quatuor, argenti ſpumæ drachma vna. vino auſtero & myrteo læuigata illinito. Ab hoc deinde medicamento Soranus aliud ſcripſit validum, quod ſecundum ſuæ ſectæ inſtitutum nominauit metaſyncriticon, quaſi dicat recorporatitium. conuenit autẽ diuturnis & contumacibus vitijs: quo etiam vtens aliquis familiarium medicorum clarus extitit. Olei cedrini ſextarius, aceti acris ſextarij tres. coquito vſque dum acetum euaporet, deinde adijcito adipis porcini, ſalſi, veteris, libras duas, quo liquefacto & olla ab igne depoſita adhuc inſpargito nitri læuis vncias octo, ſulphuris viui vncias ſex, ſandarachę vnciam vnam. poſtquam medicamentum illitum inaruerit, iubeto in balneo abſtergi, tum commemoratis, tũ vino, & ouis, & nitro, & cucumeris ſyluatici radicum decocto, aut fæce rhodia, & pumice cum aqua calente.

*Ad pſydracia, achoras, vlcuſcula, & puſtulas, quæ exanthemata dicuntur, capiti oborientes.*

Ad prædictos affectus adhibenda eſt idonea victus ratio, corpus purgandũ & caluaria, pilulis ex aloë, colocynthide, & ſcammonia, ita vt pilulę quę exhibentur, braſſicæ ſucco exhibeantur. deinde loco inducetur remedium, cuiuſmodi eſt adiantum cum roſaceo illitum, aut fœnugræci decoctum ad abſterſionem adhibitũ, aut malua cum ordeacea farina cataplaſmatis modo adhibita, aut melilotum cum fœnugręci farina ex vino applicatum, & cicerum decocto. item ipſa cocta applicata proſunt, vel nuces amaræ manſæ & illitæ. diſcutit etiam maximè lilij radix, ſi locum ea abſtergas. item thus cum vino & aqua, & lupinorum amarorum decoctione ad abſterſionem accommodatum. Bulbi cum nitro infricati, thus ex aceto illitum, mali granati coria ex laurino oleo illita: adhæc anchuſę radices crematæ tritæque ex oleo, vt ſordium habeant ſpiſſitudinem, inunguntur pinna, & proſunt.

# CLAVDII GALENI

## PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER SECVNDVS, Ioañe Guinterio Andernaco interprete.

*De omni capitis dolore & Hemicrania generalis doctrina.*



QVi capitis doloris præſidia citra diſtinctionem literis mandarunt, plus noxæ quàm commodi ijs, qui fidem ipſis adhibuerunt, attulere. Non enim ob vnam omnes diſpoſitionem corporis, capitis dolore infeſtantur, verum & plures ſunt hę diſpoſitiones, & propria ſingulorum curatio. Vna ſiquidem diſpo-

sitio ex simplici intemperie citra humores consistit, altera ex horum qualitate oritur, queadmodũ & tertia quędam alia ex copia ipsorũ duntaxat generatur. præterea quũ hi humorũ & vaporũ transitus obstruxerint. Insuper alia habetur, quũ ex imbecillitate quibusdã capitis particulis, spiritus flatulentus fuerit innatus: interim etiã ex causa quadã primaria, quã Gręci procatarcticã appellant, vtpote æstu solis extrinsecus, aut frigore, aut ebrietate, aut ictu. Vehemẽtissimi igitur capitis dolores ex caliditate & frigiditate nascuntur, præsertim quũ inæquales extiterint: mediocris, qui ex siccitate proueniunt: humiditates, nullus dolor comitatur. Pari modo etiã si propter humores redundantes, vel in omnibus capitis particulis, vel in vna quacunque, vel duabus dolor accidit: vehemens sanè ex calidis & frigidis enascitur, mediocris ex ijs qui exiccant citra caliditatem, aut frigiditatem conspicuam. qui humectant, nullum prorsus dolorem inuehunt, quantum ad qualitatem attinet. Etenim ob copiam instrumentarios morbos cõciliant, nullũ autẽ similarem, in quibus solis dispositiones ex intemperie simplici gignuntur. quæ ex copia nascuntur, sine obstructione caput quidem grauant, cum obstructione verò mediocriter sanè dolorificæ, ob modicas obstructiones, valde autem ob validas eueniunt. Quòd si etiam mordacem habet qualitatem humoris copia, hac quoque parte dolorem augebit. Hæ sanè dispositionum differentiæ, quantum ad causas efficientes pertinet. Aliæ vero ex particularum patientium natura sumũtur: aliquando enim extra caluariam affectus habetur, aliquando intra, & nonnunquam omnium exteriorum vel interiorum est, nonnunquam non omnium est, sed vnius generis corporũ, nempe arteriosi, aut venosi, aut neruosi, aut membranosi, aut cutis, aut ipsius cerebri. Difficillimum itaque est locum affectum dinoscere, vnus ne sit, an plures vno, aut quinam hi existant: imò nec dispositionem inuenire prõptum est, sed hoc quoque hominem requirit, qui se literarũ studio ac ratione, multáque & continua ægrotantium dispositionis inspectione exercuerit. proprietates siquidẽ nonnullæ prorsus sunt indicibiles, nonnullæ vix dicibiles, ægris corporibus oboriuntur, solis qui frequenter eas viderũt notæ. Iam ex causis quædam primarijs, quas Græcorum medici propriè solent procatarcticas appellare, non mediocriter dispositionem simul indicant, quemadmodum vbi euidens & sensus, & noxa, æstus solis, aut frigoris, ægrotantibus ipsis obuenerit. Ac facillimum est dispositionibus his recentibus mederi, rectéque ab ipsis auspicati sunt medici qui auxilia distinctè prodiderunt. Multa igitur vetustioribus tum simplicia, tum composita medicamenta huiusmodi dispositionum sunt conscripta, mihi verò abundè erit recentiorum remedia hoc in loco prodere, qui tum à senioribus inuenta tradiderunt, tum ipsi alia adiecerunt. Nam generalem singulos affectus curandi scopum ratio nos edocet, materiæ autem vires, experientia: eóque præsidiorum multitudo ex hac augescit temporis processu. atque iam tempus est propria vniuscuiusque dispositionis remedia sermone persequi, initio ab ijs sumpto, quæ solis qualitatibus ex naturali singularum partium statu egrediuntur.

### ¶ *Quæ Apollonius prodiderit de capitis dolore ex æstu solis contracto.*

Apollonius igitur in primo de remedijs paratu facilibus ita scriptum reliquit, Aduersus capitis dolorẽ ex solis æstu contractũ, rosaceo caput frequẽ

ter superfundito, vel etiã lanã vel panniculũ rosaceo intinctũ imponito. *Aliud.* Narcissino vnguẽto similiter vtitor. *Aliud.* Melino vnguẽto in eundẽ modum vtitor. *Aliud.* Sycamini succo per linteolũ expresso & rosaceo pari modo vtitor. *Aliud.* Portulacæ folia contusa, tum per se, tum cum polenta tenuissimo polline illinito. *Aliud.* Cupressum teneram læuigatam, & seorsum, & cum tenuissimo farinæ polline illinito. *Aliud.* Solanum per se, & cum tenuissima polenta inducito. *Aliud.* Sesamũ tritum rosaceo affuso imponito. *Aliud.* Vitis folia cocta, leuigatáque in mulsa, impone. *Aliud.* Folia ricini contusa atque in aquæ heminas octo iniecta, solíque exposita, hinc in caput deturbato, deinde infrà scriptis oblinito. *Aliud.* Conizæ odoratæ fasciculum sexdecim digitorum in aquæ heminas octo iniectum: ad solémque expositum, leniter superfundito. Alimento substrahẽdum est, aluus inaniri debet, somno & quieti indulgendum. Vitari debet vini potio, sol, & balneum. præterea fomentum, clamor, distentio, omnis perturbatio mentis, extensio, & in loco perspirabili degendum.

*Ad capitis dolorem ex perfrictione contractum.*

Irino vnguento calido caput superfundito. vtitor & lanis & panniculis eodem imbutis. *Aliud.* Laurino vnguento similiter. *Aliud.* Farina cocta cum melicrato vtitor. *Aliud.* Lauri folia tenera cum irino vnguento trita in caput infundito. *Aliud.* Sampsucho læui cum vino aut rosaceo similiter vtitor. *Aliud.* Cyperum contusum, & anserinæ mixtum adipi capiti illinito. *Aliud.* Cornu ceruinum crematum, & acetabuli mensura sumptum, cum duplicata vini odori mensura, & tritum illinito. *Aliud.* Conueniet etiam fotus per spongias calente aqua imbutas expressásque, præsertim lauri folijs teneris in ea decoctis: aut sampsucho, aut cypero. item hapsi mollium lanarum, vnguento irino, vinóq; irrorati, circa caput accommodati. item id operiri conuenit, foueri, cibis subtrahere, & ventrem inanire. præterea somnus ex vsu est, quies, corporis recreatio, animi hilaritas. vitari debet similiter clamor, distentio, vinum, & frigus. Hæc Apollonius scripsit remedia capitis doloris ex æstu solis contracti. Græci autem vocant ἔγκαυσιν, caliditatem constantem, capiti ex æstiuo sole oborientem. omnes enim homines æstiuo soli immorati diutius, capite incalescunt: non tamen caliditas omnibus ex æquo perseuerat, sed statim desinit. nonnullis enim etiam ante balneum, nonnullis verò iam lotis. Quibus autem perdurauerit, dispositionem capitis iam ex habitu, non ex schesi obuenisse opinantes, ἔγκαυσιν appellant. interdum enim sola consistit intemperies, dispositione quæ capiti innascitur ad calidius inclinante. interdum humorum aut vaporum copia ad ipsum emergit: præsertim cum quædam humorum redundantia, quam Erasistrati sectatores plethoram vocant, in toto corpore extiterit. fit autem hæc quatuor humoribus proportione auctis, aut solo sanguine. Nam cũ aliquis aliorum humorũ adauctus fuerit, qui sunt pituita, flaua bilis, & atra, eiusmodi incrementum neque plethoram, neque simpliciter plenitudinẽ, sed cũ adiectione vocãt, pituitæ plenitudinẽ, aut flauę bilis, aut nigrę copori inesse dicẽtes. qui autẽ ex ęstu capite dolẽt, eorũ cutis ad tactũ calida est, & primo statim manus iniectu aridior apparet, oculi rubent, frigidæ superfusiones & inunctiones placent, ipsisq; iuuãtur. Per initia igitur repulsoria medicina vtẽdũ est, ex refrigerantiũ astringẽtiũmq; mistura cõfecta. mox mitigãtiũ

cõcoquentiũmq; medicamentorum aliquod repellentibus admiſceri oportet. deinde quoddã digerens etiam adijciendũ, repellẽtibus medicamentis paulatim adimendo. Præſtãtiſſima ex iјs quæ applicantur, ſunt præcipuè tenuiorũ partium ſubſtantiјs prędita. quocirca initio ſatius eſt, roſaceo probè confecto, frigidiſſimo caput ſuperfundere, faſciam lanæ orbiculatim fronti circumponentes, vbi pars ipſius pilis obſita, deſinit. vtrobiq; verò, quà piloſa pars auribus committitur. quę autẽ ab hac poſt verticẽ habetur, nõ multo hoc inferius, neq; enim occipitium facile vritur, neq; citra noxam refrigerãtia ſuſtinet, eo quòd indidem principiũ habeatur ſpinalis medullæ, quæ in neruos numero circiter ſexaginta, veluti trũcus in multos ramos, propagatur. ſincipitij autem dicti, regio capitis eo quòd coronalis ſuturę compago laxa ſit, ac oſſa ipſius tenuia & rara ſunt, ex facili tum calorem tum refrigerationẽ omnium quæ inducuntur medicaminum intro diſtribuit. Quare ſiue refrigerare aliquãdo caliditatem ex æſtu ſolis contractam, ſiue calefacere perfrictionẽ oporteat, idonea eſt in ſincipite capitis regio. Pręſtantiſſimum autem eſt per initia refrigerare ex oleo roſaceo frigido, tempore æſtiuo, quando maximè ardoris ſolis affectus ſolet oboriri. Comprehenſum à me eſt ſubinde, roſaceũ illud eſſe optimũ, quod ex oleo crudo aut omphacino, hoc eſt, immaturo conficitur: quippe bifariam ipſum nominãt, ſine ſale præparatum, roſis autẽ plurimis ei intinctis. Eſto autem roſaceum non vetus, ſed illo anno paratum, aut vere, aut ineunte æſtate. Secundum locum à roſaceo, chamæmelinũ obtinet, in quibus corporibus vehementem refrigerationem moliri veremur: hæc ſunt mulierum, eunuchorũ, puerorum, & eorum qui mollem carnem, colore albam obtinent, & ſoli non aſſueuerunt. Quantũ refrigeret roſaceum chamæmelinúmque ex cõmemoratis corporum habitibus & æſtus magnitudine inuenire oportet, ita vt pręterea inſpiciatur ægrotãtis ætas, ambientis nos aëris temperamentũ, maximè etiã ipſa domus in qua ęger decumbit. Refrigerabis autẽ quę adhibes, aquę admodum frigidæ imponeas. cuius copia ſi non detur, niue vas circumlines. Huiuſmodi præſidium etiam ſi humotum aut vaporum copia ad caput impetum fecerit, generoſè adiuuat. Nam hæc repellunt, & deorſum ad ima corporis detrudũt. quapropter ego in innumeris hoc curationis modo vſus, aliud nõ deſideraui. etenim frigidorum fontium facultas Romæ eſt multa, & niuis, quemadmodum etiam apud nos in Pergamo & plurimis Aſię & Gręciæ ciuitatibus. In calidis regionibus, cuiuſmodi & Aegyptiorũ eſt, vbi & frigidorum fontiũ & niuis inopia laborant, neceſſarium eſt roſaceo, prius frigefacto, inde quod tota nocte ſub dio ſteterit, ad auram quampiam conuerſo iniјcere. ſic ſemperuiui ſuccum, aut portulacæ, aut lactucę, aut pſyllij, aut polygoni, & ſolani aliquãdo exiguum, pampinorum vitis & vuarum immaturarum. adhuc enim immaturæ ſunt æſtatis tempore. Papaueris & mandragoræ ſuccus caueri debet, vt qui non citra offenſam refrigeret. vitari etiam, quæ cum eo quòd refrigerant, manifeſtò aſtringunt. Quare cũ neceſſitas aliquando ingruit, exiguum inde refrigerantibus miſcendum eſt. huius gratia etiam ſolani ſuccum aut neutiquam miſcemus, aut prorſus exiguum. ita & mali granati & mali cotonei & meſpili. potior autem ſuccus granatorum acidorum in hanc rem exiſtit, vt qui magis refrigeret. huius autem penuria ego quandoque in agro

cucurbitæ ramentum exuccatũ vuæ immaturę ſucco miſcui. Vti poſſit aliquis in huiuſmodi loco etiã ſucco ſeris & lactucę ſyluaticę, quã Greci propriè nominant θριδακίνην: nam hortenſem vocant θριδάκα. Iam ſycaminorũ ſuccus ad refrigerandum idoneus eſt. ſint autem non admodũ matura. Quòd ſi æger caluus ſit, aut omnino paucos capillos poſſideat, plurima refrigerãtium facultas eſt. Quæ enim eryſipelatũ nouimus præſidia, per cataplaſmata, & ceromata liquida, ea omnia ſole aduſtis congruunt. Apollonius etiã ricini folia tenera contuſa in aquam cenſet mittenda, deinde nocte tota vaſe ſub dio prorſus collocato, in quo hæc continentur, poſtero die ipſis vtendum. ego itaque nõ adeò ricini facultatem expertus ſum, ſed veriſimile eſt Apollonium in Alexandria commoratum multo tempore, per longam experientiam vim ipſius comprobaſſe. oleum ſanè ex ricino factum noui planè, eò quòd apud nos eſt facultate calidius, idcirco ipſius inopia, veteri vtimur. puto etiam potamogitonẽ & niliacum ſtratiotem nonnihil refrigeratorium obtinere, ac miror quomodo non Apollonius ipſorum meminerit. Quin & tribulus apud nos, ſicut & polygonũ ipſa quoque nonnullã refrigerandi vim repræſentare: tenera nimirum & nondum dura ſiccáque facta: coniza verò non modo non poteſt refrigerare: ſed etiam calefacere mediocriter poſſe noui, mirórq; quomodo Apollonius ipſam inter refrigerantia poſuerit. Quòd ſi ab arboribus aut fruticibus auxilium capiti, quàm natura exigit calidiori, præbere oporteat, vitex cõmodior ad hoc eſt, & vitis, & lentiſcus, & platanus, ſi quis teneris ipſarum germinibus contritis ſuccum exprimat. Eraſiſtratus ait ad præſeruationem plurimum conferre in calidis habitibus, quando inſolatui exponentur, ſi ſpongiam latam, denſam cauámque aqua imbutam, & vehementer expreſſam capiti inducas. At ſi frigus nocuit, cõtraria iis qui ex ſolis ęſtu dolent, ſigna affectos teſtantur. etenim facies ipſorum non concidit, ſed colorem decorémque amiſit. item frigidis nec gaudent, nec iuuantur. Quemadmodum autem æſtus ſolis non eſt contumax diſpoſitio, ita neque perfrictio ex ambiente contracta ægrè curatur recens. verum rutaceũ oleũ calidum ſincipiti ſuperfuſum, vt dixi, in totũ hominẽ liberare poteſt. Quòd ſi vehemẽtiore opus ſit calefactione, iniicere euphorbiũ oleo, & quæ ex pipere parantur oportet. Inungere autem vnguẽtis hiſce cõuenit frontem, & narium meatus, maximè irino, amaracino, & nardino. Cõptoria autem ex his quæ calefaciunt habentur etiam pretioſa opulentarum mulierum vnguina, vocãt ea Romanorum nomine foliata & ſpicata. Opobalſamum ſubinde expertus ſum, nihil manifeſtò iuuaſſe diſpoſitionem, quæ calefieri deſideraret. quemadmodum autem rutaceum conuenire dixi, ita etiam ſampſuchinum & laurinum commendo, item ſerpillinũ, frequẽter & in multis ipſis vſus. dare vinum tenuium partium, & motu vti præcipit, balneis calidis, & nonnunquam à radicula vomitu.

### ¶ *De diuturnis in capite diſpoſitionibus calidis & frigidis.*

In diuturnis quę capitis dolorem adferant diſpoſitionibus, neceſſarium erit caput ipſum radere, vel ad cutem tonſo admodum lenia medicamenta applicare in emplaſtri ceratíque ſpeciem facta & liquida. Quæ igitur emplaſtri modo, & cerati ſunt confecta, capiti deraſo: liquida breuiſſimos habenti capillos induces. Eſt autem & horũ materia multiformis, vtpote cũ hęc ma-

gis, illa minus refrigerēt & calefaciāt. Itaq; refrigerātia ab ijs quę erysipelatis medentur transferre, calefacientia ex ijs medicamentis quæ calefaciūt cōficere oportet. quorū simplicissimū quidē est quod ex euphorbio paratur. Sufficit autem vnā euphorbij vnciā tribus ceræ in olei libra liquefactis indere: vti verò oleo ad omnes affectus qui calefieri desiderant, neq; immaturo, neque eo quod omnes spanū nominare solent, neq; prorsus cū germinibus oleę preparato: sed quale est quod ex immaturis oliuis confit apud multas gētes, sine germinū iniectione. præstantissimū autem eorū, quę noui, Sabinū est nō procul à Roma in Sabinorū agro nascens. Quæ autē recentiores medici, qui se methodicos nominant, μετασυγκριτικὰ, hoc est recorporatitia medicamēta vocāt, omnia eiusmodi affectibus vtilia sunt. quorū præstantissima in operis superioris septimo libro à me sunt cōprehēsa. Tēpestiuū igitur iam est ad aliā capitis dispositionē digredi, asscriptis primū ijs quę Apollonius tradidit, quæ ad verbū sic habent.

*Quæ Apollonius ad capitis dolorē ex ebrietate & meraca potione contractum tradiderit.*

Vtendum omnibus suprascriptis remedijs ad capitis dolores qui ex æstu solis generantur. vbi vero dolores magis inualescunt, rutę folijs ex aceto & rosaceo tritis, vt sordium spissitudinē habeant, caput illinendum est. *Aliud*. Nucibus amaris ex aceto & rosaceo ad sordium spissitudinem detritis, caput inungendū. *Aliud*. Iride sicca & vitice sicca ex aceto & rosaceo cōtritis similiter vtitor. *Aliud*. Bacca lauri & rutæ folijs ex aceto rosaceóq; leuigatis vtitor. Cōducet autē somnus, inedia, quies, corpus nō mouere, aquā calidā & mulsam bibere, corpus vacuare. Hæc sanè Apollonius cōscripsit, eiusq; rei gratia cōmēdare virum oportet, ꝙ distinctè singula præsidia tradiderit, quum ne Archigenes quidem id factitauerit, quē, vt posteriorē Apollonio natū, aliquid accuratæ distinctionū narrationi apposuisse conueniebat. verū quæ ab illo in priore libro medicamenta scripta sunt, paulo pòst explicabuntur, quæ autē ego longa experientia probauerim in capitis dolore ex vini potu cōcepto, iam enumerabo: qui spem sanè auxilij, quod ipsa prę̄stāt, ex dispositione inuenerim: exactā verò eorum probationem multa experientia sim molitus. Nā calidiora temperamēto vina capitis dolorē generantia, vaporibus omnino caput, interim humoribus etiā, qui temperamentis calidi sunt, replere iudicantur. Etenim sine vini potu etiam tales ad caput promptè ferūtur. Vsus igitur curationis est, quæ habeat scopum generalem quidem primum, omniū communem, vacuatione indigentem. Quoniam verò vapores, qui caput replerunt, calidi existunt, vsus est auxilij, quod ipsos refrigeret. itaq; si vinū crudum intus permanet, iubere prius conuenit eis qui capite dolent, vt aqua tepida epota vomāt. Quòd si vero etiam post concoctionē doleant, refrigerantibus vti & repellentibus oportet, quale est rosaceum & per se, & cum aceto, aut cum hederę, aut brassicæ succo. Iam ipsa brassicę folia imbuta calente aqua, & capiti circundata illigataq;, naturali vi ebrietati succurrunt. Habenda autē cura est somni, & quietis. ac vbi hęc facta fuerint p totū diē, ad vesperā lauare: vbi laueris, nutrire oportet cibis boni quidē succi, nō tamē calefaciētibus. sunt huiusmodi ptisanæ cremor, sorbitio ex halica, panis cū aqua, oua sorbilia sine garo. admisceatur autē ipsis mellis q̄tū ad dulcedinē cōciliandā sufficit: sin autē qui assumūt parū aptè

ad id ſint affecti, ſalis edulcorati. Ex holeribus lactuca & boni ſucci eſt & refrigeratoria: braſſica vapores deſiccat. ſic etiã ex leguminibus lenticula. Cæterũ potu omnino aquæ vtẽdũ eſt. Verũ quia nõnullorũ ſtomachus ob aquæ potionem peruertitur, malum granatum ipſis concedendum eſt, aut ſolum per ſe, aut cum halica molli, probè cocta, calida. Item ceſtiana dicta mala Romæ, citra coctionem auſtera ſunt, cocta vero ſtomacho idonea redduntur. Coquere ea conuenit in olla recenti, aqua calida ſuperfuſa: deinde malo in vaſe ſuſpenſo ſubutere ollã, quo vapor calidus ex aqua emergẽs ipſum coquat. vuæ & pira quædam cruda, quædam cocta, vt malum punicum, ſtomachum corroborant. A' glandibus & palmulis abſtinere conſilium eſt, vt quæ proprietatem quandam doloris in capite efficacem obtineant. At ſi neque his remedijs commodè poſſint obdormire, in balneum poſtridie quàm citiſſime ducendi ſunt, & aqua calida frequenter in eo ſuperfundendi. deinde ſomno conciliato, aut omnino quiete interea, rurſus ad balneum ſecundò deducere oportet, deinde ſic nutrire, vt die præcedenti. Quòd ſi mediocriter habeant, nequeántq; aquã bibere, permittendum eſt vt aquoſam potionem ex vinis aſſumant, quæ græci ὑδατώδη nominãt, q̃le eſt in Italia Sabinũ, in Aſia Titacazenũ & Arſyeniũ, Ariuſiúmq;. Cibi dabũtur ipſis, vbi meliuſculè habuerint, gallorum teſticuli & alę, piſces ſaxatiles & molli carne prędíti, columbæq; pullus. Incoquãtur hæc omnia ſine garo & vino, albis & ſimplicibus iuſculis, in quibus aqua ſola eſt cum oleo, anetho, porro exiguo, & ſalis momẽto indito, nõ ſtatim coctionis initio, ſed quãdo iam cœperint intabeſcere. Porro cõſtat omnibus, ſatius eſſe & ipſos, & omnes qui capite dolent, cum quidem dolor adhuc augeſcit & viget, conquieſcere: vbi remittit & declinat, idoneis locis obambulare. Apta autem ſunt ijs qui calefieri deſiderant, calidiora: qui refrigerari, frigidiora. & ante cibum obambulationibus pluribus vtendum, ſecundum cibum paucis & lentis. Conuenit autem neque eſſe multum, neq; ſtatim obambulare, ſed poſt duas tréſve horas, aut etiam plures. Quòd ſi aliquando ex vaporibus humoribúſq; ad caput tendẽtibus reliquiæ aliquæ tenuibus impactæ meatibus reſtẽt, eóq; aliquid doloris perſeueret, à roſaceo deſiſtendũ eſt, vtẽdum verò primũ chamæmelino moderate calido: poſt hoc irino. nã huiuſmodi diſpoſitiones vehementer adiuuãt. In balneo caput aqua perfundendũ, nõ ſolũ vt aliquid eorũ, quę intra ipſũ habẽtur, diſcutiatur, verũ ſomni etiã cõciliãdi gratia. quocirca & ſecundũ, vel tertiũ lauacrũ veſperi parari cõuenit: cibũ deinde lactucas ex aceto aſſumere, q̃d pauciſſimũ ſanè, aut prorſus nihil gari, plus autẽ aquæ habeat, vt æqualis ſit aceto, niſi omnino aquoſũ exiſtat. Quippe tali etiã magis indigẽt q̃ acerrimo, vt quod caliditatis nonnihil obtineat. Poſt hæc die ſubſequenti ea quæ caput magis calefaciunt, applicabuntur, miſcendo irino vnguento, nunc amaracinum, nunc nardinum, nunc pretioſa, quibus opulentæ mulieres, etſi nihil mali habeãt, vti cõſueuerũt. Hac ego ratione capitis dolores ex vino, curaui ſemper, nullo ex ijs quæ Apollonius conſcripſit, vſus. quomodo enim per ea, quæ dixi, voti mei compos factus ſim, & nullum ab Apollonio ſcriptum ſpem mihi præbuit, recte eſſe dictum, ſuperfluum erat hæc in experientiam ducere.

Poſt cõmemoratas ſuperius tres diſpoſitiones capitis doloris efficaces, Apollonius quartam hanc ſubiecit.

*Ad capitis dolorem ex ictu, vel casu, Apollonii.*

Rosaceo acetóque tepefactis caput perfunditur. *Aliud.* Rosis siccis, maximè quidem coctis: sin minus, maceratis in passo, aut mulsa, læuibus caput obducito. *Aliud.* Meliloto consimiliter parato vtitor. *Aliud.* Myrti albis folijs teneris, cum vino & myrrha detrita, obducito. *Aliud.* Irino vnguēto & aceto oblinito. *Aliud.* Absinthium leue cū vino & myrrha in puluerē redacta, applicato. *Aliud.* Pulegio leui cum vino similiter vtitor. *Aliud.* Pulegio & myrrha detritis, simili modo vtitor. *Aliud.* Apij coma cum vino cocta, læuis admouetur. *Aliud.* Mala cotonea cocta ex vino admoueto. Conueniet etiā fotus per spongias aqua calēte imbutas, & hapsi mollium lanarum, aceto & rosaceo madefacti. Præterea quies, corporis recreatio, subtractio cibi, euacuatio, noxiorū abstinētia. Hęc autem sunt sol, lauacrum, vini potus, clamor, distentio, & inter ea quæ in cibo offeruntur acida, acria, & salsa. Hæc sanè Apollonius tradidit de capitis doloribus, qui ex manifestis ictibus oriuntur. Nosse autem etiam nos oportet eiusmodi dispositionem non aliam esse q̃ inflammationem, quę non solum ex ictu aut ruina: sed etiam sine causa manifesta in omnibus corporis particulis, ex humorum influxu creari solet. Si igitur ictus vulneris aut contusionis causa fuerit, scopi plures erunt remediorum inuētionis. Vnus sanè qui propter vulnus existit, cuius causa glutinantibus medicamentis & inflammationem arcētibus vti conuenit, oris vlceris fibula prius commissis. Secundus qui ob contusionē. & tertius qui dolorum causa adhibetur, qui aliquando sanè in ipsis solis ictis particulis oboriuntur, plerunque verò etiam continuis transmittuntur. Nam membrana caluarię circundata, quam Gręci vocant περικράνιον, & cutis huic extrinsecus exporrecta, continuam vtraque peculiarem substantiam obtinens, ad totum expansa est caput, & huius ratione fit sæpe vt ipsum doleat: præsertim si ictus ad membranam ossi circundatam vsque pertingat. quem membrana pericranio dicta, diuisa rasáque curare oportet, ratione qua caro committitur. Quòd si aliquid inflammationis pericranij communione, quam per suturas cū dura cerebri membrana habet, etiam intra caluariam trāsmissum fuerit, eiusmodi capitis dolor periculo non vacat. Cæterum non raro accidit in ruinis ex alto aliquam cerebri aut membranarum particulam abrumpi. quod vbi contigerit, adhuc magis capitis dolor vehementior euadit, & dispositio tota curatu difficilior, & periculum præsentius & vehementius. Optimum igitur in his, nisi ætas prohibeat, & vis vitalis imbecillis appareat, curationis initiū à sanguinis dimissione moliri, & congruis superfusionibus in capite vti, lanas oleo dulci madidas ipsi circumponentes. At si prohibeamur propter horū aliquid, aut ætatem, aut virium imbecillitatem, aut etiam propter vtraque, sanguinis detractionem tentare, clystere ventrē euacuabimus, & ipsiusmet gratia, vt huius excrementa euacuētur: multo autem magis reuulsionis gratia, quòd humores ad affectas partes soleāt deferri. Mox auxilijs vtemur ad inflammationem inscriptis. sin autem membrana fuerit conuulnerata, probè hanc conglutinat, vt ait Archigenes, calaminthę succus instillatus, & farina miliaris arida inspersa: deinde butyrum, rosaceum, adeps suilla salis expers, vetusta, mixta & tepida superfusa. Abstinere tales oportet à vino, & cibis plenioribus, præsertim si febricitent. Comprehensam sanè vacuationem consulit quidem & Apollo-

nius,qualem verò hanc fieri conueniat,non indicauit:acetum tamen rosaceo miscere iubet,quemadmodum in phreniticis & lethargicis per initia affectuũ plerique medici vti consueuerunt. Neglexit autem non rectè etiam mensurã vtriusque indicare,empiricorum simili transgressu vsus, non dogmaticorum indicatione. Etenim dispositio nobis præsidia subindicat: mensuram verò vniuscuiusque & particularem in materijs differentiam suggerit pars affecta, ægrotantis temperamentum,& præterea vis vitalis: deinde ætas, circumflui aëris temperies,aliàs alia apparens, ratione locorum,anni temporum,& præualentis anni status. Quum igitur in phreniticis omnia quæ intra caluariam habentur, & iuxta cutem, & iuxta membranam caluariæ obductam ab affectu sint immunia,decenter miscuerunt acetum primi illi medicamenti compositores, illa ratione persuasi quam in commentarijs de compositione medicamentorum plenius recensui, quum dicerem dispositionibus in alto corpore orietibus adhibenda esse medicamina dispositionum per summa infestantiũ.quippe omnium ipsorum virtus dissoluitur,dum in altum permeant: eóque nonnunquam proprijs affectus præsidijs miscemus medicamenta facultatis & contrariæ & nociuæ.etenim inflammationis dolorificę aduersissimum est remedijs acetum admisceri,vt quod neque mitigatorium quippiam,neque laxatorium habeat,sed quum per sinciput, non enim per aliam quandam capitis partem,medicamenti vim intro peruenire voluerimus,admiscere aliquid eorum quæ ex sua ipsorum natura auxiliantur,& ad penitiora hoc deducãt, cogimur, inuenientes tenuem quandam substantiam, interim frigidam, vt acetum,interim calidam,vt euphorbium:inspicietésq; dispositionem quæ curatur,calefacientibúsne indigeat,an refrigerantibus. Hac igitur ratione si rosaceum ipsi crassæ membranæ nudæ admoueatur, vt in ijs quibus aliquid ex osse capitis exciditur, accidit,solum ipsum applicamus modice tepidũ.quũ verò per capitis partẽ,qua sinciput est,caluaria manente incolumi,rosaceum volumus veluti ducere ad membranam,ita vt ea non denudetur,acetum ipsi miscemus: quod illud deducet, cuius rursum vehementia virtutis permeando & rosacei mistura dissoluitur. Itaq; Apollonius peccauit,qui indistinctè acetum rosaceo miscere iusserit. nam cutis capitis aut post ipsam pericranij mẽbranę inflammationes quæ citra validum quidem dolorem oboriũtur,possent vtiq; iuuari mixto aceti momento rosaceo:offendentur autem quum & ipsæ magnæ fuerint,& dolorem vehementem inferunt. Iam verò deliquit Apollonius etiam quòd vtendi tempus singulis ab eo conscriptis remedijs non apposuerit. Nonnulla enim incipientium & quæ generantur adhuc inflammationum sunt præsidia:quædam etiam vigentium,aut declinantium,aut in scirrhum occallescentium. Rosaceum igitur cum aceto incipientium, vigentium autem solum rosaceum, sicut in scirrhum occallescentium, in quibus absinthium & pulegium admiscemus:ita quæ citra scirrhi generationem declinãt, laxantibus indigent medicamentis. Cæterum comprehensa est ipsorum tum materia, tum compositio superioribus commentarijs,priusquam huc perueniretur. vbi docetur etiam locos affectos non parum vnà cum affectibus præsidiorum inuentionem indicare. Quatuor igitur dispositiones quum Apollonius scripserit capitis dolorum efficaces,quæ fiũt ex causis manifestis:deinde

quòd ad eas sit transgressus quæ ab obscuris procreantur, bona quis ratione ipsum accusauerit: nō quòd à dogmatica disciplina discesserit, sed quòd ne empirica quidem vsus sit. Nam & illi distingunt affectus, syndromis ab ipsis appellatis, quæ accidentium sunt collectiones omnibus euidenter apparentium. In quibus syndromis etiam primitiuas causas, seu totius syndromes particulas ipsi comprehendunt. sed nullam eiusmodi collectionem accidentium & signorum Apollonius conscripsit, vt discemus, si & his viri verbis animum diligenter aduertamus.

¶*Continua superiori oratio Apollonii ad temporum dolores, & totius capitis, citra manifestam causam obortos.*

Mendesio vnguento caput inungito. *Aliud.* Adipem anserinum mendesio vnguento subactum illinito. *Aliud.* Myrrham vino quàm optimo tritam ad ptisanæ cremoris spissitudinem inungito. *Aliud.* Myrrham vnguento pretiosissimo pertritam similiter adhibeto. In pueris autem sincipite laborantibus, myrrha cum oleo trita vtitor. *Aliud.* Viticis semen tritum, & in aqua subactū applicato, vel in linteolum illitum imponito. *Aliud.* Loliaceam farinam cum adipe anserino vnà leuigatam admoueto, adipe prius liquata. *Aliud.* Portulacam per se & cum lini semine tritam imponito. *Aliud.* Oleæ folijs tenerrimis contritis oleum nigrúmq; vinū affundito & applicato. *Aliud.* Cinerem, si habes, aceto subactām aut aqua, capiti superfundito. *Aliud.* Solanum & terram fictilem tritam leuem applicato. *Aliud.* Halicacabi semine trito cum adipe anserino aut vnguento balanino vtitor. *Aliud.* Folia lentisci trita in aqua applicato. *Aliud.* Blito trito cum oleo subacto vtitor. *Aliud.* Ricini semen tritum ex aqua, applicato. *Aliud.* Coriandri semen & anethi læuigatū mellíque mixtum applicato. *Aliud.* Melanthium tritum & oleo subactum, applicato. *Aliud.* Cuminum & adipem anserinum læuigatum imponito. *Aliud.* Meconij fabæ instar ægyptiæ, & salis partes duas, pulegij partem vnam tritam ex aceto, & vnguento q̄ præstantissimo illinito. Conueniret autem cibo subtrahere, ventrem inanire, caput tegere, præterea conquiescere, & omnem vitare motum. Quòd igitur Apollonius indistinctè, vt dixi, in capitis doloribus sine causa manifesta obortis remedia conscribens, duplici modo peccauit, qui neque vt dogmaticus vir dispositiones protulerit, neque vt empiricus syndromas, ex ipsiusmet verbis didicimus. quòd verò & medicamētorum vires non parum inter se differunt, licet condiscere, si totas ipsorum vires perlegas. Etenim primum ab eo scriptū, simplicis est facultatis, laxantis. quippe talis habetur medesij vnguenti virtus. Habet autem vim intensam, secundum, in quo miscetur mendesio vnguento anserinus adeps. Tertium ꝑpter myrrham siccat & calefacit, vini ratione astringit, in quibus superfluam humiditatem repellere simul & discutere nobis propositum est vtile. Nouimus autem myrthæ odorem plurimis sanis capitis dolorem conciliare, quate eos ipsos capite dolentes non parum offendit. Eiusdem facultatis est cum hoc præsidio, & tertium & quartū. quintum verò non prope ad horum vim accedit, quum ipse cataplasma composuerit ex aqua & viticis semine, non solum inferius multo ijs quæ ex myrrha parātur, vtrisq; facultatibus, calefaciendi & siccandi, sed etiam cōtrarium efficere idoneum, ijs qui ex frigore caput dolent. Quod post hoc scriptum est, ex loliacia

Myrrha et omnis odor capitis dolorem excitat

farina & adipe anserino constans, in quibus siccare volumus, accommodatur: non in capite solum, sed in alijs quoq; particulis bona ratione assumendũ. hoc autem propter anserinum adipem citra molestiam siccabit. est enim nimis q̃ lene & mite medicamẽtum hoc. Verùm subsequẽs de quo ad verbũ sic scripsit, Portulacam per se & cum lini semine tritam imponito, refrigerãs est medicamẽtum non ignauiter, calidis dispositionibus conueniens. Quod post hoc scriptum est in eum modum, Oleę folijs tenerrimis tritis oleum vinúmque nigrum affundito & applicato, dolorem quidem non mitigat, sed humorum euacuat superfluitatem. Quod subsequitur, validam obtinet virtutem, in quo iubet cinerem aceto, vel aqua subactũ capiti superfundere. Si quidem ex aceto præparatum est, diuturnas dispositiones in scirrhum indurescentes curare potest, nõ tamen dolorem lenire. Quòd si ex aqua cinis percoletur, robore multum aberit ab eo quod ex aceto constat, mitigatorium autem doloris ne sic quidem erit. sicut neq; ipsi proximè scriptum, quod ex fictili terra & solano componit. Cæterum curiosam indicat præparationẽ Apollonius in eo quod ex halicacabi semine componitur, quod nihil habet amplius, neq; prædictis, neq; mox dicendis: quemadmodum & subsequentia singula, cum alterius alterum sit facultatis. Non rectè autem fecit, qui indistinctè cõscripserit. quid enim simile habet cataplasma ex blito cum oleo læuigato factum, cum illo quod ex ricini semine, aut coriandro, aut melanthio constat? Etenim hæc calefaciunt & desiccant: blitum verò imbecilliter humectat & refrigerat. Quod autẽ ad calcem sermonis positum est, omnino ne in vno quidem vsurpari vnquam experientiæ gratia consuluero, nedum frequenter. Nonnunquam verò cogimur vti medicamentis ex opio, quum homo in periculo est, ne vehementia doloris moriatur. Noxa autem quædam tunc quoque solidis particulis obuenit, quæ requirit instaurationem post hęc adhibendam. Sic etiam collyria ex opio multos offendũt, vt imbecillem oculum reddiderint & hebetudinem dictam, sicut & grauem auditum, quę ad aurium dolorem vehementem ex lachryma papaueris componuntur, excitarint. Verum ob vehementem capitis dolorem neq; aliquis animi deliquio mortuus est, neque seipsum occidit, vt nonnulli colicorum. Quomodocunque enim doleant, absunt ab ijs qui colo dolent, aut aure, aut oculo, aut dente. Leniuntur autem superfusionibus & cataplasmatis.

¶ *Quæ Archigenes tradiderit auxilia ad capitis dolorem.*

Omisso igitur iam Apollonio ad Archigenem digrediamur, qui in hunc modum scribit in priore libro operis, quod inscribitur de medicamentis secundum genus. Archigenis ad capitis dolores sine febre oborientes. Communiter initio benefacit aquæ potus, cibus paucus, alui solutio. Hæc pręfatus, deinde scribit varia medicamenta. præstare igitur mihi videtur vnamquanq; ipsius orationem separatim propositam inspicere, ac primum initio commendare, quod manifesto distinctionem à febri posuerit. Fuit igitur & Apollonius non vulgaris medicus, sicut & Manthias & Heraclides empiricus: verum Archigenis circa artem diligentiæ hoc quoque accedit, quòd illis ætate successerit. Maximum autem hoc est ijs qui vere quamcunque artem rationalem volẽt ediscere, quum etiam nati sint ingeniosi, & per ætatem puerilem in primis disciplinis exercitati. plerique vero ex ijs, qui eiusmodi artes aggrediuntur, non

fieri in eis sapientes, sed vulgo tales videri student. At Archigenes, si quis alius, ediscere ita medicam speculationem conatus, meritò commentarios insignes plurimos reliquit. Non tamen in omnibus quæ tradidit irreprehensibilis esse mihi videtur: sed quemadmodum ipse à quibus viris adiutus præstantissimus euasit, horum multa coarguit, ita & ipsum par est aberrãtem, à nobis qui post eum nati sumus, reprehẽdi. Difficile enim, homo quũ sit, non aberrare à multis, dum alia in totum ignorauerit, alia perperam iudicauerit, alia negligentius scripserit. quemadmodum & nunc mihi videtur falsus in distinctione eorũ qui non febricitant à febricitantibus, quòd nõ apposuerit omnes febre carentium distinctiones.

*De iis qui ex stomachi vitio capite dolent.*

Statim igitur prima inter eas est doloris capitis qui à stomacho excitatur. Nonnulli enim, etiã si exiguus quidã in ventriculo, & præsertim si in eius orificio humor acris sit collectus, ilico capite dolent, eóque diutius à cibo abstinentes offenduntur. Augescit enim ipsis propter inediam talium humorum prauitas. Curari igitur eos qui sic infestantur oportet, nihil capite admouentes, siquidem neque vllum peculiarem affectum sustinuit, sed ab humorũ ventriculi vapores prauos excitantium ascensu, molestatur, veluti alij ob eiusmodi humores suffusorũ symptomatis incidunt. Quæ igitur curatio? noxios ventris humores quàm celerrime vacuare. vacuãtur autem facile ijs qui ad vomitum procliues sunt, aquæ potu: ijs qui ægre vomunt, difficilius. quippe nõnulli etiã si digitis, aut pinnis in os dimissis ad vomitũ incitent vẽtriculum, nihilo plus proficiunt. Talibus igitur protinus cibum boni succi & stomacho idoneũ offerre conaberis: si fieri possit, lotis: sin minus, ante balneum, tantum cibi exhibẽtes, ne, dum lauant, offendãtur. vbi se refecerint, modicum absinthij postero die propinabitur: eáque victus ratione reliquo tempore sustentabuntur, vt cõcoctione probe functi, panis momẽtum circiter horam tertiam quartámve assumant, aut paulo maturius aut tardius, vt satis interualli sit ad consuetã balnei horam. Qui vero non possunt panem citra obsonium esse, his aut oliuam, aut palmulam, aut vuam, aut aliquid eiusmodi dabimus, experientia id quod optimum ipsorum est, inueniẽtes. aliud enim alij secũdum naturæ proprietatem melius est. Porrò ad prauorum humorum in vẽtriculo redundãtiam, tum cõcoctricis facultatis imbecillitas, tum oris ventriculi infirmitas plurimũ conferunt, sicut etiam sensus acrimonia: ad hæc caput eiusmodi humorum vaporibus suscipiendis idoneum, quemadmodum nõnullis oculi. Ego igitur subinde in multis expertus sum rationem quam percensui, iuuisse capitis dolorem ex vẽtriculo cõtractum. Archigenem igitur quum absolute cuiuslibet capitis doloris sine febre auxilium scripserit paucum cibum, cõstat omnibus nihil nouisse illum qui ob biliosum humorem contrahitur. id quod magis persuasum aliquis habebit, vbi postremam ipsius orationem, quę sic habet, perlegerit. Archigenis, ijs qui ex stomacho capite dolent & cum spiritu distendũtur. Acetũ in quo papauerum capita decoxeris, superfundito, aut spongias madẽtes imponito. deinde frontem polẽta cum menta, & aceto obducito, aut pulegio cũ ipsis, vel solani succo cum rosaceo inunges. Stomachum nominat, os nimirum ventriculi: quum hanc particulam medici sic appellare consueuerint, qui &

ſtomachicas ſyncopas nuncupăt, & nõnullos eſſe ſtomachicos à quodam affectu in hoc loco oboriente pronuntiant: ſic vocătes, vt iecorarios à iecore, colicos à colo, nephreticos à nephron hoc eſt renibus, ſplenicos à ſplene patientes. Vnum autem à ſtomacho hoc affectũ doloris plenum ſcripſit caput occupare, eorum qui vt ipſe nominauit, cum ſpiritu diſtenduntur: quod ex multo vini potu noui magis accidere. At qui ex humoribus capite dolẽt, mordacem dolorẽ nõ diſtendentem percipiũt. Penuria igitur alimenti in diſtentionibus conuenit, nõ tamen iis qui mordaces humores in ventriculi ore continent. Quum igitur mordax humor hic fuerit amarus, pallida & flaua bilis appellatur, quæ natura ſua propter leuitatem ad os ventriculi effertur. Quum autem pituitoſus, aut acidus, aut ſalſus fuerit, in ſpatio magis totius ventris, q̃ in ore figetur. Optimum autem ſic in his eſt, ipſum in fundo ventriculi contineri: quippe facile vbi ventrem reliquerit, ad inteſtina peruenit. Cæterum deterrima fit diſpoſitio ob prauos humores qui in tunicas ventris ſe receperunt: ita vt vix elui poſſint. quorum præſtantiſſimum præſidium eſt medicamen ex aloë præparatum, quod nonnulli quidem vocant picram hoc eſt amaram, nonnulli ipſum hieram ex aloë: ac iniiciunt quidẽ centum aloës drachmas, ſex autem aliorum ſingulorum, quæ & ipſa ſex ſunt numero, cinnamomi, ſpicæ nardi, xylobalſami, maſtiches chiæ, aſari, croci. Præſtãtius autẽ fit medicamentum, ſi minus aloës indideris: mihi enim videtur magnam ipſius copiam eſſe cẽtum drachmas, ſi cum aliorum proportione cõferatur. Atq; nõnunq̃ etiã ex nonaginta drachmis ipſam cõpoſui, nec nõ ex octogita, quinetiam ex pauciore nõnunq̃ croco, quò d nõnulla ex his quæ ei adiiciuntur, caput feriunt, quod & ex ſolo croci odore freq̃uẽter nobis accidit. Quare optimam ipſius compoſitionẽ iudico, quæ drachmis nonaginta aloës, croci quinq; cõſtat. hac vtor. Porrò iis qui odorem croci nõ ferũt citra moleſtiam, ſed ſtatim capite replentur, medicamẽtum compono quatuor croci drachmas iniiciens; cõtinue autem cogor ipſum cõficere: eo quò d nõ ſolũ illis quos recenſui, ſed etiam iis qui ſuffuſorum imaginationes, aut accidẽtia ex ſtomachi affectu patiũtur, exhibeo. Præterea quibus venter prohibetur, & mulieribus quæ nõ probe purgantur. in quibus efficacius eſt, quum quadraginta aloës drachmas, ſex autem croci acceperit. ac melius eſt carpeſium in vicem aſari capere. compoſui autem ipſum aliquando ambobus quoque iniectis. Datur autem medicamenti ſummum, drachma vna cum aquę cyathis nõ magis tribus: minimum, dimidia. inter vtrunque pondus, alia exhibentur, dum quantitas pro ætate, corporis magnitudine, & conſuetudine euariet.

¶ *Quæ Archigenes poſt primam orationem ſcripſerit. Inter quæ eſt & Galeni, dictorum diſtinctio.*

De iis igitur qui ex ſtomachi conſortio capite dolent, hæc ſufficiunt. Cæterum iam tempus eſt ad orationem poſt primam deinceps ab Archigene conſcriptam digredi. Examinabo autem ſingulas ipſas conſimiliter vt primam, cõnectens ipſi propter rerum conſequentiam etiam vltimam. Verum nunc à ,, ſecunda auſpicabor. Aſpergines autem, ſi ex hyeme, aut perfrictione patian- ,, tur, oleũ tepidũ, illitus nariũ, baccarũ lauri expreſſio, aut laurinũ oleũ, aut ſyriacũ vnguentũ, aut ricininũ, aut ſtyracinũ, aut gleucinũ, aut aliud quoddam

huiusmodi calefaciens. Vt autem à postremo initium moliar, dicere ipsum puto, resinam dictam autorhyton, hoc est sua sponte fluxilem, eam quæ in Lacedæmone plurima nascitur. & caspnelæon in Cilicia, Amaracinum, & Styracinum in Cyzico, & irinum in Perga præparatum. His vnguẽtis nares censet illinendas, ceu caput odore ipsorum incalescat. Id quod etiam manifesto fieri apparet, vt & priuati homines ipsis vtantur, præsertim acquisitu facilibus. Conquiruntur autem facile alijs alia, quæ apud singulos copiosa habẽtur. Ac apud nos in Asia mos est rusticis cedrino dicto vti. & si quando eius laborent inopia, pissel æo. Vocant sic, quod compositum est ex oleo & pice liquida. Verum miscent ei & cedrinum oleum, alij copiosius, alij parcius, prout virtutis ipsorum vehementiam voluerint remittere. Porro omnibus quæ dixi, in capite etiam vti solent, maxime vt dictum est, in sincipite. Iam & frontẽ ipsis, & aurium meatus perlinunt. nonnulli etiam pedum plantas & sedem. Quum autem Archigenes baccarum lauri expressionẽ dicit, laurinum simpliciter dictum putabimus eum sic nominare. Vt quum assumit oleum, laurinum oleũ appellatur. Syriacum autem vnguentum existimo ipsum dicere commagenũ: quoniam ex Syria nobis ipsum apportant. Archigenis. Aestate autem aut si qui feruore distenduntur, ex aceto, vel aqua, vel rosaceo: adhæc succo polygoni, aut portulacę, aut solani, aut alicuius refrigerantis, & spongias ex posca capiti imponito. In hoc sermone videbitur forsan aliquibus negligentius legentibus simplicem vnam dispositionem Archigenes curare, non autem sic se res habet. Ex eo quidem quod dicit (feruore) calidam indicat dispositionem. Ex eo autem qui: (distendantur) dispositionem, quæ hoc à spiritu flatulento patiatur, vt non solum alteratio secũdum intemperiem, sed vaporosi spiritus redundantia insit. Per initia igitur in dispositionibus vtrisq; refrigerãtium præsidiorum vis est idonea: quæ refrigeret quidem calidam intemperiem, repellat autem flatuosi spiritus ascẽsum & reprimat. Satius autem fuerit, mea quidem sentẽtia, accuratius disquirere, quando quidem ex corpore spiritus flatulentus assurgit, sicut in iis qui stomachi consortio capite dolent, comprehensum est: quandoq; autem in capite generatur. quippe venter flatibus interdũ exturgescit adeo, vt vix discuti queat. Interdum vero post eum etiam ex intestinis, nũc ieiunum, aut tenue intestinum, nunc colum. Quare nil mirum est nec impossibile eandem dispositionem in quibusdam capitis particulis obuenientem flatulentum spiritum generarẽ, cuius generationis in vẽtris locis causam inuenimus, nempe tanti caloris inopiam vt ex cibis & potu spiritũ & vaporosum & flatulentum generet. ob facultatis autem contentricis imbecillitatem, spatiosa intus laxitas partium sic affectarum flatibus exturgescat repleatúrque. Quare distenditur quidem ob repletionem, dolet autem ob tẽsionem. Inuentum enim & hoc à nobis est illic, vbi dolorum cõmunes & generales causas cõsideramus, quomodo in cõtinuitatis dissolutione similarium corporum dolor oriatur. Dissoluunt autem eam, quæ erodunt, incidũt, distẽdunt, vehementer calefaciũt, & refrigerãt. Quocirca etiam in capitis doloribus cõsueui affectos interrogare, qualisnam ipsorum sit qualitas. nõnulli enim ceu corpora erodãtur, dolorem percipere se aiunt: nõnulli vero ceu distẽdãtur, aut grauẽtur, aut cõtundãtur, aut sola præpolleat vehemens caliditas, aut frigiditas. si enim ceu

erodantur, pungãtúrq;, vel acrimonię humorũ, vel talis ſpiritus cauſſam ferre acceptã oportet: ſi autẽ diſtendãtur citra roſionẽ, repletioni particularũ, quæ vel ob ſpiritũ flatulentũ, vel humorẽ copioſum influẽtẽ diſtẽdũtur. In quo genere & inflãmatio, & eryſipelas eſt. inflãmatio ſane, corpore qđ eã ſuſtinet, calidũ ſãguinẽ in ſe cõtinẽte: eryſipelas autẽ, humorẽ bilioſum. Quòd ſi particula quępiã ambobus redũdãtibus ſit oppleta, vel inflãmatio eryſipelatia, vel eryſipelas inflãmatoriũ generabitur. Ac nemo putet lõgũ nos ſermonẽ in vna particula vnũ ſymptoma patienti facere. Cõmunis enĩ omniũ dolẽtiũ diſputatio eſt: quã ſi accurate pſequutus fueris, maior ad remediorũ inuẽtionẽ facultas in qualibet particula patiẽte ſuppeditabitur. Nã pars artis cõiecturalis in diſpoſitionũ dignotione potiſſimũ conſiſtit. hæ ſiquidem inuẽtę curationẽ nõ cõiecturaliter, verũ ſciẽtificè indicãt. necnõ hinc nõnullarũ diſpoſitionũ cõtumacia cognoſcitur: in quibus ratio eſt vti ijs quæ indicatio ſuggerit, licet per initia nihil proficere videãtur. atq; hoc eſt qđ in aphoriſmo dixit Hippocrates, in hũc modũ, Omnia ſecũdũ rationẽ faciẽti, ſi nõ ſuccedit ſecundũ rationẽ, nõ eſt tranſeundũ ad alia, permanente eo qđ ab initio viſum eſt. Interdũ enim adeo vehementer vaporoſus ſpiritus, & multo magis eo humor viſcoſus, aut craſſus anguſtis impingiť meatibus, vt lõgiore tẽpore ad curationẽ opus habeat. Etenim quæ ſic impacta ſunt, extenuare, & meatus dilatare oportet, per quos excernẽtur, diligẽtia adhibita ne denuo alius ĩfluat aut humor, aut ſpiritus talis. præterea pars affecta corroborari debet, ne ipſa quoq; flatulẽti ſpiritus materiã excitet. Qui igiť primi cõpoſuerũt medicamẽta id genus diſpoſitionibus ꝓpria & familiaria, variã merito deſiderarũt materiã. ſiquidẽ repellere ſubſtãtiã influentẽ, ſiue in humoribus, ſiue in vaporibus exiſtat, neceſſariũ eſt, impactã cõcoquere, & extenuare: eámq; ipſam diſcutere. & nihilo minus his omnibus, imò etiã magis affectæ particulę robur ac firmitatẽ cõciliare, ne quod influit, excipiat, extenuatũ vero excernat, impactũ cõcoquat & ſubtiliet. Verùm in mixtura medicaminũ quę id poſſunt efficere, alius alio in ea re ad quã cõſiliũ ſuũ direxit, dexterior effectus, hic minus adiutoriã, ille magis, cõpoſitionem molitus eſt. vnde vt nouiſtis (nã ad vos ò familiares verba facio, quibus potiſſimũ hęc ſcribũtur) duo prorſus medicamenta videtis à me cõfecta, ex ijs quæ eoſdẽ effectus promittunt: interim tria & quatuor, & ex horum mixtura ſubinde efficientem, id quod res poſtulat in affectibus curatu difficilibus. Nam inſpicio in quonam eorum medicamentum ſimplex, quod calefacit, copioſius exiſtat: in quo verò quod refrigerat, ſicut & quod ſiccat, aut humectat, aut tenuiũ, aut craſſarũ partiũ eſt: deinde videns quomodo adhibitũ affecto remediũ profecerit, iterum vel alio quodã, vel eo ipſo vtor. Crebrò ſanẽ ad aliud quoddam ex ijs, quæ idem pollicẽtur deſcendo, interim vtraque miſceo, medium quoddam ex ipſis efficiens. Huiuſmodi omnia vberius à me comprehenſa ſunt, nõ generatim ſolum, ſed etiam membratim in therapeuticæ methodi cõmentarijs. Sciẽdũmq; eſt, quod iã prius quoq; dixi, Therapeuticen hoc opus ſubſequi. Attamẽ cogor etiãnum ipſius meminiſſe, quo magis nos, ea quę ĩdidẽ dicunť, aſſequamur. In propoſita igiť diſpoſitione dolorifica, in qua caliditas ſimul cũ flatuoſo ſpiritu ꝑcellit, inter initia qdẽ repulſoria medicina vtẽdum eſt, quæ ex viribus refrigerantiũ naſciť. qđ vbi mediocriter factum fuerit, ex mitigatorijs & cõcoquẽtibus aliquid miſceri oportet repellẽtibus. deinde etiam digerens aliqđ adijciẽdũ, paulatim medicamẽtis repulſorijs detrahẽdo, quouſq; medicamẽta ad cõtrariã naturã perueniãt ei quã initio

recipiebãt: hoc eſt, vt plurimũ ſit qđ extenuet & digerat, minus qđ cõcoquat & mitiget, pauciſſimũ autẽ qđ repellat. Portulacã igitur frigidæ & aquoſæ ſubſtantiæ eſſe didiciſtis, minus ea polygonũ. In ſolano autẽ tantũ mixtũ eſſe craſſarũ partiũ & terreſtris ſubſtãtiæ, quãtũ & aſtrictionis. Acetũ repulſoriã ſimul & extenuantẽ, imò etiã digerentẽ vim obtinet, vt qđ prepolleat in tẽperamẽto, tenuiũ partiũ frigiditate, ſicut exactè purus aër ſeptẽtrionalis eſt. Didiciſtis etiã iam roſacei vim, quomodo nõnullã quoq; repulſoriã obtinet, itẽ cõcoctricẽ & mitigatoriã, preterea & diſcuſſoriã. Meritò Archigenes initio predictę diſpoſitionis talibus vtit̃ medicamẽtis: ipſum quidẽ per ſe ſolũ acetũ, neq; aliàs adhibẽs, neq; hic, ꝑpter virtutis vehemẽtiã: miſcẽs autẽ ei vel roſaceũ, vel aquã. Quapropter digrediamur iã ad ſubſequẽtes Archigenis orationes. Quòd ſi intẽdatur, in totũ cibũ circuncidere cõuenit, deinde ſanguinẽ ex cubito dimittere, aluum clyſtere valido euacuare. De his remedijs dictũ à me prius eſt, quũ Apollonij orationẽ inſpicerẽ, inediã ſanè ob biliosas cauſas repudiãs, & ſãguinis miſſionẽ in pueris, ſenibus, & viribus imbecillis: cõmẽdãs autẽ vacuationẽ clyſtere adhibitã, nõ modo vt quę in inteſtinis cõtinẽtur, educãtur, ſed etiã ea quę ad caput aſcẽdũt, reuellant: atq; idcircò probè in ijs quæ de ea Archigenes ſcripſit, nõ ſimpliciter dixit, aluũ clyſtere vacuãdum, ſed adiecit valido. quippe in huiuſmodi clyſtere multa reuulſio eſt, preterq; nõ ſola vẽtris, & meſenterij contenta euacuet, ſed ſimas quoq; iecoris regiones. *Archigenis inſpergines.* Ruta ex aceto & oleo leuigata. Memores diſpoſitionis, cuius pſidia ſcribere cõſtituit, ita iudicamus ſingula, q̃ enumerare incœpit. Proinde diſpoſitionẽ ſic ipſe ſcripſit, Aeſtate, vel ardore diſtẽtis. deĩde refrigerãtis facultatis ſubiecit pſidia, ac poſtea inquit, Sũma cibi abſtinẽtia, ſanguinis miſſio, & clyſter validus adhibeat̃. Et poſt hęc, quę in prępoſita oratione ſcripta ſunt, in qua cũ aceto & oleo rutã leuigatã admouere iuſſit, nõ adijciẽs, viridẽ ne, an ſiccã. Eſt enim nõ exigua differẽtia multo acrioris & calidioris ſicci à viridi. mihi quidẽ videt̃ viridẽ cõſulere. Nõ enim ſubito à refrigerãtibus ad cõtraria trãſiuiſſet. Acetũ autẽ preterq̃ ꝙ refrigerat & repellit, digerentẽ vim obtinere prius à me dictũ eſt. Cęterũ oleũ mitigatoria, & laxãte vi preditũ, bona ratione ipſis miſcuit. *Aliud.* Lauri baccarũ expſſionẽ, cũ aceto & ruta. hoc multo ſupiori eſt efficacius. validè enĩ calefaciẽti baccarũ lauri expreſſo, rutã miſcuit cum aceto citra oleũ. *Aliud.* Succus ex radicibus iris expreſſus, cũ aceto pdeſt. Hoc pręſidiũ calefactoriũ nihil habet. Præſtaret igitur in trãſgreſſu ad generoſiora pſidia, primũ ipſum cõſtitui, deinde ſalicis folia leuia cũ aqua. Hoc ſupius expoſito, qđ ex iride cõſtat, imbecillius eſt, & omniũ primis poſitis ſimile. q̃re nõ opportunè in pſentia declaratũ eſt. Serpillũ tritũ ex aceto, & oleo cõuenit. De oleo quidẽ & aceto prius à me cõprehẽſum eſt. adiecit autẽ ipſis nũc ſerpillũ, acris q̃litatis medicamentũ, ideóq; & calidę facultatis. negligẽter autẽ hic omiſit indicare vtrũ viride, an ſiccũ ipſũ eſſe velit. pſtat forſã viride intelligere. *Aliud.* Polygonum cum ruta oleo ſubactum & aceto. Polygoni ſucco prima ratione, vt refrigerãte vſus eſt: etenĩ reuera talis eſt. quare & in doloribus diuturnis primo trãſgreſſu rationabiliter aliqs ipſo vtet̃, ruta admixta. Cõſiderare nos cõuenit ĩ vnaq̃q; cõtrariorũ facultatibus medicaminũ miſtura, initio qdẽ parũ generoſi eſſe tẽperandũ: in ſecundo autẽ, & tertio vſu augẽdũ ipſius põdus. *Aliud.* Amygdala amara pellicula detracta, leuia ex aceto, & oleo immerſa, ad cerati ſpiſſitudinẽ, ex linteolo frõti impoſita cõducũt. Atq; hoc primi trãſgreſſus eſt peculiare. Nã didicimus amara amygdala vim habere digerẽtẽ

citra morſum. *Aliud.* Ruta ſylueſtris cū *[*Vetus habet oleo.]* olea & aceto ſimiliter. Inordinate rurſus hoc interpoſuit, valēs admodū medicamētū, in doloribus multū diuturnis meritò omittēdū. *Aliud.* Populi albę fructus, cū aceto tritus. nā & albę fruct⁹ digerētē vim occupat. In qbuſdā exēplaribus nō cū aceto, ſed cū poſca ſcriptū eſt. *Aliud.* Ocymi ſemē cū aqua ꝓficit. Ocymi ſemē calefaciētis, & extenuatorię facultatis eſt, nō tamē validę. ex aq̄ verò ſola, ſi diſpoſitio in vetuſtatē incidit, nemo recte vtet. Nā ſatius eſſet oleū & acetū, vt in alijs dixit miſceri, ita in hoc quoq; dicere. *Aliud.* Bene facit etiā balſamū, peucedanū, caſtoreū, & ſimul, & priuatī, ſingula cū oleo & aceto. Hoc rurſus medicamētū validū eſt, & ꝓſertim cū ſolū ipſū peucedanū adijcit, citra caſtorei mixtionē. Balſamū quid vocet, nō poſſum dicere, vtrū germinis fructū, an liquorē quē opobalſamū appellant, an ſurculos ipſos dictos xylobalſamū. Melius autē mihi videt, vt opobalſamū intelligamus, qđ tenuiorū partiū & digerētis ſubſtātię exiſtit, nō tamē manifeſtè calidę. *Aliud.* Folia lauri, & populi albę, & viticis cū oleo & aceto. Mixtū hoc medicamētū ex diuerſis facultatibus ſimplicibus cōpoſuit. folia ſanè lauri calidiſſima, viticis autem mediocriter refrigerantia, media ipſorum ſunt populi albę folia. *Aliud.* Panacē cū oleo inunges. nullū hic refrigerantiū mixtū eſt, atq; ideo inueteratis admodū diſpoſitiōibus, & nihil etiānum caliditatis habētibus, vtile exiſtit. Quare etiā accuſauerit aliqs ipſum, ꝙ remedia citra diſtinctionē ſcripſerit. Panacē puto eū nunc dicere negligēter, ꝓ eo qđ eſt, panacis radicē. non enim putādū eſt opopanacē ab eo dictū eſſe panacē, qui à radice differt, nō exiguo quodam caliditatis exceſſu. *Aliud.* Viticē, aut mentham, amygdala amara, iridē, æquali pondere mixta aceto & roſaceo cōſperges. Aliorum virtus ſupius à me cōprehēſa eſt, mēthę autē nūc primū meminit, calidę facultatis medicamēti. *Aliud.* Sycamini ſucco aceto admixto caput ſuperfundito. Hoc manifeſtò eſt ex genere eorū quæ ab eo ſcripta ſunt incipiētis diſpoſitionis refrigeratoria remedia, quæ nō recte nunc permiſcētur ijs medicamētis, quæ ad augeſcētes diſpoſitiōes cōueniunt. Vbi diuturnus affectus eſt, pilis deraſis, illitionibus quidē enumeratis, & ſupfuſiōibus vtitor, craſſiores eas efficiēs. *Aliud.* Reſinā cū melle tēporibus & frōti illinito, aut muſcerdā cū aceto & roſaceo. Tertiū hoc eſt tēpus eſt in capitis auxilijs. nā primū erat incipiēte affectu, alterum, vt ipſe ſcripſit, inualeſcēte. tertium hoc, in quo ait, in vetuſtatem incidētibus, quod requirit auxilia vehementiora, quorum nonnulla prioribus non recte miſcuit.

*Quæ Aſclepiades tradidit in primo exteriorum ad recētes capitis dolores.*

*Aſperſio, qua* Nicomedes *vſus eſt.*

Rutæ foliorum, menthę, peucedani, iridis, ſingulorum drachmas duas, ocymi ſeminis drachmas octo, papaueris nigri ſeminis drachmas quatuor, poſcæ ſextarium vnum. coquito ad dimidias, & humorem expreſſum roſaceo ſubigito, & cōtinuè caput perfundito. *Aliud quo vſus eſt Charicles.* Amygdalarum amararum purgatarum drachmas duas, lygi floris drachmas duas, peucedani radicis drachmas duas, menthæ viridis, aut ſiccæ drachmas duas, rutæ ſurculorum drachmas duas, baccarum lauri purgatarum drachmas duas, ſpondylij drachmas duas, ſerpilli drachmas duas, caſtorei drachmas duas, roſarum viridiū, aut ſiccarū drachmas quatuor. aceto diſſoluta cerato qđ ex roſaceo præparatū ſit excipito, deinde linteolo illita, & pilis deraſis toti capiti imponito, & faſciola medicamētum deligatū vſq; ad ſequētem diē reſeruato, ac rurſus vbi ſolueris, renouatum id applicato.

*Pastillus ad capitis dolorem Antonii herbarii.*

Liquoris peucedanii drachmas sedecim, lachrymę papaueris drachmā vnā, anisi drachmas quatuor, alterci seminis drachmas quatuor, croci drachmas q̃tuor, scamonię drachmas quatuor. omnia leuigata cū aceto in pastillos cogito, siccatóq; in vmbra. vbi vti voles, dissolutis ex aceto frontē inungito, ab vno tēporū auspicatus, & in alterū desines. Cū febris adest, aqua vtes illinito. *Alexander vsus est sic.*

Peucedani radicis drachmas q̃tuor, vel liquoris drachmas duas, croci drachmā vnā, myrrhę drachmā vnā, opij drachmā vnā, aceto excipito, pastillósq; formato. cū vsus postulat, aceto dissoluēs locos sensui expositos delinito. hoc statim dolores soluit. *Aliud Antigoni in exercitu rem medicam insigniter tractantis.*

Baccarum lauri siccarū, leuium, purgatarum drachmas quatuor, scammoniæ drachmas quatuor, opij seminis drachmas octo, lachrymæ papaueris drachmas q̃tuor, croci drachmas octo, myrrhę drachmas q̃tuor, vuę imaturę drachmas quatuor, serpilli drachmas octo, aceti quantū satis est. preparato sicut dictum est.

*Diuturnio capitis dolori conflictantium epithemata, vt Charicles vsus est.*

Irini vnguēti expressionis, peucedanii, castorei, singulorū pars vna, baccarū lauri partes duę, viticis seminis partes duæ, rosarū siccarū partes duæ, rutæ surculorū partes duæ. aceto dissoluta, cerato q̃d ex rosaceo preparatū sit excipito: deinde linteolo illita, toti capiti īponito, pilis prius derasis, & fasciola deligatū, seruato vsq; ad sequentē diē, ac rursus imponito. *Si biliosus humor dolorem capitis inuexerit.*

Notæ horū p̃similes ijs, quos ob solis æstum dolor affligit. Sed maior ipsis rosio accedit, & faciei pallor: interī etiā os inamarescit. Porrò affectus hic ætatibus vigentibus, & tēperaturis calidioribus, vitę solicitę, & bilem flauam coaceruantibus solet accidere. Q uãobrē balneum tēperatum his, inunctiones, aquæ potus, & vniuersa victus ratio humidior, boníque succi vtilis est. Biliosus humor absinthij diluto vacuabitur, vel aloë, vel ipsa picra, id est amaro antidoto, per se, aut cum modica scāmonia, aut catapotijs quę ex aloë cōstāt. Inungenda frons, aut Croco de pastillo, aut Trigono, aut quodam simili. *Si caput consortii legē indolescat.*

Si caput lege cōsortij afficiatur, q̃d ei cum toto est corpore, cura adhibenda, quomodo cōtra intēperiē, superātémq; materiā pugnemus. Si copia quidē premit, & maxime in venis, sanguis mittendus est. Si autē magis qualitas vrgeat, purgāte vtēdum medicamine. Q uòd si particula laborāte aliq̃ cōdolescat, veluti iecinore, aut vētriculo, aut stomacho, his succurēdū est. Vbi calida afficit intemperies, panis ex aquoso vino exhibet, vel etiam ex chōdro sorbitiūculæ. Extrinsecus vincit superfundere, quæ modicè refrigerēt, viresq; cōfirmēt, sicut prius à me cōprehēsum est. At si glutinosi crassiq; humores in stomacho infarcti capitis dolorē cōcitēt, hos quoq; amoliemur potu oxymelitis, tū simplicis, tū Iuliani. Insup medicamētis ex hyssopo, & origano, & his adhuc calidioribus, magísq; incidētibus. Et vomitus à radicula vtilis, aspergin ésq; ad fouēdum calidiores, & cataplasmata recte admouentur. *De dolore capitis in febribus.*

In capitis doloribus, qui simul cū febribus p̃ initia inuadunt, sāguinē dimittere oportet prima aut scdā remissione, si nihil prohibet, & p̃sertim in hoibus boni habitus, multiq; sāguinis: mēte adhibita ne propter vapores à vētre oboriētes, aut aluū astrictā capitis dolor accidat. Q uòd si vero post septimā diem inuaserit, aluo prius inanita clystere insigniter, cucurbitula occipitio aut ceruici defigenda est,

ac caput aſpſionibus ex oleo mitigandũ,roſaceo ſanè in calidioribus,& æſtiuo tẽpore,cũ aceti momẽto:chamęmelino autẽ in frigidiori habitu & hyeme,quĩta parte aceti adiecta.cęterũ frons illinẽda,cyphi ſanè in frigidioribus,crocomagmate autẽ in calidioribus. At doloris q ob febriũ magnitudinẽ generať,remedia prius in ſermone de febribus cõprehẽſa ſunt. At caueri hæc oportet nõ ſolũ in his qui ex ſtomachi cõſẽſu capite dolẽt:ſed etiã in oĩbus circa caput obortis affectibus. Sũt autẽ hęc,viticis ſemẽ,abſynthij ſuccus,lactis potio,glãdes quercinę comeſtę,oliuę nigrę,arbuti fructus qđ memęcylon dicitur,eruus.hic etiã articulos reſoluit.magis autẽ ferit caput,myrrha,thus,hederę capreoli.itẽ mentẽ turbãt,iunci odorati ſemẽ,crocus,peucedanũ,cyclaminũ,ſiccũ cũ vino potum,ſtyrax modicus quidẽ potus moroſitatẽ ſoluit,multus autẽ turbulẽtos ſomnos efficit.

## De Cephalæa.

Cephalea diuturnus & cõtumax capitis dolor,qui ob exiguas occaſiones maximas habet acceſſiones,vt neq; ſtrepitũ ferat ægrotus,neq; vocẽ vehemẽtiorẽ,neq; ſplẽdidum lumẽ,neq; vini potum,neq; caput replẽtia odoramẽta,neq; motũ:ſed in quiete & tenebris ꝓpter dolorũ magnitudinẽ cupiat decũbere,vt cui videať caput veluti à malleo feriri.nõnulli caput tanq̃ cõtũdi aut diſtẽdi ꝑcipiũt:non paucis autẽ dolor ad oculorũ radices ꝑtingit. Cæterũ affectus hic adfert ſanè nõnunq̃ cõtinuos dolores,nõnunq̃ verò acceſſiones & intermiſſiones,vel ordinatas vel inordinatas.quippe huiuſmodi acceſſiones interim,quẽadmodũ comitialibus, ĩtermittũt:ac tẽpus quoddã interea abſolutè inculpatũ ſuperuenit.Cõſtat itaq; omnibus hũc affectũ,capitis prõptitudinẽ ad patiẽdũ cõgenerẽ habere ijs qui ex illo dolẽt,Græci vocãt κεφαλαλγικὰς. verũ particulæ capitis affectæ in illis imbecilliores redduntur.Iam quidã ipſorũ mẽbranis cerebro obuolutis dolẽt:nõnulli verò etiã ſola mẽbrana,quę ꝙ caluarię circũtẽditur,pericranios dicitur.Itaq; dolores qui cũ grauitate inuadunt,plenitudinẽ indicãt:qui vero cũ roſione,aut humorũ,aut vaporũ acrimoniã:qui cũ pulſu,inflãmationẽ:qui cũ tẽſione,ſi qđe citra grauitatẽ & pulſum obueniãt,ſpiritus crudi & flatulẽti copiã oſtẽdũt:ſi autẽ cũ pulſu,corporis mẽbranoſi inflãmationẽ.at ſi cũ grauitate generetur diſtẽſio,copiã intra mẽbranas cõtineri,ac dolores ſanè per ſumma accidẽtes,mẽbranę quę os ambit,perioſtios dicitur,affectum innuũt:in alto autẽ affligẽtes,mẽbranarũ cerebri,quas meningas nuncupãt.Quibus enim diſpoſitio intra caluariã eſt,his ad oculorũ radices dolores perueniunt,eo ꝙ oculorũ tunicę à cerebri mẽbranis habent originẽ.Quòd ſi etiã putris humor calidior euaſerit,cũ febre capite dolẽt.febricitãt autẽ oĩno,& qui ob inflãmationẽ dolẽt.Si igiť humorũ,vaporũmve copiã cauſã eſſe depꝛehẽderis,vbi ſanè ex totius corporis repletione generata ſit,totius corporis vacuatione capitis dolori medeberis.Vbi vero ceu imbecille caput exiſtẽs,ea quę ſurſũ ferunť,excipit,materiã in totũ corpus reuellere oportet,atq; ſic particulę medicari.Itaq; reuulſio fit clyſteribus,extremorũ deligaturis,& pluribus inferiorũ partiũ frictionibus:iterim etiã & ſanguinis vacuatione ex cubito.Quòd ſi ſanguis adhuc redundare appareat,etiã ꝑ nares,vena adaperta detrahere cõuenit,quãtũ ſatis eſſe videbiť.deinde hiera,vbi vim eius exacueris,intẽderiſq;,exhibenda eſt:mox pituitæ eductionibus ꝑ os,apophlegmatiſmos vocãt,vtẽdũ eſt:tum ijs quæ per nares vacuant, ἔῤῥινα Græcis dicuntur, cuiuſmodi ſunt

Græcè eſt λέπτε, pro ἀπέπτου.

Curatio

quæ ex elaterio, & sesamino cũ lacte, & porro præparãtur. Caput autẽ curabis, vbi quidẽ reuulsorijs vtendũ est, fomentis repellẽtibus: vbi vero totũ corpus inanieris, iam ijs quæ caput vacuãt, vti tẽpestiuũ est: deinde quæ id possunt corroborare. Repellit itaq; oleũ qđ ex immaturis oliuis expressum est, & rosaceũ per se, & cũ aceto. itẽ qđ ex capitibus papaueris, & teneris oleę germinibus, & hederæ capreolis, & mentha viridi præparatur. Cæterũ adhibe remedia tepida, vbi copia frigidior est, & crudior: frigida, vbi calidior, & biliosior. Discutit autem oleũ dulcissimũ, calidũ, idq; magis si in vetustatẽ incidat, & sicyoniũ. Si crassior humorũ copia fuerit, spondylij, aut serpilli in oleo decocto, aut pulegij comæ, aut calaminthæ, aut menthæ, copiam vacuabis. Hæc autem ipsa etiam robur particulæ adijciunt: quare etiam his ipsis ad absolutam vsq; curationem vti ratio est. Omnium maxime digerit, & strennue corroborat verbenaca recta, præsertim viridis. Iam vero & sicca, cum radicibus, & serpillo pariter oleo incoctis. His simul inijciẽda est radix cõcodiliadis maximæ, quæ apud aquas nascitur. Si verbenaca per se in oleo decocta caput perfuderis, omni capitis dolori diuturno ob frigus oborto, aut ex crassis humoribus, medeberis. plurimum auxiliantur aselli, qui sub situlis agunt, oleo incocti.

*Archigenes de medicamentis quæ pituitam per os eiiciunt, græci apophlegmatismos vocant.*

Post hæc apophlegmatismi ex sinapi, aut hyssopo cum passo decocto, aut herba pedicularia cum pipere trita, & cum melle, aut oleo melli mixto, aut herba pedicularia, tum priuatim, tum cum melle contrita. Materiam sanè eorum medicaminum, quæ, quò d pituitam per os educunt, apophlegmatizonta medici nominare consueuerunt, posterius explicabo: in præsentia vero tãtum indicare vtile est, hoc præsidium esse pituitæ molestantis remedium, quẽadmodum & nomen ipsius indicat. Archigenes autem dispositionem calidam & flatuosam pollicitus est se curare, non frigidam & pituitosam. Iuuantur admodum, si caput perfũdatur decocto lauri, aut rutæ, aut panacis, aut papaueris capitum, aut baccarum lauri. Haud noui qua ratione medicamentis valide calefacientibus annumerauit papauerum capita non mediocriter refrigerantia, quum indicauerit in orationis contextu, aliquem singulis commemoratis priuatim posse vti: forsan aliquando etiã mixtis: non tamen indicans an aliquid ex papauerum capitibus inijcere ipsis præcipiat, quo medicamentorum vehemẽtia imminuatur, & mitigetur, an etiã solis nõnunq̃ vti. quod incipienti augescẽtiq; dispositioni accõmodatius fuerit: inueterascẽtẽ autẽ nõ solum nihil iuuãt, sed etiã magis offendunt papauerũ capita. Bonũ etiã ex sale factũ fomentũ. Cõprehẽdit hic totũ sermonẽ Archigenes, qui fométi meminerit ex medicamẽto, quod siccat quidem nõ generose, habet autẽ quiddã etiam calefactorium. Conueniebat enim ipsum scientem, quò d calidã dispositionem curare statuerit, vel seruare semper indicationem, quæ ab ipsa sumitur, vel de transitu aliquid dixisse, ex quo dum caliditas cessaret, obstructio, aut intentio, aut huiusmodi aliquid generatum est, quod contrariam curationem ei quæ ab initio diffinita est, requirit. Post superfusiones autem, fomenta iuuant, si lini semine rosaceo insperso, lanas succidas ex aceto & rosaceo calidas circũponẽs deligaueris. Hoc auxilium est mitigatoriũ doloris vehementer infestã-

tis,nec non ſubiectã quoq; diſpoſitioné iuuat.Quare vbi intenſi doloris capitis auxilia conſcripſit,illic ſatius erat ei etiam de fométo verba feciſſe. hoc autē tēpore, de quo præſens ſermo inſtitutus eſt, ſi fomentis, aut cataplaſmatis vti viſum fuerit, foměta ex milijs præſtãtiora. Vt enim Hippocrates dixit, miliũ & leue & mite eſt: ſales autē ꝑpter grauitatē moleſti ſunt, preſertim in capite.

*De cataplaſmatis in capitis dolore.*

Cataplaſmatis autē vtitor,ordeacea farina cruda,quæ iridem cõtuſam habeat:aut rutæ ſemine ſimiliter,aut fœniculi radice eodē modo,aut farina ordeacea ex oxymelite ſubacta, aut mixta polenta, & pulegio. Hęc cataplaſmata ſecundi temporis ſunt, eorum quæ ipſe diffinierit. hoc autem tempus intenſæ cephalææ attribuitur,quippe illã mitigabunt,& diſpoſitioni opitulabũtur.aut id quod ad Nileum refertur,admixta decima caſtorei & iridis parte,cum aceto & roſaceo imponito.Itaq; Nilei medicamẽtum emplaſtri figurã repræſentãs,celebre admodũ eſt iam inde à longo tẽpore, atq; ideo omnibus cognitũ. Promittit autē inflãmationum præcordia infeſtantiũ reliquias veteres curare, obſcure verò mixtioné ipſius cũ caſtoreo & iride Archigenes ſcripſit.Incertũ enim in altero ne ipſorũ decimã partē eſſe velit Niliaci malagmatis,an ĩ vtriſq;. melius autē mihi videtur vtriuſq; decimã partē miſcere. Verũ caſtoreũ & iridē exactè læuigata eſſe cõuenit, deinde hæc Nilei medicamẽto paulatim ꝑ manus miſcere, ita vt manus ꝑ vices roſaceo, & aceto madefacias. aut nuces amaras excorticatas, & rutã, iridiſq; exiguum aceto, roſaceóq; mixta, malagmatis forma imponito. Huiuſmodi medicamenta multa, quũ ipſe in ſecundo tẽpore diſpoſitionis propoſitę cõſcripſerit, quę illorũ eſſet, ego ſum interpretatus. Aut viticis ſemen, perſicæ folia viridia, & myrrhã, pari põdere cũ vnguẽto Aegyptio fronti cataplaſmatis figura applicato. In Alexãdria ſola, perſicę arborē vidi, nõ tamen in alia gẽte quadã Romanorũ imperio ſubdita. Nõnulli perſiũ ipſum nominãt, ac dicũt in Perſis huius arboris fructũ eſſe perniciosum, qui in Aegyptiorũ regione innocuus exiſtit. porrò Aegyptiũ vnguentum, nõ ita ſolum, verũ etiã Mendeſiũ appellatur. quidã ipſum & Megalæon vocari affirmant, ab eo qui illud cõpoſuit, cognomento Megalo, alterutra appellatione ſumpta, ab ipſo quidē authoris nomine in eorũ forma, quę deriuatiua nominãtur: à patria verò ipſius, Mẽdeſion. eſt porrò & laxans, & mitigãdo dolori idoneum. Aut ſulphur, caſtoreum, baccę lauri, pari portione, cum cerato roſaceo illita, tẽporibus & fronti imponũntur. Calidum inſigniter medicamẽtum hoc eſt, quod frigidas diſpoſitiones poſſit iuuare. Aut caſtoreum, & peucedanum æquali põdere. Cõſimilis eſt & huius medicamẽti facultas ſuperiori. Quòd ſi dolores perſeuerẽt, ſanguinis dimiſſione ex naribus, aut fronte, vel cucurbitulis in occipitio vtitor. Sanguinis detractioné ex particulis affectis in morbis inueteratis cõuenire à medicis propè vniuerſis confeſſum eſt. in occipitio autem cucurbitulæ, reuulſoria ſunt auxilia, in quibus humores, qui ad oculos, vel priores capitis partes ferri conſueuerunt, auertere conamur. Aut medicamẽto quodam quod ſternutamenta ciet, concutito, fune circumpoſito, & ſpiritũ continere iuſſo ægrotãte. Huius præſidij adiumentũ indicauit, qui appoſuerit orationi, cõcutito. Ex eo autē, ceruicē fune circũdato, vehemẽtiorē fore diſpoſitionē exiſtimat. Aut per nares purgato. Hoc pręfatus deinde enumerat

quæ per nares purgant. de quibus ego verba faciam, quemadmodum & de ijs quæ pituitam per os educunt, quum sermo de medicaminibus quæ capiti applicãtur, fuerit absolutus. Vbi vero admodũ diu perseuerauerint dolores, caput sinapi obducito, vt mos est, & perurito. Omnium affectuum, qui diutissimè infestarũt, quũ auxilia nihil proficiunt, curationẽ quam methodici metasyncriticam, hoc est recorporatitiã vocãt, propemodũ omnes moliri cõsuerũt: ad quã primi medici peruenerũt, haud scio qua ratiocinatione vsi. Ego autẽ in quibus vel intẽperies quædã humida & frigida particulis patiẽtibus inest, ipsa per se, aut propter frigiditatem eiusmodi humorum oborta, medicamenta quę ex sinapi, thapsia, & similibus præparantur, ipsis admoueo: calidis autem & siccis non admoueo. porrò ij qui nequeunt dispositiones cognoscere, ad huiusmodi medicamina veluti ad sacram anchoram confugiunt: eóque frequenter voti compotes euadũt, quoniam plurimos homines ex praua victus ratione tales infestant dispositiones.

*¶ Archigenis de iis qui ex ebrietate capitis dolorem experiuntur.*

In ijs qui ex ebrietate capitis dolorem experiuntur, iride sicca, & viticis folijs in aceto & rosaceo vtitor. Aut apij summitatibus vino incoctis caput cataplasmatis modo obducito. Aut pulegio cum vino similiter. Aut mendesio vnguento perfundito priuatim, aut cum adipe anserino. Aut myrrham cum vino mendesio cataplasmatis modo inducito. aut rutæ folijs, baccis lauri, vitice, populi albę fructu, æquali pondere lęuibus cum oxelæo tepefactis caput irrigato. Quæ ebrietatem arcent, huiusmodi sunt. Absinthium mane ieiunus potato. Aut myrti florem & myrrham rutámq;, lęuia cum aqua. Porrò de ijs qui ex ebrietate dolent capite, abundè tractaui, Apollonij medicamenta considerans. Post dictam verò prius orationem alia sequitur de dolentibus capite, stomachi consortio, qua de iam disputatum est.

*¶ Medicamenta Archigenis, quæ, quòd appenduntur collo, περίαπτα Græcis dicuntur.*

Quoniam & Archigenes remedia tradidit, quæ, quòd collo appenduntur, περίαπτα Græcis dicuntur, quæ quidem illorũ nullã rationẽ medicã habẽt, ijs qui experientia nituntur, hæc relinquo, dicẽtibus ex quodam mirabili naturæ consensu hominibus incognito operari. Quæ autem ratione constant medica remedia ab Archigene prodita, selecta persequar sola ad ipsiusmet sententiam: sicut hactenus de medicamentis egi. Polygoni duos ramusculos implexos capiti circundato. Quòd polygonum calidis & flatuosis capitis doloribus conueniat, ipse prius explicauit. Nihil igitur miri est in huiusmodi ipsum frequenter iuuisse. quippe hi continuè contingunt ex æstu, & ebrietate. Quòd autem duos omnino ramusculos esse oporteat, adiectum est ab ijs qui volunt auxilium ex polygono per naturæ consensum incognitum, non ex temperamento ipsius fieri. Vel cichorium, quod Romani intybi olus dicunt, patiẽtis capiti inducitur. præsertim si ex solis æstu doleat. Ego vero adijciam, etiam si ex ebrietate. Sic enim opitulantur rosaceæ corollæ. Ac has sane licet scribere cuicunque libet, & numerum adijcere quemcũque voluerit, & affirmare corollam ex tot rosis implexam capiti mederi. Deinde callitricho caput coronandum censet, quod nonnulli dicunt trichomanes. Ego autem noui qui de herbis scripserint, adiantũ potius nominare callitrichũ, q̃ trichomanes. Deinde paulo post, Herba

quæ quòd hominibus tangentibus adhæreat, philanthropios dicitur, & palmæ maſculę corticoſa ſummitate. Ab his ad verbũ ita ſcribit, Vel cõtra ſolem collocatum eum qui capite dolet, vſque dum dolor ceſſet, finito. In eorũ quæ capiti appenduntur, catalogo, hoc quoque ab eo conſcriptum eſt, quod caput ex perfrictione dolens iuuare poteſt, ſi homo neq; plethoricus fuerit, neq; cruditate laboret, vel humorem quendam prauum in ventriculo, præſertim in ipſius concauo, obtineat. Calidos autẽ capitis dolores, ex quibus ſunt, & qui ex ebrietate, & qui ex æſtu contrahuntur, non mediocriter offendit. Perſimilia his deinceps ſcribens, ad chamæmelum venit, cuius experientiam habemus capitis dolori auxiliari, ſi eo quis, vt prius dictum eſt, vti poſſit. Vocat autem Archigenes anthemidem herbam, quemadmodum & alij multi, aítque florem ipſius ſi conteratur, & naribus quis odoretur, opitulari: folia autem ſummè offendere. Liberat capitis dolorem herba verbenaca, quam nonnulli ſacram appellant, & capiti circundata, & illita ex aceto & roſaceo. Hoc præſidium conueniebat ipſum nõ nunc inter ea quæ appenduntur, ſed prius in libris medicamentorijs, ſiquidem huic ipſe fidit, longa perſcrutatus experientia, perſcripſiſſe. Aut teſtudinis paluſtris, quam nonnulli vocant ſanguiſugam, ſanguinem ſincipiti inſtillato. Hoc quoq; ſi verum eſt, oportebat inter medicamẽta cum diſtinctione eſſe ſcriptum, niſi forte dicat, hoc omnem iuuare capitis dolorem quouis tempore. Sic enim eo & nos naturę conſenſum teſtabimur, non efficaciam temperamenti, quod obtinet. Quum igitur ſermonem de ijs quæ appenduntur abſoluiſſet, deinde hæc tradidit.

¶*Archigenis de diuiſionibus & contuſionibus quæ capiti accidunt.*

De vulneribus quæ in capite obueniunt, deinceps agetur. Parua autem diuiſione oborta, nonnulli myrrham aceto contritam, aut aloën cum linamentis imponũt. & glutinat, & à flammatione mirabiliter ſeruat. At in cõtuſionibus, quæ citra diuiſionem in capite fiũt, faciunt etiam polentę impoſitæ. Præterea hyſſopus, & lanę ſuccidę ſimiliter. *Aliud.* Peculiarius autem ſimilaginẽ ex aqua applicabis. *Aliud.* Aut origanum cum polenta. Hæc autem, quòd vtilia quidem ſint cognitu, quorſum attinet etiam dicere? verum ad aliud opus pertinent. Attamen vel quòd putet ex tali cauſa dolentibus hæc eſſe idonea, conſcripſit, vel tanq̃ inflammationes oboriẽtes poſſint curare, vel tanq̃ prohibere. Quin etiã in nonnullis exemplaribus, nequaquam hæc feruntur. ſicut in alijs adhuc etiam plura id genus, in hunc modum habent. At in vulneribus circa caput obortis, & mediocribus, & in ijs qui celebrem medicum non requirunt, in quibus nõ eſt locus glaber ſua ſpõte, pilis deraſis, & fibulis traiectis, glutinatorijs experientia probatis vtemur. Pulchre glutinat cerebri mẽbranã cõuulneratã calaminthę ſuccus infuſus, & farina miliaris ſicca inſperſa. Deinde butyrũ, roſaceũ, adeps ſuilla vetus, mixta tepefiũt, & ipſi ſuperfunduntur. In quibus os denudatum eſt, diuiſa pericranio membrana, rademus os, & ratione qua committitur, tanq̃ ſi ne nudum quidem fuerit, curabimus. Si autẽ ſuturæ nõ cõtinuerint, tunc ſecundum rationẽ qua caro coaleſcet, συσαρκῶσιν appellant, ſicut & reliquorũ vulnerum curam habebimus. Exponetur tractandi modus ſuo loco. In quibus vulneribus vel ob paruitatem, vel aliàs non licet ſuturis vti, carptum linamentũ ex oxelæo imponitur, aut ex ſucco myrti, aut lentiſci, aut

rubi, aut conizæ tenuia folia habentis, miſcens alicui ipſorum mellis momentum, linamentum madefaciens imponito. Applicato autem prædictorum folia cupiam. aut ſpongiam inanem oxelæo madidam inducito. Aut lanam ſordidam ſimiliter. Iam ipſi vulneri braſſicæ folia ſuperimponito, aut polentã aceto maceratam per ſe applicato, aut cum braſſicæ folijs contuſis. Hæc ſanè Archigenes ſcripſit medicamina capitis doloris, ſimul cũ quibuſdam diſtinctionibus, vt etiam Apollonius factitauit. Aſclepiades autem varia quidem medicamenta tradidit, diſtinctiones autem diſpoſitionum non adeò ipſis appoſuit: verum incipientium ſolum, aut diuturnarum. idq; fecit non in multis, ſed in primis, & duobus extremis. Itaque poſtrema crediderit aliquis in diuturnis proficere, ex validis ſimplicibus medicamentis compoſita. Primum forſan ob hoc ſolum aliquis in vſum eiuſmodi ducere poſſit, quòd papaueris liquorem non exiguũ obtinet. Talia vero didicimus non eo quòd diſpoſitionibus opitulentur, ſed quòd vim ſenſoriam ſtupefaciant, dolores lenire ſolita. ordine igitur & hæc omnia ſcribentur.

*Quæ Aſclepiades ad capitis dolorem in primo exteriorum prodiderit.*

Ad recentes capitis dolores fotus, quo vſus eſt Nicomedes. Rutæ foliorum, menthę, ſingulorũ drachmæ duæ, peucedani drachmæ quatuor, iridis drachmæ duæ, ocymi ſeminis drachmæ octo, papaueris nigri ſeminis drachma vna (alij drachmæ octo) poſcæ heminæ duæ. Ad dimidias coquãtur, & liquore expreſſo roſaceóq; ſubacto, caput frequenter foueto. *Aliud* quo vſus eſt Charides. Amygdalarũ amararũ purgatarũ drachmæ duæ, lygi floris drachmæ duæ, peucedani radicis drachmę duæ, menthæ viridis aut ſiccę drachmę duæ, rutę ſurculorum drachmæ duæ, baccarum lauri purgatarum drachmæ duæ, ſerpilli drachmę duę, ſpondylij drachmę duę, caſtorei drachmę duę, roſarum viridiũ aut ſiccarum drachmæ quatuor, aceti heminæ duæ, roſacei quod ſufficit. præparato & vtitor, quemadmodum dictum eſt.

*Paſtillus ad capitis dolorem, quo vſus eſt Antonius herbarius, multam habens medicinæ experientiam.*

Liquoris peucedani drachmæ ſex, lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, croci drachmę quatuor, myrrhę drachmę quatuor, ſcammonię drachmę quatuor. Omnia lęuigata ex aceto in paſtillos coguntur, ſiccantúrq; in vmbra. cũ vſus exigit, diſſolutis ex aceto frontem vſq; ad vtraq; tempora illinito. ſi febris adeſt, aqua vtens inungito. vt autẽ Alexander vſus eſt, ita habet. Peucedani radicis aut liquoris drachma vna, croci drachma vna, myrrhæ drachma vna, opij drachma vna. aceto excepta in paſtillos cogito. vbi opus fuerit, aceto diſſolués locos ſenſui expoſitos oblinito. *Aliud* Antigoni, cum in exercitu inſigniter rem medicam exerceret. Baccarum lauri ſiccarum, lęuium, purgatarum drachmę quatuor, ſcammonię drachmę quatuor, liquoris papaueris drachmę quatuor, opij ſeminis drachmæ octo, croci drachmæ octo, myrrhæ drachmæ quatuor, omphacini drachmę quatuor, ſerpilli drachmæ octo, aceti quod ſufficit. præparato, ac vtitor ſicut prius comprehenſum eſt.

*Epithema diu ex capite dolentium, quo vſus eſt Charides.*

Irini vnguenti expreſſionis, peucedani, caſtorei, ſingulorum pars vna, baccarum lauri pars vna, viticis ſeminis pars vna, roſarũ ſiccarum pars vna, rutæ

surculorum partes quatuor.aceto resoluta excipiuntur cerato,quod ex rosaceo præparatum est: deinde in linteolum illita capillis derasis toti capiti imponuntur, & fasciola deligata vsq; in sequẽtem diẽ seruantur, rursúsq; imponuntur. *Aliud* vehementer generosum. Amygdalarum amararum lygi floris, peucedani radicis,mẽthę viridis,rutę surculorũ,baccarũ lauri,serpilli,spõdylij,castorei,singulę partes, rosarum partes duæ.pręparato & vtitor, vt expositum est. Post commemorata superius tradidit Archigenes, Apollonius & Asclepiades medicamenta, quæ partim per os, partim per nares caput purgant. Quæ autem Archigenes conscripsit,ita ad verbum sonant.

*Archigenis de medicamentis,quæ pituitam per os educunt,& naribus infunduntur: hæc ἐγχυτα, illa ἀποφλεγματισμοὺς Græci vocant.*

Post hęc apophlegmatismi exhibentur ex sinapi,aut hyssopo cum passo decocto. aut vuis passis cum pipere contrito . aut melle oleo mixto.aut herba pedicularia seorsim cum melle contrita.Hæc sanè Archigenes inter capite dolentium remedia.Apollonius ijs adiecit quæ ad dentium dolores inscribũtur, in primo de paratu facilibus remedijs libro,hoc modo ad verbũ scribens.Medicamenta,quæ ad dentium dolores naribus infunduntur. Betæ radicis succũ ipsum per se naribus instillato,& dentiũ dolores soluit. *Aliud.* Cumini quantũ tribus digitis cõprehendi possit,myrrhæ fabæ instar,cucumeris syluestris medullæ duplicata portione:trita & lacte muliebri mixta in collyria redigito,& vtriq; nariũ demittito:deinde sic attrahere iubeto, tandiu q̃ quis quinq; stadia perfecerit: deinde emungere.medicamentum hoc etiã aurium dolori facit.

*Asclepiades in primo exteriorum in hæc verba scripsit.*

Asclepiades de medicamentis, quæ naribus infunduntur , sternutamenta cient,& pituitam per os educunt.Quę caput purgant per nares, ἔρρινα dicũtur, faciunt etiam ijs,qui longa lippitudine infestãtur: item comitialibus,multam humiditatẽ educunt. Melanthij sicci drachmę octo,salis ammoniaci drachma vna,elaterij drachma vna.trita & in lęuorem tenuissimum coacta, excipiũtur oleo cucumerino, aut vnguẽto irino,aut cyprino,vt cerati liquidi habeãt spissitudinem: & pyxide cornea cõdens vtitor, nares sublinens,iubetóq; attrahere. *Aliud* citra molestiam purgans,dolorẽ statim discutit.Cyclamini sicci drachmæ octo,iridis aridæ drachmæ duæ, nitri rubri drachma vna. ego elaterio vsus sum. Trita diligenter inspirato per fistulam,adhortans vt sursum attrahat,deinde deorsum inclinet,vt humor qui coaceruatur,effluat, Post hæc Asclepiades ad istam sententiam scribit.

*De iis quæ sternutamenta cient.*

Sternutamẽta caput purgantia Heraclidis Tarentini.Cumini Aethiopici, piperis albi,struthij,hoc est herbæ lanariæ,castorei, singulorũ paria pondera. cõtusa cribratáq; pyxide ærea reponito.cũ vsus postulat,pyxide adaperta naribus applicato,aut digitis attingito , aut calamo inspirato. *Aliud.* Gingiberis drachmę duæ,struthij drachmę duę,piperis albi drachma vna,casię drachma vna.In modum prædictum vtitor. Ad veterem capitis dolorem medicamenta quæ sternutamentũ prouocant,Ptolomęo authore,faciũt vertiginosis & comitialibus.Veratri albi drachmæ quatuor (in alio vna) cucumeris syluatici radicis drachma vna,struthij drachma vna,nitri rubri drachma vna, castorei dra-

chma vna, piperis albi drachma vna. vtitor vt dictum est. *Aliud.* Veratri albi, cucumeris syluatici radicis, struthij, singulorũ partes duæ, castorei, acori, nitri rubri, cumini æthiopici, singulæ partes, euphorbij pars vna. Læuibus vtitor, vt expositum est. Postquam Asclepiades de ijs quæ sternutamento vacuant prius disseruisset, his verbis scripsit.

*Quæ mansa caput purgant, multum humiditatis educunt.*

Piperis albi drachmæ duæ, herbæ pediculariæ drachmæ duæ, casiæ drachmę duæ. Excipiuntur vua passa acinis exemptis, aut ficuum pinguium carne, dantúrque dentibus conterenda. Oportet autẽ eos qui mandũt deorsum inclinare & ex interuallo hiare, vt humor qui colligitur effluat: deinde aquam calentẽ ore cõtinere. Quòd si rosio multa excitetur, diu vt contineatur exhibenda est. *Aliud.* Herbæ pediculariæ, pyretri, piperis albi, hyssopi, cardamomi, singulorum par modus, polentę duplicatus. aqua maceratis vtitor in modum prędictum. Quæ subsequuntur medicamenta, nonnullis quidem præceptores vsos esse noui, nonnullis amicos. quædam etiam ipse vsurpaui, vt longa experientia perscrutarer, ídne, quod promittunt, efficiant. sunt autem subscripta. Cucumeris agrestis foliorum succus naribus instillatur, & ipse priuatim, & cum betæ decocto, aut succo. *Aliud.* Myrrha melle cocta naribus infunditur. *Aliud.* Aloës, nitri, melanthij, paria pondera, cum oleo veteri, vt sordium fiat spissitudo. *Aliud* quod manditur. Nitri vnciæ sex, anisi vnciæ quatuor, herbæ pediculariæ vnciæ tres, lauri folia viridia, & vuæ passę domesticæ acino exempto pares modos excipito, ex hac mistura pastillos fingito, qui tres drachmas pendeant, vt cum vsus vocat, singuli mandantur. *Aliud* quod naribus infunditur. Euphorbij drachma semis, thapsiæ drachma vna, iridis drachma vna, mellis cocti drachma vna semis, betæ radicis succi quod sufficit. ex hoc accipiens milij magnitudinem aqua diluito, specillo exceptum naribus instillato. *Aliud* quod naribus inditur. Cyclamini succi cyathi duo, hederę foliorum succi cyathus vnus, peucedani obolus vnus, elaterij tantũdem. vitreo vase reponũtur. cũ vsus exigit, lacte muliebri dissolutum naribus infunditur. *Aliud.* Myrrhæ vnciæ quatuor, euphorbij totidem, piperis albi grana vigintiquinq;. vbi myrrham aqua prius dissolueris, & euphorbiũ: misceto piper lęue, & olei gleucini vncias sex adijcito, atq; sic vtitor. *Aliud* quod naribus infunditur, pituitam per os abundè educens. Olei communis sextarij duo, saponis libra vna, resinæ frictę libra vna semis, opopanacis vncia vna, anchusa colorato, & ore prius aqua repleto vtitor. *Aliud* quo os oblinitur. Saponem betæ succo solutum, palato, & oris vuæ illinito. idem hoc etiam naribus inditur.

*Quæ Crito prodiderit in libro de medicamentis primo, ita sonant apophlegmatismi.*

Herba pedicularia priuatim mansa, & cum pulegio. *Aliud.* Herbę pedicularię & origani singula acetabula, nitri drachmę duę. lęuia dato cochlearis instar mãdenda, donec os repleatur, deinde hiãs finito effluere. *Aliud.* Origani vncię quatuor, hyssopi drachmæ quatuor, herbæ pediculariæ drachmæ quatuor, aphronitri drachmæ duæ, sinapi drachmæ duæ, pyretri drachmæ tres. læuigatis vtitor. *Aliud.* Sinapi pars vna, herbæ pediculariæ pars vna. contusis vtitor. hoc pharmacopolæ vtũtur. *Aliud.* Hyssopo, thymo, origano, & per se, & simul vtitor. *Aliud.* Cucurbitæ syluestris medulla in aceto cocta, humore in ore diutius

contento, aut cucurbita vino macerata diutius. *Aliud.* Allia cum erucæ semine & nitro. *Aliud.* Herbę pedicularię drachmę septem, pyretri drachmę quatuor, hyssopi drachma vna. vbi contuderis, orbiculos fingito, qui singuli drachmam pendeant, ac dato mādendos. Critonis medicamenta, quæ in arquatis in nares mittuntur. Medicamentum quod naribus inditur, ἐῤῥινον vocant, excernit per nares & os. Ne metuas autem, si excalefaciat, aut exasperet palatum, nam recorporatitiū est. Herbę pedicularię drachma vna, melāthij drachmę tres. lęuigata ex aceto, vt medicamētū sordibus fiat liquidius, naribus ad dies quinq; infundito, donec expurgatę fuerint. facito autē quotidie. *Aliud.* Hederę folia decē cō terito ex oleo, donec sordiū fiat spissitudo, & naribus similiter instillato. *Aliud.* Summè facit etiam in ipsis elaterium naribus inspiratū. qui vero citra noxam quid volet facere, in solium calentis aquę insideat necesse est, atque ita toto immerso corpore præter faciem elaterium inspiret. educit enim per nares bilem, copiosam. *Aliud.* Elaterium erui magnitudine, muliebri lacte solutum naribus infundito: atque vbi facta fuerit purgatio, collocato in soliū, & abstergito, & victus ratione recreato.

*Quæ Aeneas prodiderit ab experientia ad apophlegmatismum.*

Hæc expertus sum Aenea vtente, à quo etiam scripturas accepi. Ἐῤῥινον pituitam educes. Saponis libræ sex, adipis caprilli libra vna, cerę librę tres, picis aridæ vnciæ quatuor (alij vnciæ tres) nitri tātundem, lixiuij stillatitij acris cyathi duo. aqua dissoluito, & vtitor specillo infundens, ac iubeto attrahere. prius autem foueto caput irino, & post vsum mulsa frequenter gargarizet. *Aliud.* Euphorbij drachmæ sex, lycij indici drachmæ quatuor. betæ succo excipiuntur, & melle: soluuntúrque aqua, aut lacte. *Aliud.* Cyclamini succi cyathi duo, hederę capreolorum succi cyathus vnus, peucedani liquoris obolus, elaterij obolus vnus. vtitor in balneo cum lacte muliebri. *Aliud.* Pyretri, piperis, hyssopi, pedicularię herbæ, pares modos. fingito pastillos drachmam pendentes, singuli mandētur, & post purgationem sale & melle curatio absoluatur. Sternutamento purgātia. Piperis albi, veratri albi, castorei, euphorbij, herbæ lanariæ, cyclamini succi aridi, paria pondera naribus prius irritatis pinna inspirato.

*De omnium valentium medicamentorum vsu.*

Quę de prædictorum medicamentorum vsu sermonē dixero, hunc ad omnia alia, quę validam vim obtinent transferre oportet. quippe valentissima non statim ab initio admouere conuenit, sed ab imbecillioribus auspicari. Quinetiam ipsa valida medicamenta dum leniū mistura mitescunt, mediocria redduntur: atq; idcirco ego lacte muliebri recenti læuigans ipsorum quædam, & aqua, mox oleo dulci, deinde betę succo & anagallidis quę cæruleum florem repræsentat, ita vicissim vtor. postremo & ex opobalsamo hæc conterens admoueo, primum sanè lac miscens: vbi autem hoc facile tulerit, etiam sine lacte. Cæterum frequenter vsus sum quod naribus infunditur melanthio, facili paratu medicamento, interim aceto acri pridie macerās, deinde postero die cum aceto rursus læuigans, & in nasum per foramina infundens, aut ægrotum id sursum attrahere præcipiens: interim oleo veteri idem melanthium læuigās similitérque vtens. Ita igitur ipso vsus est etiam Archigenes in narium obstructione, superiori autem Crito ex aceto in arquatis.

**De Hemicrania.**

Affectus in dimidia capitis parte, nunc dextra, nunc altera dolorificus oritur, qui futura secundum ipsius lõgitudinem exporrecta distinguitur, & plurimum per circuitum intenditur. Causa doloris est, vaporum aut humorũ vel copiosorum, vel calidorum, vel frigidorum influxus. Nonnulli sanè in temporum musculis vehementer dolent, ac plures sunt qui ita dolent: nonnulli dolorem longissime ascendentem experiuntur, ac quidam vehementer adeò dolent, vt ne manus quidem ex facili tolerent: in quibus membranam caluariæ circundatã, quam pericranium appellant, affici omnibus manifestum est: ita tamen, vt ne cutis quidem in totum ab affectu sit immunis. Constat igitur vaporum qui delinquunt, aut humorum, aut amborum influxum, vel per venas, vel arterias, vel per vtrasque fieri: interim sanè ipsis solis caluariæ partibus internis, hoc est cerebro, & eius membranis recremẽta sua foras propellentibus: interim inferiori capitis parte vapores aut humores prauos sursum mittente. Quocirca etiam Hemicraniam curare aggressus aliquis, inspiciat prius quali indigeat purgatione, aut sanguinis dimissione æger. deinde sic ad capitis ipsius perueniens auxilia, tum propriæ manus digitis, tum linteo dimidiã frontis partem, & præsertim qua musculus temporum existit, infricans calefaciat: idque ante accessionis horas. post hanc autem medicamentis vtatur, quæ à medicis hemicranica vocantur: si calor multus in doloribus percipitur, iis quæ aliquid habent refrigeratorium: si ille non adest, iis quæ vehementer calefaciunt. misceatur autẽ vtrisq; aliquod corroborãs, astrictoria scilicet facultate preditum. Miror autẽ quomodo nec Apollonius, nec Archigenes, nec Asclepiades post medicamenta ad capitis dolores inscripta, tradiderint etiam aliquid de his, quę hemicranica dicuntur. Conueniebat enim eos, etsi nihil in ipsis proprium est, eo quòd in sermone de capitis dolore comprehenduntur, hoc ipsum quoq; significasse. Consimiliter autem & Heras & Crito de hoc affectu copiosius disserere neglexerunt. Quibus autẽ inueteratis capitis doloribus auxiliatur remediis, eadem etiam hemicranicis esse præsidia indicat. Itaq; Heras in libro medicamentorio per initia statim in hunc modum ad capitis dolorem scribit.

**Ex commentariis Heræ ad capitis dolorem.**

Crocomagmatis pars vna, gallæ pars vna læuigata cum vino fronti illinito, & temporibus. Pastillus ad capitis dolorẽ summe faciens, si bis térve ad vtraq; tempora vsq; illinatur. Croci drachmæ quindecim, chalcanthi drachmæ decem, aluminis scissi drachmæ tredecim, myrrhæ drachmæ tres, opij drachmæ tres, omphacij drachmę tres, chalcitidis drachmę tres, gummi drachmę quindecim. Læuigatis his vini austeri falerni quod sufficit adiicito, terito vt collyrium, deinde in pastillos redigito. vbi necessitas erit, posca dissoluens, aut aceto, vtitor. Malagma ad capitis dolorem. Aeruginis rasę drachmæ quatuor, æris combusti drachmæ duæ, squamæ stomomatis drachmæ duæ, cimoliæ drachmę quatuor, chalcitidis drachmæ quatuor, pumicis crudæ drachmæ quatuor, terebinthinæ vncia vna, ceræ drachmæ trigintaseptem semis, olei veteris cyathi duo. aridis læuissimis liquida superfundens, emollito, & vtitor. Quòd si medicamẽtum durius esse videatur, oleo amygdalino emollies. Hęc sanè Heras ad capitis dolorẽ conscripsit, vtuntur autem ipsis nonnulli in doloribus alteram

capitis parte infestantibus, sicut & alijs medicamentis, quæ enumerati viri ad veteres capitis dolores prodiderunt. non tamen per totam frontem extendunt medicamentum, sed per solam particulã affectã. Nostrorum verò præceptorũ vni mos erat ad inueteratas hemicranias hoc vti medicamento. Piperis albi drachmæ duæ, crocomagmatis tantundem, euphorbij drachma semis. vtitor. De euphorbij virtute iam antea, cur citò exoluatur, exposui. Oportet igitur in huiusmodi medicamenta non vetus inijcere. Cæterum quòd recens albidius sit, vetustate autem ad flauiorem, aut pallidiorem colorem conuertatur, à me dictum est. Si autẽ non adeò vetus sit euphorbium, sed bimulum aut trimulum, duplicatam eius portionem indes: hoc est, drachmam vnam. Quemadmodum verò euphorbium recens inijciendũ est, ita etiam stercoris columbæ drachma semis. puta montanas columbas, quæ in turribus nutriuntur, sibijpsis alimentũ suppeditantes, non vt in vrbibus, quæ domi aluntur. Quin etiã atramenti scriptorij æqualis portio colũbarum stercori inditur: hoc est drachma semis atramenti: atramento & hic nostro pergameno indito. quo semper preceptor vsus est. Itaq; vel illud ipsum ex pergameno atramentum inijcere oportet, vel aliquod optimè præparatum. Et mixta hæc omnia macerare, & aceto quãacerrimo immergere. læuigata, musculo temporum, & toti frontis parti dimidiæ, & affectæ capitis regioni delinere. *Aliud* medicamentum non solum hemicraniæ efficax, sed omni quoque capitis dolori inueterato: si illinatur in capitis quidem dolore toti frõti, in hemicranijs autẽ dimidię parti capitis affectæ. Croci drachmæ quindecim, chalcanthi drachmæ decem, aluminis scissi drachmæ tres, myrrhæ drachmæ tres, opij drachmæ tres, omphacij drachmæ tres, gummi drachmæ quindecim. læuigatis omnibus vinum falernum addito, & rursus instar collyrij deterito: deinde pastillos formatos, cũ vsus venit, posca diluito, vel aceto, & illinito. *Aliud* ad easdem dispositiones. Scammoniæ drachmæ sex, croci drachmæ duæ, hederæ comę drachmæ sex, sulphuris viui drachmæ quatuor, anisi seminis drachmæ octo, apij seminis drachmæ octo. læuigata diligẽter ocymi succo formato. Hoc copiosiori rosaceo solutũ, capitis fotus efficitur lethargicis vtilis. *Aliud* medicamẽtum non solum in ijsdem cõueniens, sed etiã vertiginosis idoneum. Peucedani radicis drachmę quatuor, iridis illyricę drachmæ duæ, æruginis drachma vna, acori drachma vna, spõdylij drachmę quatuor, piperis nigri drachmæ duæ semis, castorei tantundem, serpilli drachmæ quatuor semis, myrrhæ drachmæ duæ, baccæ lauri numero trigintaquinque, rutæ viridis drachmæ octo, menthæ viridis drachmæ quatuor, opij drachma vna. aceto excepta in pastillos cogito, cum vsus exigit, aceto & rosaceo subacta illinito. exceptum verò cerato ex rosaceo malagmatis modo imponitur. Pastillus non solum hemicrania laborantes, sed etiam coxendicum dolores iuuãs. Thapsię drachmę tres, euphorbij drachmę quatuor, liquoris Medici drachmæ tres, myrrhæ drachma vna, opopanacis drachma vna. simul contusa formato, deinde in vsu aceto subigens, illinito. Hæc sanè medicamenta sunt composita, cęterum ego frequenter vsus sum ipsis meopte ingenio simpliciter ex euphorbio vnguine, cerę momentũ adijciẽs, vt crassescerent. Sufficit autẽ in olei libram, vel sabini vel alicuius ei persimilis, tres ceræ vncias immittere, & vnam euphorbij: atq; hoc dimidiam frontis partẽ, cum temporum musculis

delinere. At in quibus à calidis vaporibus aut humoribus hemicranicũ generari dolorem suspiceris, hoc medicamentum non applicato. ijs autem qui à frigidis causis infestantur, vtilissimum est: vt frequenter semel ante balneum illitum statim affectui medeatur, & ægrotãtes omnino post lauacrum sani euadant. Opitulatur his etiã in aures instillatum oleum tepidum, euphorbio modico in libram vnã iniecto. modicum hoc dimidia est vncia, cum validum fuerit euphorbium: sin minus, etiã plus inijcere conuenit, in corporibus sensu acri præditis, etiam si minus vnciæ dimidio indas, melius feceris.

# CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER TERTIUS, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

¶*De aurium affectibus, & narium, item quot ex causis aures doleant.*



AVrium dolores generantur quidam ex frigiditate, quos in itinere à ventis frigidis afflati experiuntur: nonnulli ex lauacris & frigidis, & ex quibusdam medicamentosis aquis paratis, in quibus frequenter aliqui voluptatibus indulgentes lauant: nõnulli auxilij gratia. Fiunt autem auris dolores etiam ex inflãmatione, interim solius meatus auditorij cutis, interim etiam in alto, cum neruus auditorius ad dispositionem inflammatoriã peruenerit. Qua autem ratione inflammatio particulas ea obsessas tendens dolorem parit, eodem modo & spiritus flatulentus transitum nõ habens, dolorificus redditur. Sanies autem in ipso corpore generatæ, consimiliter vt humores mordaces qui extrinsecus incidunt, dolorem conciliant.

¶*De aurium doloribus ex frigore.*

Dolores igitur ex solo frigore nascentes calefacientia citissimè persanant. Ac nonnullos rusticos noui, qui ex magnis cepis aliquã insculpentes, deinde oleo replentes, calefacientésq; in cinere mediocriter *, auribus id infunderẽt: nonnullos autẽ qui in oleo non cæpam modo, sed alliũ subferuefacientes, sic deinde infunderent. Ego autem euphorbij omninò paululum oleo veteri copioso miscens, ita vtor, sicut & piperis exactissimè læuigati. Nam ex frigore contractos aurium dolores, quæ sic calefaciunt strenuè adiuuant. Prodest ipsis etiam oleum amaracinum, si instilletur: item nardinum præstantissimum, & quod Romanè dicitur foliatum & spicatum. vtile etiam est commagenum. Quòd si rutam quoq; oleo non astringenti, & præterea tenuiorum partium, quale est sabinum, incoquas, magnum adferes præsidium. At cum aliquid ex aqua medicamentosa in meatu auditorio cõtineatur, cõtinue oleum infundere conuenit, illuentes ipsum, & lana molli extergentes, ac rursus infundentes. Porrò mitigat ipsos admodum oui candidum, quo etiam ad lippitudines vtimur: item lac muliebre. Constat autem cuiuis omne quodcunque applicatur, calidum esse mediocriter oportere. cæterum iuuat ipsos abũde etiam

* Vetus habet calido.

adeps anserinus, necnon vulpinus auxiliatur.

*De aurium dolore ex inflammatione contracto.*

Quòd si inflammatio quæpiã vrgeat, optimum erit aduersus eam medicamẽtum si instilletur, nardinũ vnguen cum pauxillulo eius quod basilicon dicitur. Appellãt etiã hoc tetrapharmacũ. Iam commagenũ idoneũ est, & ex adipibus confectum medicamentum, cuius cõpositionem paulo post persequar. At vbi dolor vrget, necessarium est, vti etiã ijs quę sensum stupefaciant, sicut & ijs qui ex colo & renibus: in summa, qui ex qualibet patiẽte particula vehemẽter dolent. miscetur autẽ hoc lacti muliebri & oui candido, quæ etiã per se frequenter aurium inflammationibus congruunt. Iam & castoreo opium temperatur. oportétque hoc longè ante mixtum vel æquali pondere, vel duplicato castoreo præparare: ad vehementissimos quidẽ dolores, æquali: ad minores, duplicato. Liquor esto ex musto sapa. quippe hæc multo magis dolores lenit, q̃ vina dulcia. Statim igitur ab initio exactè læuia commemorata medicamenta huic commisceantur, castoreum quidem prius accuratè læuigatum, papaueris autẽ liquor in ipsa sapa solutus: atq; sic mixta tria pulchre in læuorẽ reddantur: deinde vbi vsus postulat, resoluantur iterum sapa, vsque ad tantã spissitudinẽ, vt per auricularem clysterem in lucerna tepefactum possint infundi. Ego vero vehementer dolentibus nullum medicamentum infundo, neque extergo lana: experientia hoc edoctus, melius esse neque prorsus meatum auditorium attingere, quo tempore dolor infestat, sed specillo lana mollissima inuoluto, & foueo dolentes insigniter, & medicamentum inijcio sic præparatum in auriculari tepidum mediocriter: adeo, vt interrogantibus nobis laborantem, tepidum ne ei appareat, & num adhuc ipsum ferre possit calidius redditum, eò caliditatis induxerim, vt neutiquã molestetur. Itaq; specillum in præparatum sic medicamentum intingens, & iuxta meatus initium moderatè imponens, defluere in altum permitte, ac deinde iterum atque iterum, & subinde intingens, idem hoc facito, nullum intermittẽs tempus. Constat autem liquidò vbi hoc fit, aliquid etiam prorsus foras effluxum iri, meatu auditorio toto repleto. Hoc igitur leniter excipito, quatenus licet aurem non attingens. Vbi iã probè foueris, meatu relicto, qui medicamẽto repletus est, mollẽ extrinsecus lanam imponito: tum ori ipsius meatus, tum post hoc toti auri. At si opus sit rursus fouere, lana quę extrinsecus obiecta sensim ablata rursus similiter foueto, cauens quatenus fieri possit, ne aliud quoddam pondus auriculam attingat. atq; huic mentẽ adhibeto ceu maximo auriũ curationis præcepto. Fotus autẽ tibi paretur, vt prædictũ est, ex ijs, quæ dolorẽ auferunt: quæ sunt nardinũ vnguentum optimũ, cui tetrapharmaci mom ẽtum adsit, ac post hoc cõmagenũ, susinum, sumptuosáq; opulentarum mulierũ vnguenta, quæ ipsæ vocant spicata & foliata: verũ sunt crassiora, q̃ vt infundatur. Quare ea soluere oportet ex nardino vnguẽto: & si æstas fuerit, calorémq; æger in aure inflammata sentiat, ex rosaceo bono: huius penuria, ex amygdalino. Memineris autẽ bonũ me semper dicere rosaceũ, in quo plurimæ quidem rosæ maduerint: oleũ verò, in quo hæ maduerunt, immaturum esto, si fieri possit citra salem præparatum, ita vt nihil aliud rosis sit iniectum, quemadmodum qui spissamenta adijciunt factitare solent, quò rosaceum diu grati odoris permaneat.

*De aurium doloribus ex spiritu flatulento, aut crassis viscosisque humoribus contractis.*

Quòd si etiam spiritum flatulentum, aut humorem crassum aliquem viscosúmve, cui non sit exitus, inclusum esse coniectes, misceto quoq; ex medicamentis referantibus aliquod. Nam artificialem coniecturam talium doloris causarũ habebis, si consideres tũ quæ præcesserunt, tum quę adsunt. Vbi enim frigus præcesserit, flatulẽtus spiritus colligitur: vbi grauitas capitis, ex cibis pituitosis & mali succi, humores frigidi crassique. his quippe oborta frigiditate, dolores accidunt; illis quæ prius perspirabant, nunc propter cutem densatam retentis. In his igitur nitri spuma, nitrũmque ipsum molle, aphronitrũmq; huiusmodi, & oleum amygdalinum bona ratione auricularibus medicamentis miscentur. Huius generis est veratrum album & nigrum, herba lanaria, amygdala amara, ex tribus aristolochijs quamcunque habueris, & iris illyrica. Quòd si etiam cinnamomum habeas, id quoque indes: huius penuria, casiam, tum quę gizerros & motodes. item carpesium, quod copiosissimum quidem est in Syda Pamphyliæ, atque idcirco vilissimo constat. Quintus autem cum cinnamomũ desideraret, hoc illius loco duplicatum indebat, sicut nõnulli casiam. Cæterum aurium meatus aperiunt tum quæ renum calculos conterunt, tum omne quod tenuiorum partium est citra rosionem, ne dolorem exacuant, inter quæ est cucumeris syluaticæ radix, bryoniæ, ari, dracunculi, centaurij, polij, & in totum omnium amarorum. Hæc & citra rosionem, & citra molestiam meatus expurgant, abstergunt, & infarcta incidũt. propterea multa id genus exempla scribo, etsi in opere de simplicium medicamentorum facultate omnia exposuerim, quia vos quocunque terræ loco remediorum copiam habere volo, cum expromptam ipsorum memoriã habeatis. Alia enim in alijs locis & redundant & meliora sunt ijs quæ alibi nascuntur. quãdoquidẽ ex adipibus tum compositũ medicamen tibi sufficiet, tũ ex simplicibus, quæ paulo antè dolorẽ lenire dixi. Mirari autem est medicos qui citra distinctionem ad aurium dolores medicamenta quædam tradiderunt, etenim ex frigore dolentes citissime calefacientibus curãtur: si vero ex acrimonia mordaci aut inflãmatione pulsatili dolor oboriatur, maxima comitatur noxa talibus medicamentis adhibitis. Moderatæ sanè inflammationes, & non pulsatiles etiam ex huiusmodi curantur medicamentis, quale est acetum cum rosaceo tepefactum, ambobus exactè permixtis. sic & glaucium in cote medica detritum ex aceto opitulatur ex inflammatione doloribus. Prestaret pastillum habere, qui glaucio præparatus est, medicamentũ longe vtilissimum: qui fit ex glaucio diligenter ex aqua pluuiali detrito, deinde siccato conformatóque. si fragilis sit, quàm figurari queat, gummi momentum ipsi miscebis. sufficit autẽ huius duodecimã aut quintamdecimã esse glaucij partẽ. Iam collyria ex glaucio eodem modo detrita ex aceto prosunt, si auribus instillentur: nihilóque minus his, illa quæ ex croco constant. Hæc igitur sunt & doloris & inflammationis remedia. De alijs autem dispositionibus, quæ in auribus generantur, vbi à me comprobata vsu percensuero, deinde ad ea, quæ maiores me tradiderunt, digrediar.

### De aurium vlceribus.

Quæ recentia sunt, glaucium solum ex aceto pertritum, vt nuper dixi, persanat. item collyria omnia ex eo facta, & quæ diacrocu, & diarodon à medicis vocantur, sicut & quod ad Nileum refertur, adhæc diasmyrnon Damocratis. Purulentæ auté aures citra dolorem, quæ sanè mediocriter hoc patiuntur, ex iisdem consanescunt: quæ validè, ex talibus, qualis est Andronius pastillus, & qui Musę asscribitur, cum sapa, & modico aceti solutus. quorum compositionis varietas iterum explicabitur. Quòd si his remediis malum non cedat, recremento ferri ex aceto peracri plurimum multis diebus læuigato, in sole audacter vtitor: etsi præter rationem esse videatur, aurem acerrima medicamenta sustinere, quod paulo ante dixi: cum ne mollissima quidem quæ instillantur, citra molestiam admoueri sustineat, sed hæc quoque ferire ipsam videantur.

### De graui auditu & sonitu aurium intra seipsas.

Restat igitur vt de graui auditu, & sonitu aurium verba faciam, quæ nihil commune habent cũ doloribus & vlceribus: quibus de iterum agam, vbi auriculares medicinas à celebribus medicis magnopere commendatas prius fuero persecutus, qua ratione composuerunt. Auspicabor autem ab ea, quam Heras literis mandauit.

### Auricularia Heræ.

Heras igitur hoc pacto scripsit, Auriculare ad omnem dolorem & vlcus: hoc vsus sum in quodam febricitante, & propter dolores desipiente, & feliciter operatum est. „ Myrrhæ drachma vna, thuris drachmæ tres (alij drachmæ „ septem) aphronitri drachmæ tres, croci drachmæ quatuor (alij drachma vna) meconij drachmæ tres, galbani drachmæ duæ, amygdala amara excorticata „ viginti. excipiuntur aceto. vbi vsus exigit, & dolor non adest, rosaceo subacta „ instillantur: cũ grauitas auditus infestat, aceto subacta. Heras igitur satis habuit hoc vnum conscribere medicamentum, & dolorum quorumlibet, & vlcerum remedium. Ego vero dolores * fotu ex adipibus, vt dixi, adhibito, & nardino vnguento cum tetrapharmaco mitigari existimo, necnon easdem dispositiones adiuuari, sicut & oui albumine, & lacte muliebri: mitigari autem solum, non iuuari dispositiones ex papauere. quanquam secundum accidens, non primario, & dispositiones adiuuari aliquis dixerit. vbi enim dolor cessauerit, & somnus sit obortus, natura dispositiones dolorem facientes concoquit. Vlcera verò aurium semper curaui glaucio ex aceto, sicut cũ fluxione aut pure pastillis, à lenioribus incipiens, qualis est Polyidæ, post hunc Andronius: deinde qui vocatur Bithynus, cui meus persimilis est, hoc est, ex charta combusta præparatus: mea autem opinione, etiam melior. Verum non semper omnium vsus est, sed omnino vnus sufficit, si quis eo vti nouerit: interim quidem ex sapa dissoluens, cum lenius volet reddere medicamentum: rursus ex vino dulci: deinde ex aceto non acri, post ex acri, postremo ex acerrimo. Quare etiam ex tali mistura aliàs aliter facta, cum possis medicamenti vehementiam remittere, valentissimum molitus solum poteris infundere. Mirari autem subit, vt dixi, plerosq; medicos aurium doloris medicamenta permulta citra distinctionem ordine scripsisse, quæ maximè diuersas inuicem

* Vetus legit, per anodyna fomēto.

vires obtineret: vtpote, exempli gratia (nam à vetuſtioribus auſpicari præſtat) Apollonius Herophilæus in ſcriptura medicamentorum paratu facilium, initio ſanè libri capitis doloris remedia ſcribens, omnium prima ex æſtu contracti cōſtituit, dehinc ſecunda ex frigore, hinc ex ebrietate & mera potione doloris auxilia, quarta ex ictu aut caſu, poſtrema, vt ipſe prædixit, ad temporum dolores, & totius capitis cruciatus, qui citra manifeſtam cauſam gignuntur. At in aurium dolore nullam adiecit diſtinctionem, ſed vbi ſimpliciter ſcripſiſſet, Ad auriũ dolorem, deinde enumerat medicamenta, alia calefacientia, alia refrigerantia, alia humectantia, alia ſiccantia: & ſecundum vires & qualitates ſecundas, alia auſtera, alia acerba, alia amara, alia acria, alia acida, alia ſalſa: & præterea alia digerentia, alia ſtringentia, contrahentia & repellentia influxiones, alia eorum quæ in alto latent extrahentia, alia reſerantia, alia detergentia, alia ſenſum ſtupefacientia. Si igitur vna diſpoſitio dolorum cauſa eſt, vnā quoque remediorum ipſius virtutem eſſe bona ratione cōſtat: ſi multæ, tot quoque eſſe oportet remedia numero, quot ſunt cauſæ efficiētes. Quum igitur Herophilus diſtinctiones ſic commendet, vt haud noui ſi quis alius, cúmque ipſe Apollonius capitis doloris medicamenta cum diſtinctionibus tradidiſſet, adhuc magis miror, quòd in aurium dolore indiſtinctè medicamina protulerit. Quinetiam omiſit quintum medicaminum genus indiſtinctum, quod ad finem contra capitis dolores citra manifeſtam cauſam ortos ſcripſit: quanquàm eiuſmodi quoq; cruciatus primum ſanè communibus cauſarum dolores parientium generibus ſubijcere oportet, cōtinuitatis ſolutioni, aut intemperaturæ, vt oſtendimus: deinde nimirum & ijs quæ ipſas efficiunt, quæ ſanè omnia à me ſuis in locis diffinita ſunt. In præſentia verò aurium dolorum medicaminum meminero tantum, cum hoc omnium poſtremum ſit opus, vt ſubindè in medicatoria methodo à me comprehenſum eſt. Nam curandi methodos illic conſcribens, vnũ aut duo particulariũ exempla appoſui, copiam medicamentorum, quæ ex multis compono, ad præſens opus differens, vt præcedant quidem medendi methodum, de ſimplicium medicamentorum facultate vndecim numero libri, hos ſequantur medicatoriæ methodi quatuordecim, poſt quos iſtud opus conſcriptum eſt, de compoſitione medicamentorum.

*Quæ Apollonius ad aurium dolorem conſcripſerit.*

Quòd cum Apollonium erraſſe dico, qui non diffinierit cui aurium dolori ſingula quæ tradidit medicamenta ſint vtilia, non in virum ementiar, paucis demonſtrabo exemplis. Cum enim aſcripſiſſet, vt dixi, medicamenta „ quæ ad aurium dolorem infunduntur, poſuiſſétq; inter ea, Anſerinum aut gal- „ linaceum adipem ſenſim liquefacta inſtillato: rurſus iterum ſcribit, Fel tauri- „ num aut caprillum ſucco porri inſtillato. Itaque adeps quorum dixi animalium maxime lenit vniuerſas, quæ dolores efficiunt, diſpoſitiones, necnō vehementer nonnullis ipſorum opitulatur. Fel autem cum porro dolores auget, tum qui ex inflammatione, tum qui ex acribus & mordentibus humoribus oriuntur, ijs autem ſolum proderit, qui ex obſtructione aut frigore proueniunt: vel ſecundum nudam intemperiem frigiditate ſolidarum partium dolorifica excitata: vel quia in huiuſmodi diſpoſitionibus ſpiritus fla-

tulentus & humores frigidi generantur: excerni autem propter ambientis corporis densationem, sine inflammatione ortam prohibetur. Siquidem dolorum causis, à tam acribus calidísque medicamentis excretis, curatio pariter, & doloris lenitio comparatur. itaque adeps gallinaceus anserinúsque, si quidem corpus inanitum reperias, & nō amplius humorem influere qui inflammatoriam dispositionem efficit, duabus rationibus iuuabit, tum quòd lenit, tum quòd curat. si autem influente etiamnum causa admoueatur, dispositionem quidem nihil iuuat, verùm doloris accidens lenit. quemadmodum etiam si ob humorum acrimoniam rosio excitetur. Cæterum fel nunquam cū porri succo boni aliquid in prædictis dispositionibus potest moliri: sicut neq; piper, etsi hoc noui medicum quendam fecisse, muliere aure dolente, dum calidis aquis naturalibus vteretur. Nam cum omnia Apollonij libris de medicamentis paratu facilibus credere consueuisset, esſétque vsus casu subinde iam præsidio ex pipere, tunc quoque sperauit aliquid aurium dolori profuturum: sed mulieri huic dolor adeò incruduit, vt propemodum strangularetur. Scribit itaque Apollonius in hunc modum. „Piper in vino decoctum læuigato, ac „vbi crassitie moderatum effeceris, instillato. Scribit autem inter hęc ipsa deinceps quæ ex pipere fiunt & ista. „Lycium & meconium paria pondere lacte „muliebri subigens vtitor. Post hoc aliud quoddam. „Castorei & meconij parem „modum, in testa præsertim attica torrefactū: sin minus, Romana, læuigatáque „& passo subacta instillato. Quæ igitur ex meconio omnia medicamenta constant, cum stuporem sensus cōcilient, ideo nos cogit aliquando ipsis in ijs, quæ à nullo mitigatorio iuuantur, vti. Ex pipere medicamentum alterius generis est, sicut & quod ex adipe conflatur, ad aliud pertinet. quemadmodum & post hæc scriptum ordine medicamentum hoc pacto. „Galbanum susino vnguento „subactum melli admisceto rosaceóque & lanæ succidæ, quam vbi circa specil„lum conuolueris, moueto, & tepidum instillato. Nam hoc citra molestiam dige„rit, efficax inflammationibus, quibus nihil adhuc influit. item probè faciet etiā „in ijs qui ex frigore dolent. Forsan aliquis inquiret, quam ob causam dum nō solum Apollonius, sed etiam alij quidam insignes viri meconium & castoreū torrere iubeant, quomodo ipsorum facultatis vehementia imminuatur, omiserim ego superiori sermone adijcere, vbi meam curandi rationem aurium doloris prodidi. Respondendum igitur ei in hunc modum. Castoreum itaque neutiquam torrendum censui. non enim ipsum, ceu quod sensum stupefaciat, meconio miscemus, sed econtrario prorsus, ceu refrigeratoriæ facultatis vehementiam obtundat. quod qui torrere iubent, in meconio quidem non simpliciter factitant: in castoreo autem prorsus absurde. Nam id per se vim habet dispositionum contumacium & scirrhosarum concoctricem. abunde igitur est & meconij facultas, quæ composita temporis spatio mitescit. torridum nanque perdit efficaciam: mixtum verò castoreo temporis spatio manet quidem adhuc etiamnum efficax abundè, verum malignitas ipsius obtunditur. Quare etiam nonnulli offenduntur: vt multos dies caliginosum videant, grauitatem capitis sentiant, & cibos non probè concoquant. & ob hanc ipsius malignitatem plerique medici ad torrefactionem perueniunt. Verùm quia rursus inter torrédū efficacia ipsius aboletur (hoc enim subinde expertus sum)

melius duxi, non torrefactum miſcere, poſtea autem vti. Hæc itaque obiter à me dicta ſunt cognitu non inutilia. Quod ad inſtitutum attinet, non mediocriter offendetur, qui indiſtinctis medicamentorum ſcripturis fidem accommodant. Iam verò & alij multi eodem modo in multis & particulis & affectibus indiſtincta tradiderunt medicamina, ignorantes quantam ad artis conſtitutionem vim diſtinctio obtineat. In quibus non miror confuſionem & indiſtinctam verborum ſeriem: vt in Apollonio Herophilæo, viro qui nouit Herophilum perpetuo iubere, vt medicus ſciat, quæ, qualis, & quanta ſit morbi cauſa, & ſecundum quid potiſſimum valeat, vt etiam curationem vnicuique congruam moliatur. Adhuc magis Archigenem demirari poſſis, qui indiſtinctè non pauca & ipſe tum in alijs curationibus, tum in aurium doloribus ſcribit. Nam vnam in ipſis ſolam reliquit diſtinctionem, quæ & à moderatione & vehementia doloris petitur. Aſcribam tibi totam ipſius ſententiam.

¶ *Medicamenta Archigenis ad aurium dolores.*

In priori commentario medicamentorum ſecundum genus Archigenes hoc modo ad verbum ſcripſit. In aurium dolore, alia victus ratione præcedente, quàm etiam in capitis dolore ordinauimus, in mediocribus ſanè ſimplicia vnguenta tepida inſtillato, nempe crocinum, aut irinum, aut roſaceũ, aut nucum amararum expreſſionem, aut caſiæ vnguentum, aut nardum ſimplicem, aut ſuſinum, aut amygdalinum, aut roſarum, aut malicorij, aut papaueris ſuccum cum oleo calido, aut porri ſemen læue, aut veratrum album læue, cũ roſaceo tepidum per oriculariũ clyſterẽ inſtillato. aut meconij momentum cum lacte muliebri, aut meconij ſuccum cum lacte ſimiliter. Quũ dolor inualeſcit, venter clyſtere valido ſubducatur: & ſanguis ex cubito detrahatur, aliaq; id genus fiant. Inde foueatur decocto lauri, aut talis cuiuſdam, aut ſulphure viuo aquæ inſperſo. ſpongiæ autem validè exprimantur, apponantúrque auri. Etenim humor facillimè ipſas refrigerat. quare etiam fomenta ſicca vtiliora ipſis ſunt, quæ ex ſale, aut milio, aut teneris hapſis, aut pinguibus panniculis parantur. aut rutam aqua in vas anguſti oris coniecta decoquito, lanáque oſtium obſtruito, admouetóque auriculæ, quò vapor in eam per lanam penetret. Nonnulli in poſca, aut exiguo oleo ruta decocta, liquorem deinde in vas infundunt, auréſque fouent. Poſt fotum, auri abſterſæ infunde, vel balſamum cum roſaceo tepefacto, aut quodam ex prędictis vnguẽtis tepido. aut quoddam aliud congruum ad aurium dolorem ex ijs quæ mox ſcribentur, obducito. aut papaueris caput tenue farinæ mixtum in mulſáque coctum inducito, aut ipſum papaueris caput tenue cum farina ordeacea in vino coctum. aut cornu bouillum in mulſa coctum, aut lini ſemen. æquè benè facit ſpongia ocularis melle cocto, & adhuc calido madens impoſita, aut ceratum irini cui ſtyrax ſit admixtus. Summè facit ad aurium dolorem aloë mixta cum roſaceo ad mellis ſpiſſitudinem inſtillata, aut chalcitis in vino ſubacta: aut perdicij ſuccus tepidus ſeorſim, aut cum melle inſtillatus. aut nitrum modica aqua ſubactũ oleo miſceto, & tepidum inſtillato. aut ariſtolochię radicem cum oleo, aut veratrũ albũ læuigatum cũ roſaceo tepidum, per oriculariũ clyſterẽ inſtillato. Bene facit opium in teſta toſtum, & caſtoreũ ſimiliter, pari pondere lęuigata, ex roſaceo & paſſo vſq; dũ mellis habeãt ſpiſſitudinẽ: deinde poſt

fomentum lana ſpecillo inuoluta intingitur, imponitúrque, aut fœniculi ſuccū cum prædictorum vnguinum aliquo per initia inſtillato, aut cū capitibus papaueris decoquito, & ſerpentis exuuium inſtillato, aut cum quodam iam dictorum vnguentorum, aut hiſpanicū garum calefaciens, per oricularium. Benefacit etiam ab ingrato odore dictū dyſodes, acopū tepidum inſtillatum, aut meconiū roſaceo ſolutū & momētum croci. Multo magis hiera aromatica cū quodam vnguento. valet item ſummè veratrum album læuigatum cum melle & roſaceo inſtillatū. vbi meatus obſtruitur, purpura melius facit, & veratrum cum vnguento irino. prodeſt etiam cedrinus liquor, ſi cum nardino vnguento inſtilletur. Seuerus autē aſellos qui ſub aquarijs agūnt, læues ad exulceratas aures infundebat: nonnulli aquam frigidam in aurem dolētem infundunt, & ſtatim quidem nimiſquàm dolent, paulo autem poſt dolor prorſus ceſſat, alij autem melius facientes, in alterā aurem non dolentem frigidam infundūt, quemadmodum Lucius. Bene facit aloē & crocinum, ſi cum vnguento amygdalino inſtillentur; aut æs ſęue cum aceto & quodam vnguento. Summè facit laſer cū roſaceo, ſi vlcus infeſtet. mirificè adiuuat nimios auris dolores porri ſuccus, vrina caprilla, & roſaceum, cum momento myrrhæ infuſa: aut ſciuri adipem tepefactam oriculari inſtillato: aut alumen ſciſſile, & menthæ ſuccum cū pulegio, aut piper album & ſalem æquali pondere cum ſapa ſiniſtra manu ter, aut ſepties infundito; aut cochleam putrem Aphricanam acu punctam roſaceo impleto, feruefactámque oriculari inſtillato calidiorem. Quòd ſi ex ictu exterior auris pars doleat, thuris micam, lacte ſuperfuſo bis, & tertio ſinito cō madeſcere, ac vbi agitaueris, inſtillato, ſtatim enim ceſſat. Hæc ſanè Archigenes indiſtinctè admodū ſcripſit, potuiſſet autē aliquis mentis cōpos, ea quæ dixi, in memoriam reuocans conſiderare qualenam ex prædictis medicamentis ſingulis aurium doloribus comprehenſis conueniat; memor facultatis ipſorum, quam in commentarijs de ſimplici medicina didicit. Ego vero ad auriculares medicinas ab Andromacho traditas, iam digrediar.

¶ *Auricularia Andromachi numero vigintiquatuor.*

Quatuor ſupra viginti medicamenta auricularia Andromachus ordine deinceps conſcripſit: in nonnullis quidem aliqua apposita diſtinctione, in quibuſdam verò nulla: atque primum ipſorum ita habet. Auriculare ex ſcriptis Galli, quo vtor. Myrrhę drachma vna, ſalis drachmę quatuor, thuris drachmę tres, aphronitri drachmę tres, croci drachmę quatuor, meconij drachmę tres, amygdala amara viginti, galbani drachmæ duæ, aceti boni quantum ſufficit. refertur ſcriptura ad Menemachum. Andromachus multi vſus hoc auriculare tradidit, multis ſimul diſpoſitionibus, quæ in auribus gignuntur, accommodatum. Dictum etiam à me antea eſt, tales medicinas neq; multum opitulari, neque obeſſe, ſi perpetuo ipſis vtamur. Quæ autem ad vnam diſpoſitionem conueniunt, illam quidem optimè curant, verùm alias nōnunquā pręter quòd nihil adiuuāt, præterea etiā exacuūt. Alterā etiam Andromachus cōpoſitionē poſt pręedictā hanc tradidit. Auriculare Elij Galli ad inflāmationem & dolores intenſos. Galbani drachmæ octo, cinnamomi drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ octo, croci drachmæ octo, thuris drachmæ tres, aphronitri drachmæ tres, lachrymæ papaueris drachmæ tres, aceti tantum vt mellis habeat

spissitudinem. Oportet autem prius locum nitro extergere, ne pinguedinem habeat, deinde sic medicamentũ infundere. sic rursus reserantia, cõcoquentia, laxantia, & digerentia, mixta sunt, quæ vehementibus mederi nequeunt doloribus. Idcirco papaueris liquor mixtus est. Tertium auriculare his verbis exposuit. Auriculare Laodicei regis, quo frequẽter vtor. Castorei drachmæ duæ, lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, opopanacis drachmæ duæ, lycij afri drachma vna. passo excipiũtur, & tepefacto vtitor. Hoc sanè manifestò intensis cõuenit doloribus, non tamẽ alijs dispositionibus. ego autem, vt dixi, in singulis dispositionibus proprio vtor medicamento, papaueris liquorem semper fugiens, vbi nulla magna necessitas nos cogit eo vti. Quartã tradit medicinam auricularem hoc pacto. *Aliud* ad inflammationem, puris fluxũ, & veteres dispositiones. Fabarũ ægyptiarũ medullę amarę, aluminis scissi, piperis albi, aphronitri, croci, opij, malicorij, myrrhæ, thuris, nardi, singulorum drachmæ duæ, castorei drachma vna, mellis & aceti quod satis est (alij mellis drachmas sex) In hac alia medicamenta digerentia, siccantia & obstructiones aperientia, itẽ quædam concoquentia, nempe myrrha & thus indita sunt. alumen autẽ scissile astringens valide medicamẽtum, vt puris fluxum desiccet, permixtũ est: opiũ vero doloris leniendi gratia. oppositum ei est castoreum, sicut prius exposui. verum in huiusmodi dispositionibus non solum vt oppositum, sed etiam vt cõcoquens ipsum & desiccans merito inijcitur. Quintum Andromachus auriculare in hanc sententiam retulit. *Aliud* Xenocratis, quo subinde vtor. Lycij afri drachmæ duæ, myrrhæ drachma vna, thuris tantundem, aluminis scissilis tres oboli, aphronitri oboli duo. læuia cum aceto reponuntur. vtitor cum aceto. Hoc quoq; multi vsus est, non tamen vbi dolor valens vrget, conuenit: vt quod neq; opium habeat, neque castoreum, neq; adipem aliquem, qui dolorem leniat, neq; galbanum. Sextum medicamentum auriculare his verbis scriptum est. *Aliud* Prytanidis, conuenit cum Harpale medicamẽto. Myrrhę, nardi, croci, singulorum tres oboli, æris cõbusti oboli quinque, opij oboli duo, castorei oboli tres, aluminis scissi drachma vna, & rotundi tantundem: cum passo, vbi fluor vrget: vbi dolor, cum rosaceo. quando autem vermes generantur, veratri nigri drachmas duas misceto. Bene facit, qui ad finẽ vsum ipsius docuerit, quẽ nos vtique dixissemus, si ipsum piguisset eundem asscribere. Septimũ superiori persimile est, scriptũ hoc modo. *Aliud* Ogęi Symphonis. Veratri nigri oboli duo, myrrhæ obolus vnus semissis, opij oboli tres, æris combusti oboli quatuor, aluminis scissi oboli duo, castorei obolus vnus, croci oboli quatuor. passo vtitor. Octauum prius comprehensis respondet. de nono ita ipse inquit. *Aliud* quo vtor, ad vehementes dolores & sonitus. Nitri drachma vna, myrrhæ drachma vna, rosacei cyathus vnus, aceti tantũdem. læuigatis pariter vtitor. Hoc medicamentum non doloribus ex inflammatione obortis cõgruit, sed ex obstructione, spiritu frigido, & vaporoso, & humore similiter. Decimũ aliud his verbis conscripsit. Ad aures pus reddentes Harpocrationis. Cytinorum, malicorij, aristolochiæ, chalcitidis, mysios cyprij, gallæ, squamæ æris, singulæ drachmæ, myrrhæ, thuris, chalcanthi tosti, aluminis scissi, singulorũ tres oboli. ex passo fingẽs pastillos, vtitor. Quòd si verò etiã ipse nõ ascripsisset quid medicamẽtũ polliceatur, prõptissimũ nobis esset cõsiderare, modo eorũ quę per ini-

tia prædixi, ſimus memores, medicamẽtum eſſe ſiccatorium aurium, quæ puris fluxu laborant. quod accidit defluxione quadã ex capite deſcendente, ob quam etiam vlcera inueteraſcenti accidere videmus. Vndecimum auricularium hoc pacto ſcripſit. Auriculariũ inter multa Symphonis. Croci drachma, myrrhæ drachma, caſtorei drachmæ duæ, aluminis ſciſſi drachmæ quatuor, thuris drachma vna. cum paſſo mellis ſpiſſitudinem fingito, deinde ſic reſoluens vtitor. Atq; hoc mediocribus diſpoſitionibus medetur: ſicut & quod poſt ipſum ſcriptum eſt. Subſequentes hanc medicinas auriculares ab Andromacho ſcriptas antea, citra meam expoſitionem aſcribam, cum eas iam poſſint dignoſcere, qui prædictorum meminerint. At in quibus & ipſe cũ diſtinctione ſcripturam ædidit, nullum amplius noſtra indiget expoſitione. Deinceps igitur omnes ſcribentur, ita vt non amplius alterius auriculariæ medicinæ ab alio medico conſcriptæ à nobis fiat mentio. Hic enim omnium ipſarum varietas comprehenditur.

*Auricularium, vt Solon Diætetes.*

Myrrhę drachmæ quatuor, aluminis ſciſſi drachmę quatuor, caſtorei drachmæ duæ, thuris drachma vna, croci drachma vna, opij drachma vna. Cretenſi vino, aut mulſo ſpiſſitudo mellis fingitur. *Aliud auricularium Antipatri ad vehementes dolores.* Croci vnciæ duæ (alij vncia vna) myrrhæ vncia vna, ſalis ammoniaci vncia vna, aluminis ſciſſi, guttę ammoniacæ, ſingulorum vncia ſemis, vnguenti irini, aut ſyriaci ſediminis vnciæ duæ. cum mulſo aut Cretenſi vino mellis tenuis ſpiſſitudinem faciens, vtitor. *Auricularium aliud admodum bonum.* Opopanacis drachmæ duæ, lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, ſpumæ lycij drachmæ quatuor, caſtorei drachmæ duæ, aluminis ſciſſi oboli tres, croci tantundem, myrrhæ drachma vna. vſus eſt ex lacte muliebri.

*Ad aures pus profundentes Spenduſa authore.*

Porci caſtrati fellis partes duæ, mellis attici pars vna. mixta ſimul in vaſe vitreo ſupra cinerem calidum vſq; ad dimidias calefacito, atq; ſic vtitor. Auriculariũ Harpocratis ad diſpoſitiones, & dolores. Spicę nardi, myrrhę, piperis, aphronitri, ſalis floris, ſingulorũ drachmæ ſex, croci drachmę duodecim, nuces amaræ decem, lachrymæ papaueris drachmæ duodecim, vini veteris quod ſufficit. medicamentum vaſi ſtanneo infundito.

*Ad grauem auditum & ſonitum.*

Veratri albi drachma vna, caſtorei obolus vnus, aphronitri obolus vnus ſemiſſis. vtitor ex aceto, tanquam præſtantiſſimo. *Aliud.* Herbæ lanariæ drachma vna, croci cylicij drachma vna, caſtorei tantundem, veratri albi drachmę quatuor, nitri drachma vna. paſtillos fingens, cũ vſus poſtulat, dilutis vino vtitor.

*Ad aures purulentas.*

Alumen combuſtum & myrrham cum melle terito, ac vbi auriculam lana exterſeris, medicamentum imponito.

*Auricularium Chryſanthi Gratiani ad inflammationes, & vlcera.*

Blattas ſine pennis duodecim, vini veteris & mellis vncias ſex; malicorij vnius corticem, porri ſucci ſeſquicyathum, in olla recenti coquito, donec malicorium emolleſcat. deinde læuigato, adijcitóq; vnguenti ſyriaci vnciam, picis liquidæ ſeſquunciam, cæparum vncias quatuor. ſucco expreſſo, ſimulque

læuigato repone. cum vsus poscit, tepefactum cum lana impone.

**Auricularium ad inflammationes & puris fluxum.**

Nardi indicę drachma vna, aluminis scissi drachmę duę, opij drachmę quatuor, malicorij drachmæ quatuor, croci drachmæ tres, myrrhæ drachmæ quatuor, thuris drachmæ quatuor, mellis drachmæ quatuor, aphronitri drachmę quatuor, castorei drachmæ duæ, amygdalarum amararũ drachmæ octo, piperis albi grana triginta, aceti cyathus, vrinæ apri tantundem, fabarum Aegyptiarum viridium medullæ drachmæ quatuor. læuigata pariter in vas stanneum reponito. cum vsus postulat, cum rosaceo instillato, & floccum, vbi prius foueris, imponito.

**Auricularium ad desperata, authore Zoilio oculario medico.**

Alterci seminis oboli tres, aluminis scissi obolus dimidius, myrrhę drachma vna, castorei oboli tres, meconij oboli tres, gallæ tantundem, croci oboli quatuor, cinnamomi oboli quatuor, thuris oboli duo, aphronitri oboli duo, sandarachę oboli duo, opij recentis cochlearia tria, vrinæ apri masculi cochlearia tria, conchylij sanguinis oboli tres, mandragoræ succi obolus vnus, mellis attici quod sufficit. conchula aurem obturato.

**Auricularium aliud ad inflammationem & puris fluorem mirabile.**

Rutæ oboli tres, myrrhæ tantundem, alterci succi drachma vna, opij drachma vna, croci drachma vna. cum lacte muliebri vtitor, tepidum instillans.

**Auricularium admodum bonum, probatum, ex scriptis Apollonii.**

Myrrhæ drachmæ duæ, thuris drachmæ duæ, nucum amararum drachma vna, aphronitri drachmæ duę, aluminis scissi drachma vna, malicorij drachma vna, spicę nardi drachmæ duæ, aloës drachmæ tres, mulsi veteris cyathi tres. sicca læuigata mulso miscentur, & cocta vase stanneo reponuntur. cum vsus postulat, tepido vtitor.

**Medicinæ auriculares, quas Asclepiades in libro primo exteriorum conscripsit.**

Auricularis facultas ad recentes dolores magnos, qua vsus est Niceratus. est autem hoc remedium præstantissimum. Aselli domestici (animal autem est multipes, quod in vasis aquarijs, & stercoribus nascitur: cum digitis attollitur, in orbem conuoluitur) tres, aut quatuor oleo inferuescant: deinde oleum expressum instillato. Facit & cucurbitæ succus cum rosaceo, aut nardino mixtus tepefactúsq;. item perdicij herbæ succus cum oleo incoctus, & centaurij succus mulsa dissolutus, altercíque succus rosaceo temperatus. prodest & lachrymæ papaueris momẽtum lacte muliebri dissolutum. iam saniês, quæ ex carne bubula, cum torretur, defluit. Has oportet crudas recentes prunis superponere, & cum crudæ adhuc sunt, exprimere: humore qui exprimitur calido aures opplere. Valet etiam nucum putrium medullæ liquor aceto dissolutus & rosaceo. idem facit & libyca cochlea in propria testa restincta cum oleo nardino, aut rosaceo. prodest etiam suis quæ non peperit, fel æquali pondere attico melle mixtum. *Aliud.* Lachrymæ papaueris, castorei, singulorum oboli duo, passo dissoluti & modico rosaceo adiecto tepidi infunduntur. *Aliud.* Guttę papaueris, & stillæ peucedani æqualẽ mẽsurã, dissoluẽs instillato.

**Ad inflammationes cum vlcere, Charixenis.**

Myrrhæ, opij, castorei, singulorum paria pondera, passo dissoluta tepida

infundito. *Aliud.* Alterci ſucci, liquoris papaueris, myrrhæ, caſtorei, ſingulorũ drachmæ quatuor, piperis drachma vna, paſſi quod ſatis eſt. Ad aridas & madoris experteis exulcerationes. eſt & peſſus bonus. Hyſſopi drachmę quatuor, medullæ ceruinę drachmę quatuor, butyri drachmæ quatuor, adipis anſerini drachmę quatuor, cerę tyrrhenicę drachmę quatuor, reſinę terebinthinę drachma vna, olei ricinini, olei amygdalini, olei cyprini, ſingulorum cyathi duo, piſſelęi cyathus vnus. componito & vtitor, diſſoluens quantũ ſufficit oleo nardino, miſce vt mellis habeat ſpiſſitudinem. *Aliud* vehementer bonum etiam ad neruorũ diſpoſiriones. Olei cyprini, irini, roſacei, amygdalini, olei veteris, ſingulorũ cyathi duo, piſſelæi cyathus vnus, cerę vnciæ duę, reſinæ terebinthinę vncia, adipis anſerini vncia vna. componito, & vtitor.

*Aliud ad profundos abſceſſus Antonii Muſæ.*

Croci drachmę duę, myrrhę drachmę duę, bdellij drachmę quatuor, nucũ amararum drachmæ octo, marrubij heminæ dimidium, paſſi tantundẽ. liquida coquito, & reliquis vbi adieceris excipiens vtitor, paſſo diſſoluens quantum ſufficit. * Croci, myrrhę, caſtorei, centaurẽi, ſingulorum drachmę duę, aphronitri drachma vna, amygdalarũ amararũ purgatarũ drachmæ octo, parietarię ſucci ſeſquiſextarius, paſſi tantundem. cõficito, ac vtitor vti prędictum eſt. *Videtur deeſſe, Aliud.

*Ad inflammationes cum fluxione, quo vſus eſt Cleo.*

Myrrhę, aloẽs, thuris, guttæ papaueris, ſingulorum drachmæ duæ, myſios crudi drachma vna. aceto excipito: in vſu paſſo diſſoluens infundito.

*Arii Tharſei.*

Myrrhę drachmę quatuor, thuris tantundem, myſios crudi drachmæ duę, lycij indici drachmę quatuor. aceto excipiuntur. Vſus oſtenſus eſt. Quòd ſi multa fluxio oboriatur, vtẽdum eſt ſubſcriptis confecturis. Croci, thuris, myrrhæ, opij, lygi ſeminis, ſingulorum drachma vna, lycij indici, floris mali granati, roſarum floris, ſingulorum drachmæ duæ, aceti hemina. lygi ſemen incoquito cytinis, roſarum florem in acetũ coniectum vbi diſſolueris, reliquis adijcito, & excipiens reponito. cum vſus exigit, paſſo diſſoluta inſtillato.

*Ad aures purulentas cum dolore, quo vſus eſt Cimo.*

Caſtorei drachmæ duæ, aluminis ſciſſi, croci, myrrhæ, thuris, ſingulæ drachmæ. paſſo excipito, aut myrteo, & vtitor, in recentibus, ex mulſo: in inueteratis, ex aceto.

*Claudij Damonici ad aures purulentas, & diuturnas diſpoſitiones.*

Croci drachmæ tres, myrrhæ drachma vna, nuces amaræ purgatæ numero triginta, nitri ſpumæ, nardi ſyriacæ, aluminis ſciſſi, ſingulorum drachma vna, thuris oboli tres, aceto q̃ acerrimo excipiuntur, acetóq; diſſoluuntur.

*Ad graue odorem auriũ, & vlcera depaſcẽtia, medicina quæ Hiſpanis tribuitur.*

Gari nigri, quod Romanis dicitur ocitorum, ſextarius vnus, aceti ſcilliti ci tantundem, mellis attici ſeſquiſextarius. coquito vſque ad conſiſtentiam, & excipito vitreo vaſe ac vtitor. In alijs ſcripturis ita habet. Cucurbitæ ſucci ſextarius vnus. componito. facit ad grauem odorem cum inflammatione. Aliquid deeſſe videtur in græco.

*Charixenis ad corrupta, aut grauem odorem.*

Aluminis mileſij libra vna, chalcanthi libræ octo, aloẽs drachmæ octo, ctocomagmatis drachmæ octo, myrrhæ drachmæ octo, vini myrtei ſextarij

tres. alumen & vinũ incoquito. vbi ſpiſſitudo facta fuerit, reliqua adijcito. aceto diſſolutis exceptiſq;, vtitor.

*Ad carnium excreſcentias, quo vſus eſt Heraclides Tarentinus.*

Aeruginis raſæ drachmę octo, ſquamæ æris tantundem (in alio exemplari habetur, drachmæ quatuor) mellis heminę dimidium. arida trita & melle excepta coquito, donec medicamentum rubeſcat, & exceptis vtitor. *æruginis drachmæ quatuor, chalcanthi drachmæ quatuor, myrrhę drachmę quatuor, marrubij ſucci cyathi tres, mellis quod ſufficit. præparato in modũ prędictũ.

*Vetus, Aliud.

*Chalcidonia, ad diſpoſitiones inueteratas.*

Veratri albi, croci, myrrhę, caſtorei, thuris, opij, ſingulorum drachmę quatuor, chalcãthi drachmæ ſedecim, piperis drachmę duę. myrrhã, opium, thus, caſtoreum aceto macerabis, in quo decoctum ſit malicorium, vſque dum diſſoluatur: deinde contuſa veratrum, crocum, piper, chalcanthum inijcito: hinc omnia ſimul diligenter terito, ac vbi bene habuerint, mulſi quod ſatis eſt addito, vt mellis diſſoluti habeant ſpiſſitudinem. cum neceſſitas poſtulat, tepefaciens inſtillato. Hoc medicamento vtens ſubinde voti compos euaſi, & tẽporis proceſſu adieci ſcripturæ omphacij drachmam.

*Aegyptia ad eaſdem diſpoſitiones, etſi auribus fuerint congenitæ.*

Amygdalarum amararum purgatarum drachmæ quatuor, fabarum ægyptiarum medullæ, piperis albi, croci, myrrhæ, opij, ſingulorum drachmæ duę, thuris drachmæ duæ, omphacij drachmæ quatuor, aluminis ſciſſi drachmæ quatuor, caſtorei drachmæ duæ, chalcãthi drachmæ quatuor, aphronitri drachmæ duæ. excipiuntur aceto, in quo malicorium ſit diſcoctum, vt ſordium ſpiſſitudinem habeant. in vſu, medicamenti quod ſatis eſt, vnguento nardino diſſoluens infundito.

*Ad ſanguinis fluorem ex auribus, authore Heraclide Tarentino, ne in grumum coaleſcat.*

Marrubij ſuccum coctum acetóque mixtum inſtillato. aut mali granati in aceto cocti ſuccum expreſſum infundito. aut polygoni ſuccum in exiguo aceto, aut acaciæ, aut amurcam, aut lycium cum aceto. *Aliud* Botryis, quod ſanguinis fluorem coercet. Rubi ſuccum, & gallarum in aceto coctarum ſuccum vnà mixtum inſtillato.

*Medicamenta Archigenis poſt prædicta.*

Quæ ſanè medicamenta Archigenes ad aurium dolorem ſcripſit, prius comprehenſa ſunt, nunc autem quæ ad alias quoque diſpoſitiones prodidit, apponam. Ad aures humentes. Polygoni ſuccum, cum æquali roſarum ſucco infundito: aut crocum & myrrham, cum paſſo & roſaceo tepefacta infundito. In purulentis facit & polygonum cum roſaceo infuſum. Cõducit ſummè vinum inſtillatum, cui conizæ tenuis folia ſint incocta. nonnulli & thus admiſcent vino. aut laſer roſaceo ſolutum, inſtillato. aut marrubij ſylueſtris ſemen cum aceto & roſaceo ſimiliter, & croci æqualem modum, cum vino auſtero, aut croci & myrrhæ, ſingulorum drachmas duas, nuces tenues excorticatas læues miſceto, cum mellis hemina dimidia, marrubij ſucci heminæ dimidio. arida probè læuigata, & liquidis ſubacta ſimul conterens inſtillato.

*De auribus exulceratis.*

In auribus exulceratis & cruentis dolentibúsque, galbanum, opium cum passo & rosaceo ad mellis spissitudinem instillato. aut loco galbani liquorem peucedani misceto, & magis proderit. aut spodium tostum leue, cum rosaceo infunde. aut lycium cum lacte muliebri, vehementer efficax est. & mel per se tepidum infusum, præsertim in quibus etiam grauis odor est. Nonnulli vero asellos in vasis aquarijs agentes, cum quodam vnguento instillant, & summe auxiliantur. aut domesticas blattas, cum rosaceo instillant. Benefacit ad omnem auris dispositionem vulpis adeps salsa, si liquefiat, & instilletur. aut spondylij interior pars cũ melle & rosaceo infunditur. aut vbi aurẽ elueris, & contrectaueris, porri, aut marrubij succum, cum melle infundito. aut cinerem lixiuum cum melle liquefactum, aut thus cum aceto in mali punici cortice feruefactum instillato. aut gallam leuem linteolo illigatam, vino incoquito, & ex hoc instillato: statim enim dolores abolebit.

*De aurium vermibus.*

In quibus vermes facessunt negotium, veratrum album cum melle dimittito, aut siccum inspirato: aut succum rubi infundito. Si vero squamatum auris os fuerit, diuisa posteriore ipsius parte radito: deinde vstum, ad cicatricem citra molestiam ducito.

*De aurium sonitu.*

Nonnulli sanè sonitus flatuosi spiritus soboles existunt. quidam verò propter auditorij sensus acrimoniam oriuntur, sicut in oculis suffusorum imagines ob vapores ab ore ventriculi exhalantes. Verum exactam nullius dispositionis notã per initia habere licet: non tamen inartificiose, tum ipsarũ dignotionem, tum curationem auspicari conuenit. quippe dictum est ostensúmque sæpius, nõ vnum quoddam genus esse spei coniecturalis. nam esse artificialem quandam coniecturam ex causis primitiuis, quæ vocantur procatarcticæ, quãdo quis ipsarum vires nouit, dum alia quidem dispositio ob frigiditatem, alia verò ob æstum nascatur: quemadmodum etiam ictu præcedente, aut morbo tali aut tali: velut etiam cruditate, aut copioso vini potu, aut vomitu violento multóq;. Interim etiam ex medicamentorum auricularium vsu generantur sonitus quidam. Iam quòd sonitus paulatim, aut vna vice generatus sit, id ad dispositionem inueniendam conducit. præterea ꝙ intermittat, aut ꝙ accidentia perseuerent continue. Verũ exacta dignotio tẽporis spatio fit, post medicamentorum, quæ artificiose accommodaueris, vsum. Si igitur in febribus sonitus audiantur, nihil tentandum est. quippe cessant protinus magna ex parte. sin autem suspicatus aliquis ex spiritu flatulento, qui transitum non habeat, prouenisse, medicamentis quæ incidunt, attenuant, & discutiunt adhibitis, nihil proficiat, quamuis etiam pituitam per os elicere tentauerit, habueritque totius capitis rationem, is magnam occasionem habebit referendi sonitũ ad sensus acrimoniam: præsertim si æger acuti auditus appareat. Cum itaque ego in eiusmodi quendam incidissem, qui vsus medicamentis enumeratis nihil iuuaretur, admiscui aliquid sensui stupefaciendo idoneum, cuiusmodi est mandragoræ succus, papaueris liquor: quo hominem symptomate liberaui. Quæ à prioribus medicis auriculares medicinæ ad huiusmodi symptomata sũt cõ-

ſcriptæ, digerendi & incidendi facultatem obtinent. prius igitur in auricularium medicinarum catalogo, quas prodidit Andromachus, erant nonnullæ quæ ab eo ad ſonitus conuenire dicerentur, ex huiuſmodi materia compoſitæ. nunc autem adijciam quæ Archigenes tradidit.

¶ *Medicinæ Archigenis ad ſonitus.*

In repētino ſonitu acetum cum roſaceo infundito. aut cuminum oleúmq; ad mellis ſpiſſitudinem redigito. aut cucumeris ſyluatici radicis ſuccum, aut ipſam radicē oleo coquito. quòd ſi diutius perſeuerent, omnibus amaris, acribus, tenuibus, & digerentibus, quæ inſcribuntur ad eos qui ex craſſitie humorum indoleſcunt, ſingula decoquito, cum aceto & melle addito. aut reclinato ægroto, & * nitro crudo læuíque auri inſperſo, acetum acre tepidum infundito: deinde vbi feruere deſierit, lana abſterſę auri nucum amararum ſuccum infundito, lanáque obſtruito. aut nitrum & myrrham bene vnita, cum roſaceo & aceto atramentóque ſcriptorio craſſo, inſtillato. aut pinna intingens bis die imponito. aut caſtoreo & nardino æqualibus cum aceto & roſaceo vtitor: aut aceto & nitro ac melle colluito. In quibus autem ſonitus propter ſenſus copiam innaſcitur, caſtoreum & cicutæ ſemen læuigata, ex aceto inſtillato. Vbi verò ex morbo ſonitus prouenerit, auribus abſynthij decocto fotis, acetum & roſaceum infūdito, aut raphani ſuccum cū roſaceo, aut aloēn optimam ex mulſo ſolutam. quòd ſi perſeueret, veratro nigro cocto ex aceto, vtitor. Huiuſmodi quidem Archigenes ad aurium ſonitum tradidit. Apollonius autem in primo de medicamētis paratu facilibus, ſubſcripta prodidit.

* Vet9 habet, lycio.

¶ *Apollonii medicamenta ad ſonitus, tinnitus, ſibilos, & flatus.*

Acetum acre tepidum inſtillato: mel atticum calidum indito: laurinum oleum ſimiliter. Porri ſuccum cum muliebri lacte, aut roſaceo infundito. cucumeris ſyluatici ſemen exſiccatum, aut foliorum ſuccum ex linteolo inſtillato. cucurbitę ſylueſtris medullam oleo ſubactam infundito. cuminū læue, & medullam vitulinam inſtillato. cucumeris ſylueſtris medullam oleo ſubactam infundito. glandem vnguentariam tritam, & adipem anſerinum, reſinámque pari pondere mixtam inſtillato. lini ſemen tritum, ſubactum vnguento arabico inſtillato. myſi læuigatum & ſolutum vnguento roſaceo vſurpato: rutam & cuminum æquali pondere trita, ſubactáque, & melli mixta infundito. hyſſopum tritum & cedrino ſolutum oleo inſtillato: amygdalarum amararum oleum melli temperatum. Quòd ſi efficaciori vti voles, hoc priori coniungito. Viticis & aſcalabotæ caput tritum æquali pondere, & mixto oleo inſtillatur. nitro & reſina adipéque anſerina æqualibus, cum oleo mixtis diſſolutiſq; vtitor. cæpam, allium, & adipem anſerinum pari pondere, trita percolatáq; infundito. ac vbi prius aqua calente elueris, nitrum læue inſpirato.

¶ *Ad aures vlceratas & ſaniem profundentes, eiuſdem.*

Primum ſanè collutiones ſcripſit Apollonius: deinde medicamenta, quæ infunduntur: & tertio, quæ exiccant: & quarto, quæ inſpirantur, hiſce verbis ea interpretās. Aqua calida frequentius eluito. Lēte decocta ſimiliter. Hydromelite eodem modo eluito. * Hederæ diluto aut decocto cum vino vtitor. Malicorij diluto aut decocto cum vino ſimiliter. Gallæ ſolidæ decocto cum vino. myrto in vino decocta eluito. Alumine exiguo, cum vino trito vtitor.

* Vetus ad iectū habet, aut decocto fœnugræci ſimiliter.

strobæ fructu in vino decocto eluito. vrinam vinúmque mixta & calefacta infundito. picis serum infundito. oleę folia expressa exuccatáque & melli mixta simul coquito, atq; hoc medicamento vtitor.

**❡ * Quæ infunduntur.**

*Deest in Græco.

Meconium passo solutum instillato. Cæpæ succum cum melle instillato. Rutæ syluestris succum cum vino & rosaceo oleo, in mali punici cortice calefactum, instillato. * Cardamomum tritum cum melle indito. Peucedani lachryma rosaceo soluta vtitor. Aloën & crocomagma subacta instillato. Absynthio læui cum melle vtitor. Myrrham, resinam, & adipem anserinam, cum oleo trita infūdito. Pingue quod obnascitur in caseo, qui in fictilibus cōpositus est, tepefactum instillato. Diphryges læuigatum cum melle instillato. Alumen scissile in læuorem tritum cum passo acetóque coquito, donec mellis habeat spissitudinem, & vtitor.

*Hic vet⁹ alia quædā habet.

**❡ Medicamenta quæ desiccant.**

Cedrinum liquorem cum melle mixtum infundito. piperis albi grana tria vnguento ægyptio subacta conchula exigua læuigata instillato. Croci & cerusæ paria pondera, subactáque rosaceo infundito. Melanthium & sulphur æquali pondere trita & rosaceo subacta, mixtáque vnguento irino & adipe caprillo pari pondere, iterúmque trita, adhibeto. myrrham & sulphur æquali pondere trita mixtáque oleo instillato. Myrrham & mali punici dulcis corticem æquali modo trita, & melle subacta infundito. Bestijs quæ ab arboribus capiuntur, tanquam vermibus rubris, tritis & oleo subactis vtitor. Bestia, quæ terræ intestinum vocatur, cocta & percolata inditur. Resina, mel, & oleum pari pondere mixta & dissoluta instillantur. Malum punicum dulce sumito, & præciso vmbilico grana eximito, deinde in hunc infuso passi cyatho & præterea chalcanthi læuis obolis duobus superinspersis incoquito, vsq; dum mediocrem crassitiem habuerint, ac tepidis vtitor.

**❡ Quæ inspirentur.**

Gallam leuem inspirato. piper rotundum cum vino tritum inspergito. eodem vtendum est & infusione magis soluta. Omphacium & gallam torrefacta æquali pondere læuia inspirato. Vtendum est etiam obambulationibus, ventris inanitione, cibi subtractione, & aurium purgatione diligenti.

**❡ Ad aures præhumidas.**

Ad aures præhumidas, sic enim ipse nominat, medicamenta vtilia Apollonius, quæ sequuntur, citat. Mysi combustum in linteolo, & cum eo læuigatum inspirato. Galla cremata tritáque similiter vtitor. Cinerem læuem similiter aluminis super testam torrefacti læuigatíque oleo affuso imponito. eodem curationis modo vtitor.

**❡ Ad grauem auditum.**

Ad surdos, siue grauiter audientes quis nominare voluerit, qui quidem partias voces nequaquam, magnas vix audiunt, symptoma obseruandum est. paulatim enim augescens temporis spatio absolutam surditatem efficit. Purgatio igitur corporis tentanda est ex hiera, & catapotijs diacolocynthidos. pituita per os educenda, caput siccandum omníque modo corroborandum, vt subinde ostensum est. victus ratio tenuis vtilis est. in ipsam vero aurem inijcien-

Surditas

Purgatio totius corporis

tur medicamenta, quæ diuidunt, incidúntque viscosos & crassos humores, quorum materia talis est.

*Quæ Apollonius medicamenta tradiderit in primo de paratu facilibus remediis, ad grauem auditum, ad verbum sic habent.*

Ad grauem auditum repentinum, & eum qui ex capitis doloribus contrahitur: Absynthium cum aqua coctum, per fistulam foueto, quomodo solent per fistulã factitare. * *Aliud.* Baccis lauri, aut folijs in aquis coctis similiter vtitor. * Origano similiter. item hyssopo. sic marina & aceto. ijsdem his vtendum est etiam in ollula coctis & fotu, qui per ollulam adhiberi indicatus est. * Aceto albo & aqua æqualibus & nitro læui simul feruefactis eluito ad dies complusculos, & deinde aqua sola calida eluito: atque sic ea infundito, quæ ad hæc inscripta sunt. porri succum & irinum * vnguentum mixtum instillato. fel bubulum & caprillum, * vnguentúmque rosaceum, mixta indito. Cæparum succo & resina oleo subactis, ex æquo vtitor. Nucum oleo, & resina mixtis ex æquo vtitor. Alumen aceto solutum instillato. Myrrham & alumen æquali portione læuigata & aceto subacta infundito. Adipem anserinum, & fel bouis, laurinúmque oleum æquali pondere mixta instillato. Hederæ syluestris semen exuccatum linteolo instillato. Veratrum nigrum ex aceto tritum & melle probè cocto exceptum, in collyria glandium exiguarum instar cogito, imponitóque meatui, & dies quinque finito. Serpentis exuuium tritum, cum aceto instillato. eodem etiam cum felle bubulo, aut caprillo, aut testudine marina, aut callionymo soluto, vtitor. Nasturtij quod satis est, & nitri exiguum, ficuum carne sine nucleis exceptum, in collyrium redigito, quod auditorio meatui congruit, imponitóque ei: tertio die tollito. Hoc sordes abunde elicit, & statim leuat. Cæterum corporis reliqui cura habenda est, obambulatione quatenus vires postulant, & capitis frictione, aliarúmque partium. præterea medicamentis quæ pituitam per os educunt, & collutionibus, quæ eandem possunt excernere. cibísque vtendum copia moderatis, & genere solutu excretúque facilibus. Auxiliatur abũde hac dispositione infestatis etiã spongia minutim detrita, ac meatui auditorio indita. eadem hæc vtilis est ad carnem in meatu enascentem. In his dixit vtendum esse fotu, qui per ollam adhiberi indicatus est, quem ipse nimirũ antea inter auditus præsidia scripserat: ego autem ipsum omisi, quòd scirem collutionem quidem aliquam dolentibus moliri, vtilitatem verò nullam adferre. idcirco nunc ipsum appono. nam surdastros verisimile est eo nonnihil iuuari, qui auxilia contraria ijs qui dolẽt, requirunt. etenim partes affectæ in doloribus exacta quiete indigent: surdi autem, motu vehementi, & vt quis dixerit, transmutatione in contrariam dispositionem.

[Margin notes: * Desideratur in græco. * Aliud. * Aliud. * Vetus habet oleum. * Oleum.]

*Fotus ad aurium dolores ab Apollonio scripti sic habent.*

Fotibus vtendum est qui per spongias fiunt, aqua calida imbutas, easque abunde expressas, item ijs qui per cucurbitam adhibentur, præterea illis qui vapore per calamos perforatos accommodantur. Oportet autem alterum calami extremum auriculæ concauitati adaptari, alterum ollæ, quæ operculum perforatum habeat, & vndequaque constricta sit, insidere. sit autem in olla absynthium aqua decoctum, vt humor qui ascendit auditorio meatui obue-

niat. similiter etiam foueri conuenit adipe in veru tosta. Iam vehementer etiam conuenit subscriptus fomenti modus. Vrina potissimum tauri: sin minus, bouis quàm vetustissima, ollæ recenti angustíque oris infusa, & aceti tertia parte vrinæ mixta, myrtóque contusa, testas grandes ignitas in ollam conijcere: deinde inclinato homine ollam auri apponere, atque sic foueri oportet. circa aurem vero circulum ex lana facere, ne loci ambientes adurantur. Vtendum & farina ordeacea triticeáque cum vino cocta, & irino vnguento calido, fotus gratia. Supra aurem vero lanæ molles, & puræ vino oleóque redditæ, imponi debent. item farina ordeacea aut triticea, interim ipsa per se cocta cũ vino & irino vnguine, interim mixta stercori columbæ & aristolochiæ tenuis pari portione. Conducit etiam cibi inedia, victus tenuis, ventris inanitio insignis, præterea recreatio virium, quies, capitis tegmina: potus, aqua calida, mulsa, ptisanæ succus cum melle, vsque dum dolores remittant.

*Archigenis remedia ad grauem auditum, & surditatem, ad verbum.*

In graui auditu corticis raphani succum cum rosaceo, aut cyprino tepefactum instillato, aut galbanum cum aceto & melle incoctum. In surditate autem oborta, veratri nigri instar erui in melle cocto applicato, finitóque, donec id, quod impedit, * exedat: aut absinthij decocto elutis auribus mel & oleum instillato. aut collyrio ex nitro, ficu, & sinapi demisso. & non eximemus triduo, deinde acutis vocibus continuis inclamabimus, rursúsque grauibus. Vbi rursus ipsis inclamauerimus, postea deponimus: hinc infundimus vtiliter asphodeli radices oleo veteri decoctas, caprilláque vrina continue eluimus. Porrò ad surditates à capitis doloribus contractas, raphani succum cum rosaceo infundimus, aut cucumeris syluestris foliorum succum, aut castoreũ cum baccis lauri & aceto.

* Græcum habet, διαφράγῃ, qđ est, intersecet.

*De corporibus, quæ auribus incidunt.*

Si aqua in aurem inciderit, auxiliatur quidem acetum: & in vno pede, quà patiens auris est, subsilire, inclinando seipsum: nam sua sponte facile excernitur. item emunctio naris summè attrahit per os nudum, aut etiam per strigilem. deinde lana inuoluta prædictorum aliquod vnguentum instillato. At vbi calculus meatui inciderit, aut faba, aut quoddam persimile, eluito. aut specillo lana inuoluto & resinæ intincto, retrahito: aut medicamine quodam glutinoso. Quòd si non cesserit, medicamine, quod sternutamentum citat, naribus indito, os & fauces obstruito. Nam oborta spiritus intentione id quod incidit, efflatur. Facito autem continue, vsque dum exciderit. nam si intus maneat, in aure inflammata conuulsiones adfert. Optime confert eliciendis ijs, quæ inciderunt, & conquassatio: si quidem puer fuerit, pede prehensus, & in caput sublatus cum conquassatu: si adultus fuerit æger, reclinato ipso super tabulam, in aurem dolentem iube caput inniti: deinde leuans partem tabulæ, quæ ad caput spectat, finito ferri deorsum, atque hoc sæpe facito. mouebitur enim quod illapsum est, & propelletur circa parteis meatus promptiores. post hæc inuersa specilli parte arcta exiguáque dextrè attrahito. Quòd si faba illapsa sit, aut aliud quiddam simile, permaneátque, & madore naturali turgidum inflatúmque cruciatus inferat, certè integrum ipsum eximere non possis: conuenit autem mucrone specilli dextrè

Aqua

Calculus aut faba

ipsum partiri, atque sic paulatim efferre: deinde sapam, aut vinum dulce calidum infundere, & meatum propter conturbationem obortam lenire. Si vero animal quoddam inciderit, scammoniam aceto solutam, aut absinthij succum, aut peucedani amplius, & nitrum, & sulphur cum succo raphani instillato.

¶ *Apollonii de iisdem.*

,, Apollonius de iisdem hoc pacto scripsit. Ad pulices & vermes aurium ac ,, reliqua, quæ in meatum auditoriũ immergũtur. Acetũ oleũmq; instillato. aut ,, cappatis succũ, aut amygdala amara trita, & oleosum ipsarum expressum infundito. *Aliud.* Veratrum album leue inspergito. aut aristolochiã leuẽ, aut cala- ,, minthæ succũ infundito. aut cinnabarim viridẽ instillato. aut veratrũ album ,, cum vino infundito. aut aluminis & cucurbitæ syluestris seminis vel medullæ ,, æqualẽ portionem tritam, cum cedrino oleo instillato. aut cæpæ tritæ & hyssopi parem modum vrina veteri subacta, infundito. In vniuersum eximi de- ,, bent, quę in meatum incidũt hoc pacto. Auriculario specillo, aut vulsella, aut ,, lana molli circa specillum inuoluta, & resina oblita, aut hamulum habenti te- ,, nuem, nitrum tostum læuigatum auri inspergito, & acetum superstillato, la- ,, náq; apposita per noctem sinito: postero die aqua oleóque calido eluito. At si ,, aqua in aurẽ se receperit, cæpæ succum, adipẽmq; anserinum tepida instillato: aut mali punici granis exemptis dulcis, & acidi succo in æreo vase cocto ,, vsque dum partes duæ relictæ sint, vtitor: circiter duas guttas immittens. aut ,, myrrham aceto tritam & melle inserito.

¶ *Quæ Crito auricularia medicamenta tradiderit, ad verbum ita sonant.*

*Contra sonitus ex morbis contractos.*

,, Absinthio in aqua cocto foueto, & rosaceũ cum aceto instillato. aut rapha- ,, ni corticis succũ cum rosaceo. aut aloẽn cũ vino & melle. aut thus cũ aceto & ,, rosaceo, in mali punici cortice coctũ, vt mellis accipiat spissitudinẽ. aut alterci ,, succum cum rosaceo tepido. aut arundinis viridis radicũ succum cũ lacte. aut ,, rhamni succum cum nardo gallica. aut gallam nigram cum myrrha æquali ,, & melle. aut lycium cum mulso instilla. aut vulpinum adipem.

¶ *Ad aurium dolores & puris fluxum citra humiditatem.*

,, Vini veteris sesquuncia, mellis Corsici vncia, nitri rubri sesquũcia, lycij in- ,, dici vncia. læuigato lycium cum vino & nitro, ac mel admisceto, vitreóq; va- ,, se reponito, & auri infundito, hyeme quidem bis die, æstate sæpius: ac floccum ,, byssi imponito.

¶ *Ad aures purulentas.*

,, Alumini scisso læui acetum adfundito: tritum, vt sordibus liquidiorem ha- ,, beat spissitudinem, excipito hapso lanæ, siccatámque lanam in aurem impo- ,, nito. aut ipsum medicamentum liquidum lana specillo circumuoluta in au- ,, rem demittens, quotidie ipsam illinito. adijcito autem & passi momentum, ne ,, siccescat.

¶ *Archigenis ad externos aurium meatus affectos.*

,, Archigenes ad exteriores aurium meatus affectos ista scripsit. In auribus cõ- ,, tusis myrrham, thus, terram nigram, qua nonnulli abstergunt, cũ aceto acri, ,, bene vnita in cerati spissitudinẽ applicato, & nullo modo aurẽ irritato. Aut ce-

rusam,& apij semẽ æquali pondere illinito.quidã absynthiũ scribũt. Aut sulphur viuũ,myrrhã,thus,cũ pice liquida spleniũ imponito. Aut fabrile glutinũ & bitumẽ similiter.nõnulli & mannã miscẽt. Aut Asclepiadico vtitor medicamẽto cephalico. Aut pastillis ad pudẽda inscriptis oblinito. In quibus autẽ aures cõtusę sunt, repleta intus concauitate cartilaginis prominẽtiore, terra figulina:sequẽti die cũ siccata fuerit, solanũ cũ absynthio oblinito, vsq; dũ subsederit. In vulneribus circa aures & diuisionibus, fibula diligẽter iniecta, deinde medicamẽtis, quę inflãmationẽ arcẽt, & reliqua glutinatoria ratione vtitor. foramina autẽ fibrarũ, quæ inflãmationẽ patiũtur, in pueris oleo in ærea lucerna incẽso oblinens, ad sanitatem perduces. Asclepiades autem sic ad aures contusas vsus est. Aloës partem vnam, glutini fabrilis cum aceto cocti partem vnam.mixta imponito.nonnulli etiam mannam adijciunt.

*Epithemata ad aures contusas.*

Acetabuli herbę drachmæ octo, amygdalarũ amararũ purgatarũ drachmę duæ, tragacanthi drachmæ duæ.aceto soluta excipiũtur visco quercino:deinde emplastri modo imponito. Aut cerę drachmę octo, galbani drachmę octo, corios drachmæ octo, visci quercini drachmæ sedecim, thuris drachmę octo, myseos tosti totidẽ.componito & vtitor. Apollonius autẽ sic aurium inflãmationes per sũma oboriẽtes ex humorũ impetu, aut ictu, itẽ tumores laxos & rubedines curabat. Butyrũ recens percolatũ instillato. aut adipẽ anserinũ & lac muliebre mixtũ instillato. aut glãdis expressionẽ resinãmq; liquidã, tepidã instillato. aut adipẽ bouillũ, anserinũmq; æquali põdere lęuigata instillato. *Aliud quod illini possit.* Meconiũ aqua solutũ pinna oblinito. aut crocũ tritũ solutũmq; illinito. aut spumã argẽti tritã ex aqua & nardino tenui illinito. aut cerusã corios succo, aut polygoni, aut solani dissolutã inungito. *Cataplasmata.* Absinthiũ tritũ ex aqua vice cataplasmatis impone. aut sesamũ tritũ ex aqua: aut lentẽ ex aqua tritã cum melle: aut mali punici dulcis coria in vino cocta tritáq; applicato. bonum est admodũ medicamentũ. Myrrhã & adipẽ anserinũ, aut butyrũ, aut resinam, & conchæ interiora pari pondere. trita auri imponito, & eiusdem partis temporibus. inedia autem ciborum conuenit, & ventris euacuatio, prętereaquies, tegmentum capitis corporísq;. aliena sunt æstus, frigus, balneum, vomitus, clamor, & omnis distensio.

*Ad exulcerata ex ictu, & aures confractas.*

Panis calidi micam tritam cum melle imponito. Myrrham cum vino contritã veteri illinito. cochlearum colla cum testis trita, & myrrhæ parte dimidia mixta, imponito. Absinthij & apij seminis parẽ portionem lęuigata cum melle imponito. Sulphur pici circumlitum læue, aut mannam inspergito. Hæc autem non illigato, neque frequenter epithemata deponito.

*De parotidibus.*

Parotides inflammationum genere cõprehẽduntur. fiunt autem glandulis iuxta aures sitis, affectis: non tamen vtimur in ipsis prima curationis corporũ quæ inflãmãtur parte. quippe in illis vt plurimũ curatione à medicis dicta repulsoria ac reprimente vti cõuenit: præcipue cũ id quod influit, neq; malignũ est, neq; copiosum, neq; corpus plethoricum. ita enim & spõgia sola ex posca imposita incipientes reprimit inflammationes: ita vt totum corpus nihil af-

ficiat. In parotidibus autē huic cōtrariū molimur, medicaminibus vtentes attractorijs: & si nihil notatu dignum hæc profecerint, cucurbitulā quoq; accōmodantes, aut fotus crebros. Nam humorē noxiū in cutē elicere conamur: præcipue cū affectus capiti fuerit infixus, humoribus in eo pertinaciter hærētibus. Quinetiam cum citra capitis affectū in febribus acutis natura superfluos humores deponit, ex vasis in regionē, quæ intra cutē & corpora subiecta habetur effundēs, quādo & glādulę humoribus qui excidūt, opplētur, satius esse tunc quoq; videtur naturæ opitulari, febribus per abscessum medenti. Cū verò influxus vehementi fertur impetu, nihil nos tentabimus, totum naturæ permittentes. Si enim vel cucurbitulā, vel medicamentum aliquod humores ex alto in cutem eliciens, accommodemus, dolor vehemens hominem inuadit, vt hinc vigiliæ torqueant, & febres succedant, & vires conuellantur. Proinde tunc mitigare, non promouere humorum impetum oportet: cataplasmatis vtentes lenissimis: cuiusmodi est, quod ex frumentacea, aut ordeacea, aut lini seminis farina cum mulsa, aut fœnugræci, aut althææ, aut chamæmeli decocto paratur. item quæ præter humidæ caliditatis moderationem, deinceps dolori mitigando sunt, iam etiam concoquere humores influentes possunt, & ad suppurationem perducere, vt in doctrina de cataplasmatis ostendebamus. Quòd si sanguis redundare tibi appareat, prius ipsum venæ sectione vacuabis: potissimum, si vires permittant. Nunc autem ad medicamentorum compositionem, quæ initio nobis proposita est, digressi, dicemus qua ratione eā cōponi, & vsui esse debeant. Si tumor quidem non discutitur, medicamentis vtere, quæ puri mouendo sunt: nempe farina frumentacea, cum fici decocto, oleóque. itē medicamento quod ex polline, & quod ex fermento confectum est. Vbi vero parotides ad suppurationem spectarint, vel cute ferro discissa pus excernetur, vlceríq;, vt in eiusmodi omnibus in confesso est, mederi oportet: vel acri medicamento rumpetur, cuiusmodi est smilium, & quod diascorodon inscribitur. aut tentandum discutere ipsum medicamentis, quæ attractoriam simul, & extenuantem vim obtinent, auferentes ea bis quotidie, fouentésque donec aliquid remittant, laxentúrque dolores, maiori parte puris discussa. tunc enim iam primum quidem semel soluere & fouere, deinde ne hoc quidem facere conducit: sed medicamentis, si quæ reliquiæ in alto continean tur, discutiendas permittere: & si durities fuerit, ipsam quoque emollire. Quare per hoc tēpus medicamēta mixta facultate componentur: ita vt emollientia attractorijs immisceātur. Vbi verò totum quidem pus fuerit euacuatum, durities autem quædam reliqua fuerit, medicamētis quæ emolliunt vtēdum est, quorum variam & materiam, & compositionem in sermone de malagmatis exposui. Porrò constat omnibus mediocres parotidas, in quibus neque copia est, quæ in particulas incumbit tāta, vt dolores validos excitet, neq; caliditas humori adest, facile hęc posse curare. Neq; enim ad suppurationē festināt, neq; dolorē inducūt validū. sed licet tunc etiā fomētis vti ex muria, & cataplasmata inducere, quę magis calefaciāt digerántq;: & medicamēta eadē facultate prędita. At cum pleriq; medici etiā parotidū remedia indistincte conscripserint, si quis modo cōprehēsorū memor ad vsū ipsorū pueniat, sciet qbus in quibus parotidibus vtendū sit. Verū & ego vos prius exercitabo exēplis, quæ

Archigenes in primo de medicamentis ſecũdum genera his verbis prodidit.

¶*Archigenis ad parotidas.*

Cum parotidas diſſoluere cogitamus, oblinimus frequenter plantagine lænicum ſale. Aut caprillo ſtercore cum aceto. Aut lapathi ſylueſtris radicibus in vino coctis. Aut cucumere lęui cum chalcantho. Aut cucumere cocto, cum abſynthio & vino læuigatis. Aut buccina cremata marina. Aut purpuras exceptas melle, aut axungia imponito, & ſtatim diſcutientur. Idem facit etiam & oſtrei teſta combuſta cum melle impoſita. Aut ceratum roſaceum cyprinúmve rutaceo exceptum, aut ſulphure viuo ſimul emollitum. Aut cimolia cum aceto. Diſcutit autem maxime ficus in marina coctus, aut muria, ſi læuis imponatur. Idem præſtat etiam marrubium læue cum ſale. Et lana butyro intincta, impoſitáque parotidibus incipientibus opitulatur. Quemadmodum huic poſtremo pulchre adiecit Archigenes diſtinctionem, incipientes inquiens parotidas butyro adiuuari: ita ipſum oportebat de alijs quoque tempus adieciſſe: ſicut ego paulo ante factitaui. in hoc autem ipſo butyro non ſufficit diſtinctio à ſolo petita principio, niſi appoſitum fuerit, vtrum vehementer, aut molliter erumpat, & num dolorifice, vt cum pulſibus & vigilijs infeſtet, an cum moderato dolore: item quæ morbi ſit conſtitutio, num grandem abſceſſum omnino requirat, an per minorem poſſit excerni. tali enim ſufficit butyrum, & præſertim in mollibus corporibus, eunuchis, pueris, mulieribus, & molli carne præditis. ſi cum vehementi dolore oriatur, cataplaſmate quod mitigat dolorem, cum fotu continuo indiget: qui aut ex aqua ſola fit, aut momento ſalis indito. Quoniam verò primum omnium ſcripſit medicamentum plantaginem cum ſale, ab illa quoque nos rurſus auſpicabimur, plantaginis naturam in memoriam reuocantes, quæ mixtis conſtat facultatibus, digerente & repellenti. Ego vero nunquam velim repellentia medicamentis quæ parotidas iuuant, miſceri, niſi quandoque raro exiguum, multo digerentiũ: idque nimirum cum parotis citra magnum dolorem erumpat. Poſt hoc ſcriptũ eſt, ſtercus caprillum cum aceto, quod inueteratæ parotidis, & in ſcirrhum indureſcentis, & nondum dolorem notandum experiuntis, medicamentum fuerit: ſicut & lienis in ſcirrhum indurati. Tertium deinde tradidit, radices ſylueſtris lapathi cum vino coctas. ſi & qualitatem & tempus vini appoſuiſſet, forte aggreſſus eſſem & ipſum probare. quia verò non adiecit, & multum intereſt, acerbum an auſterum, acre an dulce, recens an vetus, craſſum an tenue, rubens an album nigrúmve ſit vinum: idcirco ego quoque de medicamẽto ſcripto nihil poſſum dicere. Vos autem cum ſciatis vetus magis digerere: præſertim ſi naturę ſit calidioris, cuiuſmodi ſunt rubra plurimum: contraria autem his virtute auſterum & acerbum: eiuſmodi vinum cauere oportet. in rubro autem & mediocriter veteri tenuíque coctis lapathi radicibus, in parotidibus quæ citra vehementem dolorem obueniũt, vti poteritis. Poſt hęc ſcribit, ficũ læuem cum chalcantho. Itaque ficus digerentis extenuãtíſq; virtutis eſt, potiſſimũ ſi ſiccus fuerit. recẽs autẽ, vim habet digerendi, nõ tamen poteſt cõcoquere. chalcanthũ vero medicamẽtũ eſſe vehemẽtiſſimũ, validis vtriſq; præditũ viribus, nemo ignorat. quare etiã vehemẽtia ipſius vitãda eſt. cocto autẽ ficu, nimirum ſicco cum abſynthio & vino lęuigatis vti præcipit: ac vos quoq;

opportunè eo vtemini in inflammationibus, & magnitudine & tempore medijs: ſicut & crematis buccinis, purpuris & oſtreis, in ijs quæ iam ſcirrhi naturam induunt, & in vetuſtatem incidunt. eſt enim medicamentum, tum doloris, tum roſionis expers: non modo ſi melle quis cinerem ipſorum immergat, ſed etiam multo magis, ſi veterem adipem ſuillam * curatam miſceat. leuiſſime enim hoc digerit omnes inflammationes inueteratas, etiam ſi ex rheumatica ſint diſpoſitione. Deinde cerato roſaceo cyprinóque cum rutaceo vti iubet, medicamento quidem digerente, ſed quod nihil vehemens, neque violentum habeat. paulo autem eo vehementius redditur compoſitum medicamen, ſi ſulphur viuum in vicem rutæ miſceamus. Quæ ſequitur, cimolia cum aceto, neque validæ, neque dolorificæ, neque magnæ parotidis eſt remedium. At ficus in marina coctus, ijs quæ iam in ſcirrhum occalleſcunt vtilis eſt, digerendi facultate præditus. pariter etiam, ſi marinæ penuria muria quis vtatur. perſimile autem huic, ſicut & Archigenes dixit, marrubium eſt cum ſale. Poſt hæc protulit cuius paulo ante poſtremum, in oratione ſic meminit, butyri. ac poſt id rurſus ad generoſum medicamentum digreſſus eſt, pyretrum læue ficu excipi præcipiens, deinde calce viua læui cum melle vti iubet. ab hoc muſtelæ ſanguinis illiti meminit. Verum cum huiuſmodi putem eſſe ſuperuacanea, & quæ inopem oſtendant medicinam, ſi alijs præſidijs citra muſtelæ ſanguinem parotidas nequit curare: neque vſus ſum ipſis, neque experientiam ipſorum habui: imò neque alius quidem amicorum aggreſſus eſt vti. Crebro autem illinere qualecunque mediocrium parotidum " eſt remedium. Ab hoc ita ſcribit ad verbum, Aceto feruido ſuperfuſe, aut ſpó" giam muria acetoſa madentem imponito. Verum hoc erit foſſorum meſſorúmque, non ciuilium corporum præſidium. Secundum hoc acris meminit medicamenti, quod ex cremata muſtela fit, cuius cinerem cerato irino excipi iuſſit. In illo autem tempore, ſcilicet cum in vetuſtatem incidũt, & ſcirrho indurantur, huiuſmodi medicamentis vtendum eſt. nam plurima ab eo conſcripta remedia ſunt parotidum, quæ contumaciter inueteraſcunt. ideóque adiecit medicamento huic, quod poſſit ſtrumæ probe mederi. Interiecta eſt citra ordinem deinde talis quædam dictio, " Et continua calidæ irroratio, conti" nuúmque farinæ ordeaceæ epithema. quód ſiue per ſe quis legat, ſiue etiam finem prioris curationis, initium huius dictionis faciat, vtrobique bene dictum eſt. Cõſtabit autem nobis, ſi prioris orationis finẽ proponamus, vt tota oratio fiat eiuſmodi, Mirifice diſcutit & ſtrumas ſubinde & parotidas farina ordeacea continue impoſita. Sin autem de parotidibus ſolum dicatur, diſtinctio deerit orationi, docens nos in quibus, & qualibus parotidibus aquæ calidæ irroratio, & continua farinæ ordeaceæ impoſitio conuenit. non enim in qualibet, ſed quã volumus ad ſuppuratione citiſſime perducere, queadmodũ in ſuperiori ſermone percenſui. Hoc igitur, vt dixi, prauè appoſitũ eſt. Ceterũ ad continua medicamẽta digreſſus Archigenes, iterũ ſcripſit, nõ adijciẽs induratiũ, & veterũ parotidũ eſſe auxilia. cũ autẽ ea nos ex materie cognoſcamus, ap" ponã vobis ipſiuſmet Archigenis ſẽtẽtiã, quę hoc pacto habet. Propriè aũt lu" pinis amaris in tenuiſſimũ pollinẽ tritis coctíſq; cum melle exiguam calcẽ viuã " admiſceto, & applicato. diſcutit enim hoc ſumme. Picis bruſiæ, mannę thuris,

* Vetus adijcit, inſulſam.

æquales partes, terebinthinæ, palmularū ſyriacarū, nō veterū, pinguiū, carnis puræ, ſingulorū duplicata portio, galbani ceu dimidia mannæ. vnitis probe, vtitor. Quòd ſi dura reſina fuerit, emollito. aut nitri & minij ſynopidis tertiā partem, cum cyprino in ſordium ſpiſſitudinem conformato, imponitóque. Aut calcem viuam cum luto ſimiliter. Aut ficus ſiccæ, galbani, nitri, paria pondera, ſulphuris tertia pars, terebinthinæ, opopanacis, ſingulorum exiguum. vnitis vtitor. Aut calcem viuam ex aceto læuigato, imponitóque. Quòd ſi ne his quidem diſcutiantur, adiuuare oportet, vt in pus mutentur, ſuperfuſione multa decoctionis lauri, aut ipſius baccarum. aut ſulphur aliúdque id genus in aquam inſpergendo, applicandóque frequenter farinam ordeaceam calidam, aut etiam nitrum, vel columbæ ſtercus ei miſcendo. vel cucurbitula quoque, cum ſcarificatu agglutinanda eſt, poſtea ad manum veniundum eſt, & humeralis vena ſecanda. præſtantiſſimum enim in his eſt, citiſſimè defluxum in exteriora elicere. Hæc quidem Archigenes tradidit. ſunt autem etiam emplaſtica multa, quæ parotidas diſcutiunt, alia ſanè ſcirrhi modo iam indureſcentes, & inueteratas: alia liberatas quidem dolore, ſed nullam puris ſuſpicionem habentes, ſicut & quæ iam ſuppuraſcentes perſanant. Cæterum ſcripta ſunt inter emplaſtra digerentia eiuſmodi cum proprio titulo: veluti & quæ ſimplices parotidas curant, laxantia dicta, omnibus ſunt cognita. exempli gratia, emplaſtrum Mnaſij: item diachylon, hoc eſt ex ſuccis, & diaptiſanes, quod eſt ex ptiſana præparatum, atque his adhuc molliora, quę cerati figuram referunt. ad hæc quæ ex butyro & hyſſopo conſtant, quæ recipiunt oſtreorum crematorum, aut buccinorum, aut purpurarum, & adipis ſuillæ, ſingulorum vncias tres, butyri vnciam vnam, ceræ vncias duas ſemis, oſtreorum combuſtorum læuiſſimorum vncias duas. liquefactis quæ liquari poſſunt, oſtrea inſpergito, ac vnitis vtitor, confidens ceu efficaciſſimo remedio ad parotidas.

## De narium affectibus.

Ex genere tumorum præter naturam polypi generantur, exulcerationibus ozæna aſcribitur, excretionibus naturę cōtrarijs, profluuia ſanguinis, quæ acuto morbo conflictātibus oboriuntur in ſummis excretionibus, quas iuniores medici proprie ὑπερκρίσεις appellant. in quibus natura ad decretorium irruens auxilium, mediocritatem non tenuit. Primum igitur ab ozæna ſermonē inſtituam, quæ ex acrium putridorúmque humorū illuuie cōtrahitur. Quòd ſi acres tantum exiſtant, vlcera curatu difficilia ſolent procreare, non tamen grauiter olentia. Curatio ſanè vtriuſque huius vitij & polypi eſt, caput primū reſiccare, eíque robur adijcere. Conſtat enim hęc ex eo propter humorū malignorum redundantiam naribus influere. Quomodo autem caput totum corroborandum veniat, ne quicquam ex ipſo ſuperfluum infernis partibus influat, ſubinde comprehenſum eſt. Quum igitur illis caput validum robuſtúmque reddideris, naribus medendis accingere. In ozæna eò conſilium tuum dirigens, vt particulam affectam medicamentis mixta facultate præditis, repulſoria & digerente, reſicces. Repellunt igitur auſtera nimirum & acerba, quæ communem adſtringētibus appellationem ſortiuntur. Diſcutiunt autem calida & ſicca facultatibus, quorum talis eſt materia.

### *Medicamenta Archigenis ad ozænas.*

Quum ozęna naribus inſidet, calaminthæ ſuccum inſtillato, aut ipſam calaminthā aridam per ſyphonē inſpirato. Aut veratrū album cum ſeminis naſturtij chema quotidie inſpirato: poſtea caput ſuperfundito. Cæterum nares ipſas oblinito aut chalcitide, aut chalcantho, aut ſorico cū melle: aut mel naribus inſtillato, eiſque medicamento quod ſternutamentum citat, cōcuſſis ramenta excute. Deinde præſcripti ex naſturtio, & veratro medicamenti q̄plurimum attrahere facito. Inde amurca cum melle illinito. aut ranunculi ſuccū cum alumine liquido naribus reſupinatis inſtillato, iubetóque attrahere, vſq; dum in os peruenerit: idque facito, donec perſanaueris. Sin autem vetuſta fuerint, etiam acetum vetus admiſceto, aut ſulphur læuigatum, aut acetum acre in vas anguſti oris inditum reſpirandum ipſis, quod ſatis eſt, admoueto. poſtea myſi cum cyprini & nardi indici dimidio, & vino Chio, læuigata vſq; ad mellis ſpiſſitudinem pinna meatus oblinito, & lana obturato.

### *Ad vlcera in naribus.*

Vlcera in naribus mali punici ſucco in æreo vaſe, vſque ad dimidias cocto oblinuntur, aut malum punicum dulce totum vino incoctum læuigato, obducitóque extrinſecus. Aut leucæo, cum aqua attingito: aut rubi ſucco & alumine ſolutis aqua: ſi vetus, aceto. aut iride, & ſandaracha cum melle, aut ſeuo vitulino & reſina.

### *De narium polypo.*

Polypus tumor eſt præter naturam naribus innaſcens, polypodis carunculæ ſecundum ſubſtantiæ proprietatem ſimilis. Palàm igitur eſt, craſſorum viſcoſorumq; humorum ſobolē exiſtere, ideóq; mixtā materiā requirere, vt pars ipſius poſſit adſtringere, pars ſecare, & attenuare, pars digerere, & incraſſare.

### *Archigenis ad polypum.*

In polypo naſturtij tenuis chemam, vel drachmam ſemis cum veratri albi obolis duobus detrita, naribus attrahere iubeto. ſi exciderit, linamentis cum anthera ex melle vtitor, aut lycio ſimiliter.

### *Aſclepiadis ad polypos & ozænas.*

Aſclepiades in quinto exteriorum in hunc modum ſcripſit. Siccum ad ozęnas. Aluminis ſciſſi, myrrhę, ſandarachę, gallę, ſingulorum drachmę quatuor, chalcanthi cremati drachma vna. læuibus vtitor, prius nares vino odoro eluens, atque tunc ſpecillo ſcalpri attingens. Erycæ ſeminis, myrrhæ, nitri rubri, malicorij, ſingulorum drachmæ octo, myrti ſeminis drachma vna, crocomagmatis drachmæ duæ. læuigatis vtitor. Sereos ægyptij fragilis drachmæ duæ, chalcitidis toſtæ tantundem, myricæ ſeminis, croci, myrrhæ, ſingulorum drachma vna. læuigatis vtitor. Xantizouſa dicta. Aluminis ſciſſi drachmæ octo, chalcitidis crudæ drachmæ ſex, ſandarachæ drachmæ tres, malicorij drachmę duæ, chalcanthi combuſti drachmę duæ, myſios totidem. læuibus vtitor. Chalcanthi vſti drachmæ quatuor, diphrygis, calcis viuæ, ſandarachæ, ſingulorum drachmæ duæ. ſiccis attingito, aut tortili lino madefacto prius aqua, & inquinans medicamento. myſeos toſti, mannæ thuris, chalcitidis toſtæ, ſingulorum drachmæ duæ, ſquamę æris ſeſquidrachma, æruginis drachma vna. ſiccis attingito.

*¶ Lamponis ad ozænas, ægilopas, polypodas, aliáque multa.*

Ad ozęnas, ęgilopas, polypodas, & quę citra sectionē vstionémq; amoliri cupis. separat & ossa corrupta, valétq; ad nomas & putredines, si inspergatur, & ad vlcera sordida in linamēto cū melle. Aeris rubri scobis vncia vna, salis amoniaci vnciæ duæ, guttæ ammoniacæ tantūdē, aluminis rotundi vnciæ tres, aceti acerrimi heminæ sex. arida læuigata acetóq; adiecto, excipiuntur vase æris rubri, mouentúrq; in sole, lamina eiusdem æris, sub æstu caniculæ, donec medicamen siccescat. deinde transfusum in pilam, tritúmq; diligenter, vase fictili excipitur. cum vsus postulat, aqua datur resorbenda, deinde in ore continenda, medicamentum vero per fistulam inspiratur.

*¶ Scribonii Largi ad omnem carnis excrescentiam.*

Myseos vsti, chalcitidis vstæ, æris floris vsti, sorios, æris squamæ, singulorum drachmæ octo. sicco nares attingito. Cōuenit autem pridie ipsas infricare, insequenti die medicamentum à cibo imponere. prius autem oportet sublinere nares pice liquida, aut myrrha stillatitia.

*¶ Philoxeni chirurgi ad polypodas, ozænas, omnem carnis excrescentiā, sanguinis fluorem, & quodcunque crusta voles obducere.*

Aeris cremati, arsenici fricti, myseos tosti, singulorū drachmæ duæ, diphrygis drachmæ tres, chalcitidis vstæ, ęris floris vsti, squamæ ęris, singulorum drachmæ quatuor. lęuibus vtitor. post medicamēta vero imposita, vtimur ijs quibus sternutamenta cient, ramenta disijcere cogitantes, quæ tribus quatuórve diebus excidunt: ac postq̃ exciderint, curantur adipe anserino, & butyro cum cerato rosaceo. Asclepiades autem in priore exteriorum medicaminum hoc pacto scriptum reliquit.

*¶ Asclepiadis ad ozænas, quo vsus est Meges.*

Erycæ seminis, myrrhæ, nitri rubri, malicorij, singulorū drachmæ quatuor, croci drachmæ duę, costi tantundem. lęuia inspirato. Aluminis scissi drachmę quatuor, myrrhæ totidem, sandarachę, rhus rubri, salis fossitij, croci tosti, singulorum drachmæ duæ. lęuigata inspirantur. Ante curationem vero nares conamur vino odoro & melle probo eluere.

*¶ Ad narium polypum, quo vsus est Antipater.*

Aeris vsti drachmę duæ, minij sinopici drachma vna. lęuia inspirato per pinnam, imò etiam nucleo specilli attingito.

*Aliud Antonii Musæ.*

Chalcanthi pars vna, sandarachæ tantundem. læuia inspirato.

*Aliud Charixenis post manum adhibitam.*

Cornu cerui cōbusti drachmæ quatuor, squamæ rubræ totidē, arsenici drachma vna. læuia inspiratur. Bryonię radicis vstę, floris ęris, aphronitri, elaterij, singulorum drachmæ quatuor. lęuia inspirantur.

*¶ Ad narium vlcera.*

Plumbi recrementi, vini veteris, olei myrtei, singulorū æquales portiones. recrementum plumbi terito, vt lęuissimum fiat: ac huic adijciēs vinum, læuigato, deinde myrteum: omniáque simul mixta contusáque & in vas fictile coniecta, prunis superponito, continuè agitans: ac vbi medicamentum sordium habuerit spissitudinem, in plumbea pyxide exceptū seruato. *Aliud.* Plumbi vsti &

piperis, ſingulorũ drachmæ octo, vini roſacei quod ſatis eſt, olei myrtei quãtũ ſufficit. præparato, ac vtitor quemadmodum ſuperius comprehẽſum eſt. *Aliud.* Argenti ſpumę drachmæ ſex, ceruſæ drachmæ octo, malicorij drachmæ quatuor, aluminis ſciſſi tantũdem, vini aminæi quod abunde eſt, olei myrtei quod ſufficit. arida contuſa cribrataq; & in pilam conjecta læuigantur cum vino, vt ſordiũ habeant ſpiſſitudinem. poſt hæc myrteum adijcito, ac rurſus contuſis exceptiſque plumbea pyxide, vtitor, vt prædictum eſt. ſint autem myrtei heminæ quatuor, vini cyathi quatuor.

¶ *Diogenis medicamentum probatum.*

Adipis anſerini drachmæ quatuor, hyſſopi ſeſquidrachma, medullæ ceruinæ drachmæ duę, ceræ tyrrhenicæ drachmæ octo, plumbi cremati, & piperis, ſingulorum drachmæ quatuor, ſtymmios vſti & piperis drachmæ octo, ladani drachmæ duę, adipis vitulini drachmę duę, terebinthinę drachmę quatuor, ceruſæ drachmę duæ, argenti ſpumæ drachma vna, roſacei quod ſufficit. liquida aridis ſuperfundito, & exceptis vtitor; cum vſus exigit, accipiens quãtum ſatis eſt, roſaceóque diluens, nares ſublinito.

¶ *Apollonii ad narium diſpoſitiones, ex primo de paratu facilibus remediis.*

Ad narium vlcera, putredines, & graueolentiam. Mali punici nucleis exemptis, dulcis & acidi ſucco, in ęreo vaſe cocto, donec partes duæ reliquę fuerint vtitor, penitiſſime nares oblinens. benefacit etiam malum punicum dulce ex vino coctum, & extrinſecus applicatum, & intus illitum.

¶ *Ad ſarcomata & polypodas.*

Diphrygi læui attingito, & linamento carpto nares diſtendito. *Aliud.* Veratrum tritum & origanum læue miſceto pari pondere, & naribus bis die inſpirato. *Aliud.* Veratro nigro & ſandaracha pari portione tritis mixtiſq; oleo, & lana exceptis nares repleto. *Aliud.* Aeris florem, æruginem, & liquorem laſeris ex æquo trita oleo miſceto, & ſpiſſitudine vnguinis facta, ad quinq; dies ſublinito, deinde vulſella extrahito. Arſenico & calce trita ſpecillo attinge, copioſo vtens medicamine. cum autem intumuerunt, & elatæ nares exiſtant, veratro nigro, arido, læui mediocriter vtitor. nam diebus plurimum ſeptem nares vacuantur. deinde læui diphrygi purgato, cum melle vtens arſenico, calce, veratro albo tritis nares ſpecillo attingito.

¶ *Ad ea quæ naribus incidunt.*

Quæ in nares incidunt, eximito auriculario ſpecillo, aut forcipe: vel medicamentum adhibeto, quod ſternutamenta ciet, & os comprehendito, alterámq; narem comprimito, niſi in vtriſque naribus affectus exiſtat.

Hæc ſanè Apollonij ſunt, quibus ipſe vſus eſt. verum vt ego vſus ſum etiam in narium polypis, & ozænis, probatiſſima deprehendens, quæ inferius ſubſcripta ſunt. Primum quidem id quod ex malis punicis conſtat. ſint autẽ paria & numero, & magnitudine, ex tribus ſumpta differentijs. Nonnulla enim ipſorum auſtera ſunt, alia dulcia, quædam acida. Hęc igitur contundere oportet recentia, maturáq; & integra exactè confringere, vt ſuccus ab ipſis poſſit exprimi, quem vaſe ſtanneo repoſitum ſeruare conuenit modicè decoctum, ſi quando liquidior, quàm par eſt, appareat. Quod autẽ ex ipſis ſolidum relinquitur & craſſum, exactè rurſus cõtundere, vt poſt contuſionem iterũ poſſint lęuigari

in pila, fingiq; collyrijs similia, quæ naso eius qui curatur, commodè adhibeãtur. dimittitur enim in nasi meatum, in quo polypus delitescit, vt citra rosionẽ & consensum doloris, quod acria medicamenta efficiunt, longioris temporis spatio ipsum purgent. At si humidior molliórque polypus tibi appareat, maiorem portionem ex austeris malis punicis inijcias: si durior, ex acidis. Quoniã vero molestum est, perpetuo collyriũ sustinere, conuenit interquiescere, & vti, interea dum apponitur, succo expresso: necnõ aperiendo locum affectum oblinere, in illis partibus, qua nasus ad palatũ perforatus est, liquido medicamento expresso: idque aut pinnis, aut lana specillo circundata, aut specilli nucleo. Ex aridis medicamentis noui quandoq; diphrygi, citra rosionem polypũ longiori tempore consumptum. Iam præclare se gerit in ipsis & prædictum collyriũ, quod ex malis punicis formatur, cum siccum euaserit, pulchrè cõtusum, pertostum, læuigatum, deinde inspiratũ, vel etiam nucleo specilli impositum. Omnia autem hæc continuè facienda sunt, ne vnquam particulæ affectæ medicamentum desit. facile enim ab humiditate eluitur. Quemadmodum igitur in lippientibus, ita in his quoq;, si fieri potest, perpetuo medicamentum imponere oportet. Nam facile, vt dixi, ab humoris influxu abluitur. At si quis eunuchus nullum medicamentum adferri sustineat, sed ab omnibus irritetur, rosas siccas contusas, læuigatásq; ad amussim, & impositas citra morsum pariter & mirifice hominem iuuisse noui. quapropter etiam iterum in mollibus & humidis, aut difficilibus corporibus eo vsus sum. duorum enim alterum accidit, aut nihil nocuit, aut omnino citra molestiam operatum est. Quippe ex ijs quę efficaciter purgant polypodas, plurima ipsos exacuunt: vbi id cuius gratia adhibentur, non fuerint assecuta. Vlcera quæ meatus nasi infestãt, semper pastillis curaui, Andronij, Pasionis, Polyidę, & Bithyni, & eo quem ego composui, interim vino dulci ipsos lęuigans, interim austero, nunc ætate mediocri, nũc vetusto, aliàs ex aceto aut vinoso, aut simpliciter acido, aut etiam acri admodum & vetusto, secundum commemoratas indicationes vsu medicamentorum ab affectuum accidentibus inuento. In opulento autem aliquo, odoratũ qui vellet esse medicamentũ, quod adhiberetur in ozęnę curatione, vti hedychroo dicto cogitaui, mergens ipsum falerno veteri: ac mirũ est, quàm cito affectus sanitatem perceperit. Exposita autem est hedychroi confectio, in theriacæ antidoti scriptura.

¶ *Heraclidis ad sanguinis eruptionem ex naribus, ad Antiochidem.*

Expositum à me est abunde de his quoq; in methodi medicatorij cõmentarijs. verum nunc quæ ex probata materia maioribus nostris cognita sunt, persequar. Grumis ablatis, lana inuolutum specillum demittitur in lycium, quod aqua dilutũ fit, & locus sanguinem fundens perlinitur. aut linamentum longum lycio imbutum impenito, deinde nares digitis extrinsecus comprehensas, comprimito, donec sanguis sistat. Aut chalcitidem lęuigatam mediocriter & linamento funiculari aqua imbuto, vel eo quod à genitalis humani forma priapiscon appellãt, exceptam narium foraminibus demittes. Aut scissili linamento vtitor, quàm penitissime inserens. satius autem est etiam in palatum digitum demittere, ne quando linamentum excidat. Aut thus comminutum & polygoni succo perfusum. Aut porri seminis succo linamentum scissum imbu-

tum illinito. Aut linamentum funiculare immittito. Aut mentham contritam inserito. Aut spongiam aridam imponito. Aut spõgiam ferventi aceto acri demissam profluentibus naribus extrinsecus imponito, comprimens specillo vsquedũ propellatur. Prestat autẽ spõgię initiũ deligare lino per acum, vt facile extrahi possit. eximito autem, cũ facti tibi fidem fecerit. Quòd si arida euaserit spongia, & glutinata intus, auriculario clystere, cui frigida aqua insit, dissoluito, ac illuens humecta, sicque auferto. Iã vtitor medicamentis quę ad vulnera, & ad sanguinem reprimendum inscribuntur. vincit etiam frontem spõgijs refrigerare, & partes capiti subiectas sublimes habere, brachia, volam, femora, inguina: & genua in gracilibus deligare, sicut in sanguinis missione, vt moueant iubere, manus quidem infricando, pedes eundo. nam venis indidem sanguine repletis, narium vasa eo destituentur. ac propinare, quæ ad sanguinis eductionẽ inscribuntur, *aures linteis valide obturare, & cera: in ore aquã pluuialem frigidam continere. Quòd si aliquid sanguinis absorptum appareat, idque copiosum, vacuatione tollito. nam in grumum coalescens, in ventre, & in intestinis perforationem molitur.

*Vetus habet, nares.

*Asclepiadis medicamenta ad sanguinis eruptionem ex naribus, in quinto exteriorum, quæ Marcellas inscribit.*

Platani pilulas colligens in vmbra siccato: vbi siccaris, sparsa quadam tunica aspera, eiusdem extremitate conterito. sin minus, in quadam ex pilis structa cõterito, ac semen galbulorum abijcito, festucas autem colligens vase fictili recenti reponito. cum vsus exigit, lanuginem platani impositam fistulæ arundineę cui geniculi sint adempti, insculpta autem sit, qua parte imponitur, auribus inspirato. statim sanguinis fluorem aufert. Chalcãthum diligenter tritũ reponito. in vsu rasuram aliquam linteolorum intingẽs in medicamentũ, imponito. Spõgiam cruda pice mersam cõburito, atq; ex hac linamẽtum tortile excipiens, imponito. *Aliud.* Oui putaminis partem vnam, gallæ immaturę tantundẽ. læuia tortili linamento aqua merso, aut aceto, excipiens imponito, frõtem & nasum gypso aut luto figulari oblinito. aures autem validè continere precipito. Nonnulli spongiam africanam in aceto acerrimo decoctam, deinde expressam, eique lapidem densum, ignitum, circundantes accẽderunt, iubentes vaporem attrahere.

*Quæ Andromachus tradiderit.*

Ad sanguinis eruptionem in naribus nihil quidem peculiariter scripsit Andromachus. Quoniam verò ex ijs quæ sanguinem reprimunt, plurima hanc quoque sistunt, idcirco etiam ego huiusmodi medicamenta ab eo prodita apponam. Sanguinem coercens remedium, quo vtor. Chalcitidis, myseos, mãnę, singulorum drachmæ quatuor. læuibus vtitor. Chalcitidis drachmæ centum, chalcanthi drachmæ quinquaginta, myseos tosti drachmæ vigintiquinq;, æris cremati drachmæ duodecim semis. læuibus vtitor.

*Sanguinem coercens medicamentum, Megale dictum.*

Myseos cyprij drachmæ septem, chalcanthi tantũdem, piceæ corticis drachmæ quatuor, squamæ æris drachmæ quatuor, mannæ thuris drachmæ quatuor (alij drachmæ quindecim) æris vsti drachmæ quindecim, chalcitidis drachmę quindecim, calcis viuę drachmæ octo (alij quadraginta) gypsi torrefacti

drachmæ quatuor (alij drachmæ octo) læuibus vtitor.

*Medicamentum sanguinem arcens, Aphrodæ.*

Chalcitidis drachmæ sex, mannæ thuris drachmæ duæ, resinæ terebinthinæ frictæ drachmæ quatuor (alij tres) læuibus vtitor.

# CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER QVARTUS, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

*Disciplina affectuum oculis oborientium, inter quos etiam de medicamentis rosionis expertibus, & emplasticis, alijsque vniuersis agitur.*

Haud alia sanè quædam oculi medicamentorum methodus est, alia vero vsus: ipsa nanque compositio, veluti vsus respectu efficitur, dum id spectant qui medicamenta conficiunt, vt ex vsu ipsorum auxilientur. Quemadmodum vero in alijs, ita in his quoque nonnulli citra distinctionem, vsus medicamentorum cōscripserūt. Exempli gratia [ad dolorem idoneum hoc est] nō adijcientes præterea in qua dispositione dolore oborto. Quidam etiam dispositiones exposuerunt: alij experientiæ magis innitentes, alij rationi. experientiæ quidem magis acquieuerunt, qui signis euidenter in oculis apparentibus, distinctionem moliti sunt: rationi verò, qui obscurè aut nequaquā apparentibus. Conspicue quidem apparet fluor copiosus & paucus, rosionis expers, & rodens, rubor amplior, aut minor: sicut & venæ modici & multi plenæ sanguinis: item inflammationis tumor minor, aut maior: veluti & varietates colorū præter naturam: crassior pituita angulis erumpens, copiosior, aut paucior, aut minor, aut maior. Apparent autem nobis euidenter etiam asperitudines in oculorum palpebris oborientes. Quid opus est dicere, quòd vlcera & pustulæ, tum loco, tum magnitudine non parum inter se differunt, aliáque id genus? Alio autem modo ex his, quæ manifesto apparent, etiam dolores existunt. Nihil enim refert siue * nobis, siue laborantibus appareant. etenim quòd dolent, & quomodo, constat. Quòd enim cōpressione, vel tensione, vel cōstrictione, vel erosione, vel quibusdam pulsibus dolent, palàm nobis indicatur: non autē huiusmodi distinctiones apparent, sicut nōnulli scribunt, ad defluxionem, quæ ab internis caluariæ partibus suggeritur: ad defluxionem quæ ab externis prouenit, aut, per Iouem, quæ ab arterijs & venis deriuatur. Cúmque dicunt aliqui intensionem, aut crassorum, viscosorúmve, vel multorum humorum constrictionē in oculorum alto existere, nullum horum accidens adeò laborantes grauat, vt vehemēs cuiuscunque particulæ dolor, non enim in solis oculis. Nam quidā mori malint, satius esse vt hoc patiantur, arbitrati, quàm toto die dolorem sustineant. Ego autem cum in alijs quibusdam, tum medicatoria methodo manifeste persecutus sum generatim dispositionum, propter quas vehementer dolent, differentiam: quæque vniuscuiusque causa ipsarum existat. Scripta sunt à me etiā in decimotertio medicatoriæ methodi libro, omnia quæ de ocu-

* Vet⁹ addit, sanis.

lorum diſpoſitionibus ad curationes ipſarum neceſſaria medicum ſcire cõuenit. Dicetur etiam nunc ſummatim, quantum ea ad præſentem diſputationem conducant, hoc eſt quæ materiarum diſciplinæ coniũcta ſunt. Etenim liquores, ſucci, ſemina, fructus, & ſtirpium particulæ ocularijs facultatibus immittũtur, ſicut & ex metallicis dicta nõ pauca: alia extremè auſtera, acerba, & acria: alia quidem his moderatiora, veruntamen valida: ſicut & quædam omnis roſionis expertia lotionibus reddita.

*De medicamentis roſionis expertibus.*

Pompholyx lota nullo medicaminũ mitiſſimorũ inferior eſt: ideóq; ipſa vtimur ad tenues acréſq; defluxus, capite nimirũ vnà cum toto corpore prius vacuato. Corpus quidem totum ſanguinis dimiſſione & purgatione vacuari nemo ignorat: caput autem medicamentis, quæ per os edũcunt. Poteſt enim pompholyx lota, ſicut & ſpodium, & amylum, ſimul quidem humiditates moderatas ſiccare, ſimul verò prohibere, ne humiditas ſuperflua, quæ in grandioribus ipſorum vaſis continetur, per tunicas euacuetur. Nam cum quis humoribus in oculos defluentibus, medicamẽtis vtitur quæ obſtruendi vim habent, priuſquam caput ſit euacuatum, dolorem excitabit vehemẽtem, dũ tunicæ diſtendũtur ob humorũ influentiũ copiã: & nõnunq̃ rupturã aut eroſionem ipſarum molietur. Eiuſdem generis eſt cum prædictis medicamẽtis, ſubtenuis ouorum liquor, qui egregiè humiditates abluere, aſperata delinere poteſt. obſtruere autem tenues meatus illis ſimiliter non poteſt, ſicut neq; ſiccare: fœnugræci autem ſuccus, quãtum ad viſcoſitatem attinet, albo ouorum liquamini perſimilis eſt, vi digerente, ſicut & mediocriter calefaciẽte præditus, eóq; multos dolores mitigare ſolet.

*De acribus.*

Maximè autem contraria horum materiæ genere eſt acrium liquorum facultas: exempli cauſa cyrenæi, medici, ſagapeni, euphorbij, & ſummatim eorum quæ vehemẽter calefaciunt citra exaſperationẽ. quæ facultas nõ ſolũ in liquoribus, ſed in ſuccis, ſeminibus, floribus & ſtirpiũ fructibus cõprehẽditur.

*De abſtergentibus.*

Tertia à prædictis eſt valida facultas medicaminum abſtergentium: cuiuſmodi eſt æris ſquama, chalcitis vſta, æs vſtum, ſicut & flos ipſius, & miſy, & ſori, & ſtimmi.

*De exedentibus.*

Proximũ eſt his & aliud genus exedentium, quale eſt arſenicum, ſandaracha, & Aſiæ petræ flos: item miſy huius facultatis modicè particeps eſt. Aliud autem genus medicamentorum eſt, quæ in oculares facultates indũtur, aſtringere idoneum. Quæ igitur moderatè id faciunt, influxus repellunt: quę vehementer, dolorem augẽt, tunicas exaſperãdo, magis quàm influẽtium impetũ reprimant. miſcetur autem nõnunq̃ vtiliter ex ipſis paululum, medicamentis quæ viſum exacuunt, contrahendo ſtringendóq; oculorum ſubſtantiam. quæ modicè aſtringũt, vtiliſſima ſunt lippitudinibus: cõducunt etiã alijs omnibus defluxionibus vlcerum, puſtularũ, & fluxionũ. Sunt autẽ huiuſmodi, roſarum folia, flores, ſuccus, ericæ fructus, nardi ſpica, præterea malabathri foliũ, crocus, lycium, & hypociſtis dicta. vehemẽtioris q̃ hæc aſtrictionis ſunt acacia &

omphacium, quæ ex genere ſuccorum & ipſa exiſtunt. Iam balauſtium mali pnnici flos, & gallæ immaturæ generis ſunt eorum quæ valdè aſtringunt.

*De concoquentibus.*

Quæ inflammationes, aliáſque diſpoſitiones cõcoquũt medicamenta, ſunt myrrha, crocus, caſtoreum, thus, fœnugræci decocti ſuccus: quæ etiam digerere poſſunt, præſertim myrrha. Talis ſanè eſt ocularium materia. At qui natura prudẽtes exiſtunt, & exercitati ratione, nihil præterea diſciplina mea indigent, cùm ipſi ad ſingulos oculorum affectus, idoneum poſſint cõponere medicamẽtum. Quoniam verò pauci tales exiſtunt, & multorum vtilitatem reſpicere oportet, ſatius viſum mihi eſt, ſermonem de ipſorum compoſitione integrè perſequi, repetita prius compendij gratia medicamẽtorum cõmuni genere, ſingulorum, quorum memini, facultate. quæ quidẽ ſummatim in quinto ſimplicium medicaminũ operis cõmentario comprehenſa eſt, ſubſequẽtibus autẽ ſex libris vſque ad extremũ particulatim explicata. Vtar autẽ facultatũ, quæ medicaminibus inſunt, appellationibus, quas in prædicto opere perſpicuitatis gratia propoſui: quædam ſanè eſſe dicens terreſtria ſubſtantijs citra manifeſtam frigiditatem, aut caliditatem, ſed in medio quodammodo horum conſtituta: atq; ex his ipſis nonnulla modica frigiditate, aut caliditate prędita: nonnulla verò prorſus nullam eiuſmodi vim repræſentantia. Totũ autẽ genus ipſorũ emplaſticorum, hoc eſt, quæ infarciri poſſunt, medicaminũ, nominaui, contrariam vim ijs quæ aperiunt reſerántq; obtinentiũ, qualis eſt Samius aſter tenuiorũ partiũ, q̃ quæ ſimplex ita dicitur, terra ſamia. item elota põpholyx, ſicut & cinis ipſius elota, & cadmĕa vſta, lotáq;. Videtur autẽ mihi etiã exiguã quandã abſtergẽdi vim ei ineſſe, ſiue poſt vſtionẽ, ſiue ſine hac lauetur: põpholygi verò & ſpodio, paruã quãdam aſtrictoriam, veluti etiam plũbo poſt vſtionem, lotionémq;. Quinetiam hoc medicamen omni roſione caret, ſed nonnihil aſtrictionis obtinet. ſiue autem maſculino genere, ſiue fœminino põpholygem velis appellare, nihil intereſt. Quẽadmodum & amylũ, quod & ipſum exacte lotum omnino roſionis expers eſt, & medium, vt neq; adſtrictionẽ habeat, neq; acrimoniam, hoc eſt neq; frigiditatis, neq; caliditatis particeps. Iam verò ceruſa lota proximè viribus plumbi vſti lotiq; reſpondet: manifeſtúmq; ex adſtrictione oſtendit indicium, omnino qualitatis expers: vt guſtu, olfactúque amylum & ſamius aſter videatur. Totũ igitur huiuſmodi medicamentorũ genus, ſiue exiguam guſtu, aut odoratu qualitatem oſtendat, ſiue nullam prorſus repræſentet, puriſſimis aquis ſimiliter apœon, hoc eſt qualitatis expers appellatur, ac ſola terreſtri ſubſtantiæ parte ſiccare mediocriter poteſt. Quare etiam longiore ſpatio auxilium, quod ab ipſo prouenit, ſenſibile reddit, cum primis diebus nihil iuuiſſe videbatur. adhibentur tamen à medicis ceu omnino roſionis expertia in diſpoſitionibus curatu difficilibus, in quibus vlcus eſt, vel ſolum, vel cum eroſione, & tunicæ cornu ſpeciem imitantis, & eius quæ acinum repræſentat, rhagoidis dictę procidentia, ſanie mordaciſſima effluente. In his enim nullũ aliud medicamẽ conuenire poteſt, dum aſtringẽtia quidẽ ſaniẽ effluentem retinẽt, & hac ratione dolorẽ, qui ex ipſorum morſu cõciliatur, intẽdunt: acria verò diſpoſitionem adaugent, ſiue in oculis ſolis fuerit, in eiuſmodi malũ habitũ particulis prolapſis, vt id quod influit, corrumpant: ſiue etiã id-

ipsum quod influit vitiosum existat, aut solius capitis, aut etiam totius corporis vitio tale subsistens. vnde & affectam particulam ad curationem idoneam reddimus, & totius corporis purgationibus, & reuulsionibus: primũ quidem per inferiora corporis, deinde & ijs, quæ ad occipitium capitisq; cutẽ accommodantur. Cæterum vtimur nõnunquam arteriæ incisionibus, posteriores capitis circa aures positas arterias diuidentes, præcidentésq; particulã ex ijs, quæ tempora intercurrũt, vt postea nos solam in oculorum tunicis generatã dispositionem curemus: à qua etiam sanguis probus, qui per venas ad ipsas deriuatur, corrumpitur. Itaq; aduersus has dispositiones solas prius comprehensorũ medicaminum genus congruere videtur, quod citra rosionem malum in affecta particula humorem desiccat: qui, vt dixi, id quod influit, corrũpit. Etenim adstringẽtium facultas neq; siccat huiusmodi dispositionem, & mordacis saniei affluxum cohibet. Calidorum verò & acrium non solum nihil iuuat, sed etiam mordacium humorum qualitatem auget. At laxantium digerẽtiúmq; medicaminum vis euacuare quidem potest, quod generatur, non autẽ id quod vlceratum est, instaurare, aut cicatricem inducere, neq; prolapsum reprimere & concludere: sicut nec concoquẽtium facultas, etsi dispositiones cõcoquere nõ mediocre bonum sit. Est autem crocus, vt dixi, myrrha, & thus ex huiusmodi medicamẽtis. Quid opus est dicere adhuc de medicamentis, quę acidas, aut amaras obtinẽt facultates, quomodo rodãt, taléśq; dispositiones exacuãt? Plus autem malitiæ referunt, quę nitrosam, aut salsam, aut austeram vim possident. Reliquum igitur est genus, quod vlcera cum acri fluxione curare potest, ex medicamentis rosionis expertibus, quæ recensui nuper, longiori temporis spatio vitiosum affecti humorem consumentia. Vocantur à medicis huiusmodi collyria, Libiana, & Cygni: propter colorem quidem album, vt sunt olores, superante in ipsis amylo, terra samia, & cerusa rhodiaca. Etenim optima hæc est, & colore albidior, læuior, & tenuiorum partium ijs, quæ alibi nascuntur. In quibus autem alia medicamenta prępollent, colorem secundũ suã ipsius substantiam efficiunt, quemadmodum si quis albo colori cærulei tantillum misceat. Cæterum hæc collyria ideo nonnulli cotibus conterunt, ex mamillis lac boni succi instillantes, eo quòd ouorum vim emplasticam seruare cupiunt. Cum autem in lacte quiddam serosum abstergens contineatur, moderatus ipsius vsus fit in proposita curatione. Nam ostensa sunt in tertio medicatoriæ methodi libro, vlcera vt repleantur, abstersorijs quæ non rodunt, indigere. Verũ si lac tale desideretur, præstat ex fœnugræci decocto collyria conterere, cũ id etiã aliquid abstersorium habeat, quod neutiquam ouis inest.

¶ *De scabritie.*

Cum autem enumeratę dispositiones ad curãdum sint contumaces, plus facessunt negotij, difficilioréśq; redduntur, scabritijs palpebrarum superuenientibus: à quibus etiam in lippitudinibus tunicæ oculorum dolent laborãtes. sed in illis quidem proprijs inflammationi medicaminibus audemus exiguũ quiddam ex abstersorijs miscere: quale est collyrium ad scabritiẽ aptum, quod ex vino præparatur, vt primum quæ palpebris succreuerunt, reprimat: vbi verò inflammatione minus infestantur oculi, asperitatẽ exterat. At in ijs quæ vlcus cum fluxione mordaci experiũtur, non licet tali vti medicamento. Siquidem

membrana cornea magis erodetur, & illius, quæ acinum repræſentat, procidentia erit amplior, & dolor vehemens hominē inuadet: intendetur etiam fluxio maligna. Adducti igitur in dubium medici, quid in huiuſmodi affectuū implexu faciāt, ſolū adinuenerunt auxiliū, ceu aliud facere neſcientes, inuertendo palpebras, abſtergere ipſas & ſine medicamentis expolire. Nōnulli vero ipſa auerſa ſcalpelli parte per ſumma deradūt: deinde ſpōgia molli, id quod effluit, excipiunt, repellūntq; palpebras, reliquum aſperitatis auferentes. Nōnulli pelles marinorū animalium quorundam in ſuperficie aſperas mediocriter, in huiuſmodi vſum aſſumunt. Vnus quidam ex meis præceptoribus collyrium fecit ex pumice, & aſperitates abſtergebat, palpebras inuertens. Conſtat autem omnibus pumicē exacte tritum eſſe oportere, & vbi hoc peractum fuerit, ex tragacantho, aut gūmmi figurari collyriū. Vbi temporis ſpatio fluxio per dicta collyria ceſſauerit, audemus iam abſterſoria medicamenta palpebris adhibere, miſcentes pauxillū aliquid ex ipſis per initia: deinde ſi hoc ferre homo videatur, paulatim adaugentes. Poſtquā vero fluxio ſiccata fuerit, & palpebræ mediocriter habent repletionem cauorum vlcerū, collyrio ex thure molimur, miſcentes ei initio quidem pauxillulum eius, quod ex vino præparatur. Paulatim vero miſturā augentes, vt palpebræ non amplius tunicis oculorum faceſſant negotium, vlceráque exactè pura reddita, impleantur, & cicatrice obducantur. De his igitur abunde dictum eſt. Iam verò ad reliquos oculorum affectus & medicamenta digredi tempeſtiuum eſt.

¶De lippitudine.

Auſpicabor autē ab affectu, qui creberrime oculis obuenit, quē proprie lippitudinē appellant. Eſt autē, vt didiciſtis, inflāmatio tunicæ, vel membranæ, vel quomodocūq; appellare libet, quæ, quòd os caluariæ ambit, perioſtios & pericranios græce dicitur. Vocāt autē hanc ipſam adnatam, eò quòd alijs, quę oculum ipſum conſtituunt, tunicis extrinſecus obnaſcitur, ligamentū exiſtēs & ipſa toti oculo ad oſſa circūiacentia. ideóq; ambientes oculorum partes vſq; ad malas nōnunq̄ in vehementioribus lippitudinibus ſimul attolluntur. Conſtat igitur medicamēta, quæ tali affectui medētur, ſubijci prorſus oportere cōmuni omniū inflāmationem experiuntiū curationi. Mentem verò adhibere conuenit etiam partis naturæ, quæ ſupra omnem totius corporis cutem facillimè patitur: tum propter ſenſus promptitudinē, tum propter ſubſtantiæ raritatem. Cæterū repellentia medicamenta adhiberi debēt, quę nō exaſperēt, hoc eſt, nō validam habeāt adſtrictionē, ſed moderatiora quidē ipſa peculiari ſubſtantię: mixtura autem mitigatoriæ humiditatis, multo etiā magis eiuſmodi reddita. Mitigatorias autē humiditates dixi, oui albumē, & fœnugræci decoctū: pręterea etiā lac. Verū proſpicere cōuenit, vt hoc iuuēculę ſimul & boni ſucci mulieris exiſtat, mamillis ſupra cotem expreſſis, in qua collyrium conteritur, vt tepidum adhuc oculis infundatur. Verùm hoc in vehementer dolētibus, aut propter inflāmationis magnitudinem, aut propter humorum influentium acrimoniam, facere cogimur. Magna autem ex parte ſufficit albumen oui, cum idoneis medicamētis lippitudines curare per collyria, quę, quòd vno die liberant, monohemera dicuntur. ſic enim non raro hæc magnas inflammationes lenierunt, vt ad veſperam quidem homo balneo vteretur, ſequēti die

nardino collyrio dicto ad instaurationem corroborationémq; sublineret. At primo illitu admiscere ei pauxillum quiddã ex acribus & reprimẽtibus oportet: secũdo autẽ paulo hoc amplius, abunde enim est bis medicamẽtum applicasse, & modice ante balneũ obambulare. Quæ igitur monohemera dicuntur collyria, nõnulla sanè peculiari nomine Trygode dicta, multum habẽt acaciæ: quædã vel omnino parũ vel prorsus nihil cõtinẽtia, squamã æris assumpserũt: quædã æs cõbustum modicũ, vnà cũ alijs multis quæ mediocriter adstringũt, coquũt, & digerũnt. id genus est crocus, myrrha, lyciũ indicũ, castoreũ, & thus, sine adstrictione coquunt simul & discutiũt. In quibus igitur astringẽtia præpollent, copiosissimũ quidẽ humorẽ ipsius esse cõuenit, minimũ autẽ medicamẽti, & præsertim si habeat aliquid metallicũ medicamẽtum. In quibuscunq; autẽ crocus, myrrha, castoreũ, thus, & lyciũ superãt, multo crassiore vtẽdũ est medicamento. necnõ fotu omnino in ipsis per spongiã, modicè quidẽ dolẽtibus semel aut bis die: si vehemẽtius crucientur, præstat ter, quater, & sæpe vti, præsertim in lõgis diebus æstiuis. Aut fotus ex decocto meliloti & fœnugræci accõmodetur. Itaq; de lippitudine abundè satis disputatũ est, de vlceribus deinceps tractabo.

*De oculorum vlceribus.*

Indigẽt hæc quoq; eadẽ secundũ genus curatione, cũ alijs vlceribus, quã copiosissimè in tertio quartóq; medicatoriæ methodi libro sum psecutus. Cęterũ propter particulę naturã, medicamẽta ab omni rosione seu morsu aliena adhiberi oportet, inter quæ dixi esse quod ex põpholyge lota cõficitur. Iã vero & succi quidã ipsis miscẽtur, nõ solũ rosionis expertes omnino, sed etiã qui vehemẽtissimos lenire dolores possint: sicut mãdragorę succus. Nõnulli verò & polygoni succũ cõtẽperarunt, sicut alij ipsorũ, oui albumẽ. Cõstat autẽ omnibus talia medicamẽta, quũ ꝓpe est vt formẽtur, misceri, eo ꝙ cito acescũt. eodẽ tẽpore etiã rosarũ succus addit. Propriè verò oculorũ vlcerũ materia & ipsa huc spectat, sicut omnes norũt, vt vlcus purũ cõseruet, tanq̃ natura particularũ & repleat & cicatrice ipsum obducat, sicut in alijs vlceribus prędictũ est. Quòd si igitur inflãmatio adhuc oculũ infestet, aut etiã dolor aliquis, collyria ex thure & lotis metallicis, succísq; rosionis expertibus admouẽtur. Cũ sordida ex hoc vsu fiũt vlcera, misceri aliquid oportet abstersoriũ, quale est paccianũ, crocodes ex vino quo vtimur, admiscẽtes pauxillũ ipsius prędictis medicaminibus. Cęterũ hoc copiosissimũ crocũ habet, vnde etiã crocodes nominatur. mixta ei sunt etiã abstergẽtiũ metallicorũ nõnulla: quare asp redines quoq; tollit, nõ modo exiguas, sed & magnas, quas sycoseis appellãt: pterygia vero extenuat. De huiusmodi igitur medicamẽtis paulo posterius tractabo. At vlcera quę ex erosione tunicę cornez oboriũtur, vt nõnihil etiã mẽbranę rhagoidis ꝓcidat, ꝙ & hęc tũ propter se, tũ ꝓpter id quod ꝓcidit, repellẽtia, astringẽtiáq; desiderẽt medicamẽta, cuiuis liquere arbitror. Tentãdũ verò in ipsis est deligere, quæ nullã asperitatẽ pariũt. Contraria his remedia, quod est, digerẽtia, pustulę requirũt, necnõ pus quod intra corneã mẽbranã nõnunq̃ generatur. Itaq; recẽtia & adhuc inflãmatiõe pressa, medicamẽtis ex myrrha, thure, & croco elidũtur: vetustiora, etiã digerẽtiũ aliquid assumũt, sicut & tunicarũ inflãmatiões in scirrhũ indurascẽtes: in ijs enim etiã ex acribus liquoribus medicamẽta hęc probãtur in collyriorũ speciẽ cõformata: & facultates liquidæ, quę propriè à medicis, ab

eo ꝙ illinũtur, enchristæ appellãtur, quales & incipiẽtibus suffusionibus præparãt. In pterygio autẽ & sycosi, vt dixi, abstergẽtia medicamina applicantur, quędã collyriorũ specie figurata, quædã sicca citra formationẽ: quibus aliqui exiguũ quiddã ex medicamẽtis exedẽtibus miscuerunt. His proxima sunt quę scabiosas palpebrarũ dispositiones curãt, atq; idcirco à scabie, psorica nũcupãtur. Omniũ ipsorũ validissima sũt, & quæ veteres callos cõsumũt, & quę pterygia curãt, ex medicamẽtis tũ abstersorijs, tũ exedentibus cõposita. Ac cũ iã ego propè omnes oculorũ affectus, & medicamina generatim exposuerim, dixerímq; medicamẽta generalia rosionis expertia, qualia ex lotis metallicis cõponi docebã, satius esse videtur & aliorũ ocularium medicaminũ facultates persequi. hinc enim ad cõponendũ prõptiores fore, & ad iudicandũ iam cõposita acriores, eos qui in ipsis sunt exercitati, existimo. Cũ igitur maximè lenia sint quę superius enumeraui, itẽ tria liquida rosione careãt, quorũ aliud fœnugręci decoctum erat, aliud lac, aliud tenuis oui liquor: in horũ genere putabis esse & gũmi & tragacãthũ. & nisi prædicta tria prõptè possint & cõparari & in vsum duci, macerãtes momẽtũ gũmi, aut tragacãthi in aqua multa, similiter his, vt tribus illis vtemur. ex ipsisq; collyria supra medicinalẽ cotem conteremus, & sola horũ infusione sanies in oculis affectis creatas eluemus. Quin & nunc ipsis in omnibus propè collyrijs vtemur. nã pręterq̃ in paucis õnia vbi lęuigata fuerint excipiũtur his medicamentis, mediocriter macerata. Vnũ sanè hoc genus numeremus ocularium medicaminũ ex tribus liquidis, tragacãtho, gũmi & elotis metallicis. Alterũ deinde, quod exiguã rosionẽ obtinet, ex mistura quadam modicè astringẽtiũ, aut abstergẽtiũ, cuiusmodi medicamẽta sunt rosę & thus: quũ rosæ quidẽ exiguã habeãt adstrictionẽ, thus autẽ modicã abstergẽdi vim. Idẽ verò calidũ cũ sit mediocriter facultate, ideo quoq; cõcoquẽdi vim aliquã & doloris leniẽdi occupat. Eiusdẽ generis cõcoquẽdo, digerẽdóq; modice, crocum & myrrhã esse arbitramur. Hoc autẽ inuicẽ differũt, quòd ille quidẽ mediocriter adstringit, hæc citra astrictionẽ, nõ ignauiter humiditates & discutit & desiccat. Generosiora hæc viribus sunt thure, atq; idcirco etiam magis digerũt. Quę autẽ abstersoriã vim nõ habent, ad vlcerũ curationẽ thure inferiora sunt. huius medicaminũ generis, dico autẽ cõcoctorij & digerẽtis, etiã lyciũ est & castoreũ. Porrò cõstat omnibus, ꝙ lyciũ indicũ dicã, nõ hoc quod apud nostras gentes nascitur. Horũ facultati accedit & sarcocolla dicta, medicamẽtum cõcoquens & digerẽs. hac magis adhuc galbanũ, prędictas vires obtinet. verùm decoctũ meliloti præter vim cõcoquẽdi nõnullã quoq; astrictoriã sortitũ est, similis croco generis existẽs. Inditur autẽ in facultates oculares etiã lapis qui dicit̃ hęmatites, siccãdi humores facultate pręditus: sicut & cadmia. sed mitius est ea medicamẽtum lapis, vt qui ex humida substãtia, non terrestri, quemadmodum cadmia, originẽ habuerit. indicat enim ipsius naturã talẽ, ꝙ super cotẽ medicinalẽ in succum resoluitur, cum liquore quodã tritus, & per se citra liquorẽ si cõteratur, nõ in terrestria fragmẽta cõminuitur, vt cadmia, sed in corpus similare, & sui cõtinuũ. Respõdet ei & lapis qui schistus dicitur, facultate validior. Stimmi autẽ quod dicitur aplyton, hoc est, illotũ, validã refert vim astrictoriã: elotum vero dissoluitur, vt ferè ad naturã accedat medicamẽti rosionis expertis. Validioris potẽtię abstersorię est æs crematũ, ipsius squama & flos. nõ minus efficax, sed minus mordax est chalcitis cõbusta. Si vero etiã

hęc lauetur, absterſoria quidē adhuc permanēt, verū tāto imbecilliora fūctionibus, quāto etiam minus rodentia euadunt. Huius generis eſt & miſy, & ærugo, medicamenta validiſſima, ſi iјs quę ad ſycoſin & callū cōueniunt miſceantur. Nōnulli ipſis adiecerūt etiā gallam, medicamentū vehemēter adſtringēs: ſicut nōnulli omniū horum validiſſimū & aſtrictione & acrimonia, quod neutro genere chalcanthū dicitur, vel, vt quidā volunt, maſculino aut fœminino chalcanthos. Notū vero eſt omnibus, & vſtū & lotū multo reddi moderatius. Huius materiæ eſt & ſtomomatis ſquama. At thuris cortex aſtringit quidē & ipſe non ignauiter, verū multo prædictis omnibus inferior eſt. Quinetiā miſy dictū cū ad eaſdē diſpoſitiones, tum etiā ad ſcabioſas palpebras, quidā collyrijs miſcuerunt. Quia vero & mānæ aliqui meminerunt, videtúrque nōnullis nihil à thure læuigato differre, ſciendum venit, ꝙ propriè mannā vocāt, micas thuris ex magnis faſciculis cōcuſſu eliſas. Nā fragmēta quędā exigua corticis thuris ei inhęreſcūt, vt eiuſmodi medicamētū à thure differat, eo quod exiguū quiddā aſtrictionis aſſumpſerit. Quæ igitur adſtringētia admodum terreſtria ſubſtātia ſūt, aſpredines, ſycoſes & callos elidūt: quę verò ſuccorū genere cōprehēduntur, veluti omphaciū & hypociſtis, eluuntur facile inter vngendū, eo ꝙ effluant cū lachrymis. huius notæ eſt & glaucium & acacia. porrò cerui cornu cōbuſtū, ſicut & caprillū, citra roſionē abſtergit. Cæterū dictū à me eſt, & thus ex hoc genere eſſe: verū id, ſicut cōprehēſum eſt, minimè virtutis aſtrictoriæ particeps eſt, ad leniēdum dolorē & coquendū idoneū. Cornua prędictorū animaliū abſterſoria quidē ſunt, nullā vero vel dolorē leniēdi, vel cōcoquendi vim obtinēt, frigidis ſiccíſq; tēperaturis prædita. Iā & armeniū dictū, veluti & quod indicū nominatur, atramentū abſterſoriū quiddā habet: atq; ea propter vlceribus, quę inflāmatione carēt, citra moleſtiā adhæreſcit. Aloë mixtę eſt facultatis, veluti & roſa. habet etenim quiddā etiā amarū, abſtergere idoneum: habet & aſtrictoriū quiddam, vt cōtrahere vlcera, & cicatricē obducere poſſit.

¶ *Quæ ad ſcabioſas diſpoſitiones conueniant.*

Inter medicamina, quę ad ſcabioſas palpebrarū diſpoſitiones cōgruūt, ſales habētur āmoniaci, & lapis aſius, tū ipſe, tū ipſius flos, & quod pſoricū vocatur, nō ſimplex, neq; ſua ſpōte proueniēs, ſed cōfectionē quandā habēs, quā Dioſcorides quoq; cōſcripſit, aliíq; propè omnes, qui de materia medicinali tradiderūt. Admiſcetur his miſy cōbuſtū, ſandaracha, & quod à vetuſtis Grecis arrhenicon, ab huius ętatis hominibus arſenicū, hoc eſt auripigmētū dicitur. Ex aromaticis medicaminibus caſiā, malabathri foliū, amomū & cinnamomū, nōnulli ocularijs facultatibus iniecerūt, digerēte quidē vi cōſtās cinnamomū, alia vero etiā aſtrictione participāt. At cōmuniter de omnibus abſterſorijs medicamētis ſciendū eſt, quę mediocria ſunt, & quę ſycoſes & callos exterūt, hęc omnia etiā ad craſſas cicatrices cōuenire. quippe craſſitiē ipſarū extenuāt, & ſubſtātiæ ſuperficiē abſtergūt.

¶ *Quæ ſcirrho induratis auxilientur.*

Facultates, quę ad tunicas ſcirrho induratas cōueniunt, vt prius etiā expoſitū eſt, & ex liquoribus, & gutta ammoniaci cōponūtur: ita vt ipſis miſceātur etiā moderatiora quædā, nō autē virtuti renitentia, ſcilicet myrrha, thus, galbanū, atq; id genus alia.

¶ *Quæ ad ſuffuſos congruunt.*

Ad ſuffuſos nōnullæ à medicis facultates ex liquidis medicamentis compoſitæ ſunt: prima ferè omnium, quæ fœniculi ſucco, hyenæ felle & melle attico

constant: alij etiam caprillo felle cōficiunt. post hæc alius aliud fel miscuit, hic galli, ille viperæ, quidā marinæ testudinis, quidam piscis callionymi. nunc autē celebre est medicamentum, quod scari felle præparatur, queādmodū & quod ex myrrha stillatitia. Hæc igitur omnia magna quidem promittunt, opus autem eorum interim quidem nullum, interim valde exiguum apparet.

*De medicamentis siccis ad oculos vtilibus.*

Ex superiori materia medici arida cōposuerunt remedia, quæ ab ipsis peculiariter xerocollyria appellantur: quædā sanè callos, sycoses, encanthidas, & vngues abolēt: quędā scabiosis palpebris cōueniunt, & milphos, hoc est palpebræ pilorū defluuia adiuuant, ab acribus collyrijs diuersam vim obtinētia. quocirca etiā à nōnullis medicis vocātur, ꝙ lachrymas repellāt, apodacrytica, & repercutiētia, sicut & ipsa collyria. At horum ipsorū plurima etiā hebetudine visus laborātibus senij vitio, aut humorum oculi crassitie, aut frigiditatis, aut etiam caliginosi spiritus superflui, nō mediocriter opitulātur. Nōnulla verò ex siccis medicamētis affectū in ipsis radices agere prohibēt, dū humorū scilicet abigūt influxus, ex quibus oculi malè solent affici. Præstātissimū autē eorū apparuit experiētia probatū, quod ego cōposui, & pręterea apud multos in vsu est, in omnibus fere nationibus quibus Romani imperāt, ac primum ipsius confectioné tradam, melius esse existimās neutiꝗ affectibus corripi, ꝗ generatis probè mederi. Quia verò Asclepiades plurimā, optimámq; siccorū & humidorū, collyriorúmq; materiā conscripsit, auspicatus primū à siccis, mihi quoq; visum est ita facere simili scripturæ ordine vso, vt postꝗ meum siccū ascripsero, deinde omnia ab Asclepiade in primo libro exteriorū, quē Marcellas inscribit, enarrata enumerabo. Ac post hęc quū Asclepiades cataplasmata oculis idonea, agglutinamēta, & quędā quę illini possūt medicamina cōmemorauerit, satius esse mihi videtur illorum quoq; scripturę ordine seruato, ita ad collyriorum liquidorúmq; medicaminum seriem peruenire, omnia apponēdo, vt Asclepiades interpretatus est, ipsiusmet verbis.

*Medicamentum à me ad oculorum sanitatē compositum, siccum.*

Vtilissimum sanis oculis, quò ab iniurijs vindicentur, ego composui medicamentū, quod iam omnes Romæ habent. Vritur enim lapis phrygius in minuta cōfractus, vt maior sit nuce auellana, quā Græci caryon poticā, alij leptocaryon appellant, hoc pactoquo etiā alia cōburo. In ollā recentē inijcio, deinde extrinsecus lutū circūlino, imponóq; operculū perforatum, vel in solo vertice, vel, quod melius est, etiā in alijs partibus pluribus, vt fuliginosi fumosíq; eorū quæ vruntur effluxus facile per ea efferātur. vbi iā lapis totus ignitus euaserit, tunc oportet ex olla in vas quoddā purū traducto, butyrū superfundere non vetus, agitādo lapidis cōbusti particulas: idq; faciédū est, vsq; dū omnia restinguātur, atq; tūc cessandum. ac sic rursus in ollā conijciētes ipsas vrere, iterum olla carbonibus perustis imposita, vt nihil fumidū habeāt. euentilare autē hos oportet, quò citius cōbustio absoluatur. Simul atq; lapides euaserint igniti, & nō āplius vlla fuligo emergit, effūdētes rursus ipsos restinguere oportet vino falerno, aut quodā rubido odoróq;, quale Tmolites, Ariusiū, Lesbiū'q;: deinde rursus in ollulā coijcientes tertio vrere: ac vbi ignitus lapis euaserit, iterū melle attico nō copioso restinguere. fiet enim nō aridū medicamentū, sed viscosi

cuiusdam particeps. Sint autem pluribus antè diebus ad amussim lęuigata, quę inferius scribam, vt in pollinem redigantur. Aeris cōbusti vncia vna, quod est drachmę octo, piperis albi tantūdē, folij malabathri tātundē, stimmeos sesquialterum, quod est drachmæ duodecim. his lapidis cremati libram vnam misceto, ac vbi omnia pulchre lęuigata fuerint, & medicamentum excepturus sis, syriaci opobalsami sesquiunciam adiungito, quod est ipsorum totum drachmę duodecim. sit opobalsamum tenue & perspicuum substantia, non crassum, quemadmodum consueuit in vasis ad fundum effici. prohibebit enim quod sic crassum est, siccum fieri medicamentum. Cæterum vtendum eo est palpebris solis inducendo scalpellum, ita vt ipsæ tunicæ oculi nō attingātur. Magna igitur ex parte sufficit solis inferioribus palpebris specillū inducere: nihil autē vetat etiam superiores similiter oblinere, cum maior vsus medicamenti fuerit, hoc est cum iam oculus manifesto perturbationē quādam experitur, nō tamen differēdum est hoc facere, verum simul atq; affectum perceperit, quolibet diei tempore vtendum: etiam si iam biberit aliquis & cibum assumpserit. ac sæpe vtendum est medicamento, cura adhibita, vt sæpe dixi, ne tunicæ attingātur. Cæterum, qui sublinitur, eum apertas præbere palpebras oportet, ac vbi subunctus fuerit, non conniuere ipsis. Hoc sanè ego composui medicamentū, nō permittens lippitudinem oboriri, si rectè eo vtaris. deinceps enumerabo, quæ ad dispositiones conueniant, ab ijs, quæ Asclepiades tradidit, exorsus.

*Quæ Asclepiades tradidit sicca ad oculos.*

In primo exteriorum, quæ Marcellas inscribit, ad verbum hęc habētur. Siccū ex Heraclidis psoricis, ad erosos angulos. Spodij cyprij drachmæ quatuor, omphacij sicci drachmæ duæ, nardi oboli tres, piperis fricti grana quindecim. læuibus vtitor. Psoricum Aelij. Cadmiæ drachmæ quatuor, æris vsti drachmæ duæ. terito ex aceto in sole: siccata dissolutáq; excipiens vtitor. *Aliud.* Cadmiæ, æris vsti, nardi indici, singulorum drachma vna, piperis fricti oboli duo. læuibus vtitor, vt efficaci medicamento. *Aliud.* Chalcitidis partes duæ, cadmiæ pars vna. contusa cribratáq; terito in sole, vini adijciens quod sufficit. deinde siccata, dissolutáq; excipiens vtitor. Ex scriptis Philoxeni siccū Acharion. Cadmiæ drachmæ duæ, chalcitidis drachmæ octo, aloës oboli duo, æruginis totidem, piperis grana decem, rosarum floris drachma vna. læuibus vtitor.

*Eiusdem ad aridam lippitudinem, ficum, putredinem, & carnis excrescētiam.*

Cadmiæ drachmæ decem, chalcitidis drachmæ octo, piperis grana quindecim, nardi gallici drachma vna. cadmiam & chalcitidem ex vino terito, & cū siccata fuerint, nardum & piper adijcito, ac in pollinem redactis vtitor. *Aliud.* Cadmię drachmę viginti, chalcitidis drachmę quadraginta, nardi indici drachmę duę, myrrhæ torrefactæ tantundem, piperis grana triginta quinq;. præparantur ex aceto acerrimo.

*Capitonis ad aridam lippitudinem, humentes oculos, erosos angulos, & palpebras etiam fico obnoxias.*

Cadmiam cypriam comminuimus, vt farinæ habeat magnitudinem, deinde attico melle conspersam in vas fictile conijcimus: huius ore obstricto, & argilla circumlito, foramen per oris medium facimus, vt quod torretur, perspiratum habeat: ipsum autem vas rectum inter carbones collocatū suburimus.

vbi ignitum euaſerit, animum aduertimus vaporibus, qui per foramen efferũtur. & ſi nigriores erumpant, adhuc vrimus: vbi autẽ albiores, ſatis toſtum eſſe arbitrati, vas tollimus, & tegmine ablato cadmiam vino italico extinguimus, in pilámq; demiſſam terimus, ſiccatámq; ad medicamenti confectionẽ reponimus. habet autem hoc modo, Cadmiæ, æris vſti, ſtimmi, ſingulorũ drachmæ octo. contritis exceptíſque vtitor, nucleo ſpecilli palpebras inuertens mane & veſperi. *Aliud*. Cadmiæ vſtæ, vt prędictum eſt, drachmæ octo, æris cremati totidem, ſtimmios drachmæ quatuor, armenij drachmæ duæ. tritis exceptíſque vtitor. nos cadmiam & reliqua adipe viperino conſperſa torrefecimus, deinde vino reſtinctis læuigatíſque vſi ſumus.

*Medicamẽtũ ex lapide hæmatite Capitonis ocularii, ad palpebras ſcabioſas accõmodatũ.*

Cadmiæ cypriæ drachmæ vigintiquatuor, lapidis hæmatitis drachmæ ſex (in alio legitur ſedecim) æris cremati drachmæ vigintiquatuor. arida cõtundũtur, vt farinæ habeant magnitudinem, & melle conſperguntur, torrẽtúrq; vt prædictum eſt, & vino reſtinguntur. ſiccata læuigantur. vſus indicatus eſt. *Aliud*. Cadmiæ drachmæ viginti, æris vſti drachmæ decem, lapidis hæmatitis totidem, floccorum purpuræ laconicæ drachmæ octo. melle conſperſa vſtáq; in prędictum modum componito.

*Soſandri ad palpebræ pilorum defluuia, & diſpoſitiones inueteratas: facit etiam ad encanthidas.*

Cadmiæ, ſtimmios, chalcitidis crudę, miſyos xenici, ſingulorum drachmæ octo. cõtuſa & melle cõſperſa torrẽtur, vt indicatũ eſt: deinde vino macerata lęuigatáq; & ſiccata in vſum cõdũtur. *Aliud*. Chalcitidis crudę, cadmię, ſtimmios, miſyos xenici, ſingulorũ drachmę octo, nardi indici drachmę duæ, croci torrefacti tantundẽ, piperis drachma vna. metallica melle cõſperguntur, vrũtúrq; modo prędicto, deinde vino extinguũtur, lęuigantúrq; his ſuperinijcitur nardinũ, crocinũ'q;, & torrefactũ piper, deinde vnà lęuigatis exceptíſq; vtemur.

*Medicamentum, quod pulchras palpebras efficiat, calliblepharon à Græcis dicitur: facit etiam ad inueteratas lippitudines.*

Stimmios vſti & vino reſtincti drachmæ ſedecim, plũbi cremati lotíq; drachmę octo, fuliginis thuris, ſpicę nardi, myrrhæ torrefactæ, croci, ſquamę ęris, ſingulorũ drachma vna. omnibus lęuigatis exceptíſq; vtitor. *Aliud* diacrocu, id eſt ex croco. Croci, glaucij, ſarcocollę, ſingulorũ vnciã vnam. ego etiã opij vnciam adijciebã. *Aliud Seuerianum*. Cadmiæ vſtæ lotæ'q; drachmæ duæ, ſalis ammoniaci, piperis albi, ſingulorũ vnciæ duæ, folij drachmę duæ. lęuigatis diligẽter vtitor. *Aliud* admodũ vtile infantibus. Stimmios drachmæ ſedecim, plumbi drachmę octo, ſquamæ, croci, roſarũ floris, myrrhæ, nardi indicæ, thuris maſculi, piperis albi, ſingulorũ drachma vna, palmularũ oſſa decem. omnia in vas fictile coniecta, ſtudioſe torreto, deinde in pilã tranſfuſis tritíſq; opobalſami cochlearia duo adijciuntur, deinde iterum contuſis, ſiccatíſq; vtitor.

*Siccũ Philoxeni, ad pruriginoſos oculorũ angulos, eroſóſq;: facit etiã ad lippitudinẽ.*

Cadmię drachmę quatuor, ſalis ammoniaci drachmæ duę, piperis albi drachma vna. læuibus vtitor. hæc ita præparans. * Cadmiæ drachmæ octo, croci drachmæ duæ, piperis albi drachma vna, ſalis ammoniaci drachmæ duæ, nardi indicæ drachma vna.

* Aliud videtur deeſſe.

¶ *Hygra, hoc est liquida, ocularia ad ficosas excrescentias, omnísque carnis excessum. facit etiam ad angulorum fistulas, quæ dicuntur encanthides: item ad lippitudines incipientes, quo vsus est Philippus in Cæsaria.*

Misyos tosti drachmæ octo, myrrhæ drachmæ quatuor, cadmiæ drachmæ octo, croci drachmæ duæ, salis ammoniaci drachmæ duæ, nardi indicæ, piperis albi, singulorũ drachma vna, mellis attici cyathus vnus. *Aliud.* Misyos tosti drachmæ sex, chalcanthi drachmæ quatuor, myrrhæ totidem, æris vsti drachma vna, mellis attici cyathi decem.

¶ *Panchrysos, hoc est omnino aurea, Erasistrati ad aspretudinem omnémque lippitudinem, aures purulentas, vlcera quæ ægrè ad cicatricem veniunt, & oris nomas.*

Aeris vsti drachmę duæ, myrrhæ drachma vna, piperis oboli duo, misyos tosti drachma vna, croci oboli tres, vini chij hemina vna, passi cretici heminę dimidium. sicca teruntur vino adiecto, & vbi combiberint, passum additur, rursúsque tusa in vas æreum transfunduntur, coquuntúrque igne lento, deinde ærea pyxide reponuntur.

¶ *Ad callos & omne tuberculum.*

Aeris vsti drachmæ duæ, misyos combusti drachma vna, myrrhæ drachma vna, croci drachma vna, omphacij drachma vna, vini chij cyathi duo, mellis attici selibra. vtitor.

¶ *Philoxeni Hygra, ab acuendo visu oxydercice dicitur, cicatrices & callos exterit.*

Guttæ ammoniaci drachmę quatuor, ęruginis drachmæ duæ. vino soluta cõtritáq; melle attico excipito. *Aliud.* Guttę ammoniaci drachmæ duodecim, ęruginis drachmæ sex, myrrhæ drachmæ duæ. cõponito, vt prædictum est. *Aliud* Phædri Rhinion. Ammoniaci thymiamatis drachmæ quatuor, æruginis drachma vna, alcyonij torrefacti drachma vna, lapidis asij floris oboli tres. cõponito ac vtitor in modũ prędictũ. *Aliud.* Ammoniaci thymiamatis drachmę octo, ęruginis tantũdẽ, lapidis asij floris drachmæ duæ, alcyonij drachma vna, oboli duo, opij sesquidrachma, myrrhæ tantundẽ. cõponito & vtitor modo predicto.

¶ *Aegyptii, ad callos & albugines, aufert etiam cutem protinus.*

Aeruginis corinthiæ drachmæ sex, ammoniaci thymiamatis drachmæ sex, oboli quatuor, salis fossitij drachmę quatuor, cucurbitę syluestris medullæ drachmę quatuor, taurini fellis drachmæ duę, nitri nigri sesquidrachma, piperis albi grana quadraginta, mellis attici cyathi sex. componito vt expositum est, & excipiens pyxide buxea vtitor. *Alia Aegyptia, ad callos, albugines & inueterata vitia.* Aeruginis drachmę sex, guttæ ammoniaci drachmæ sex, cucurbitæ syluestris medullæ drachmæ tres, fellis taurini drachmæ duæ, nitri partes duæ. melle attico excipito, & vtitor.

¶ *Ad visus acumen, Antonii Musæ; valet etiam ad glaucomata.*

Perdicis syluestris fellis pars vna (in alio habetur, perdicij herbę succi: nonnulli centaureæ succi partes tres ponunt) mellis attici æquales partes. *Aliud.* Galli veteris fellis pars vna, centaureę succi tantundẽ, mellis attici partes tres. facit ad glaucomata.

¶ *Ad acuendum visum, Largi.*

Fœniculi radicis succi pars vna, mellis tãtundẽ. excipito pyxide ęrea, & vtitor. *Aliud.* Fœniculi succi pars vna, chelidonię succi tantundẽ, mellis attici tantũdẽ.

*Aelii Galli ad suffusiones.*

Testudinis marinę fellis drachmæ octo, mellis attici tantundẽ, taurini fellis drachmæ duæ, croci drachmæ duæ, opobalsami drachmæ duæ. cõtusis vtitor.

*Cassii ad suffusiones.*

Fel taurinum in pyxidem æream transfusum diebus decem finito, deinde excipiens drachmas duas myrrhæ, croci duas, opopanacis duas, opobalsami duas, piperis grana duodecim, mellis attici duplicatam portionem, felli omnia mixta coquito vase æreo, repono itóque pyxide ærea, & vtitor.

*Hygra Basilis, hoc est regia. hanc vocamus analepticen, id est instauratoriam.*

Omphacij, myrrhę, aquilini fellis, opobalsami, oleę lachrymæ, singulorum drachmæ duæ, guttæ ammoniaci drachma vna, fellis hyænæ drachmæ duæ. melle excipiuntur.

*Antonii Musæ.*

Fellis hyęnæ drachma vna, fellis vrsi drachmæ duodecim, opobalsami drachmæ duæ, salis fossitij drachma vna, croci drachma vna, myrrhæ tãtundem, mellis attici cyathi duo, fœniculi succi cyathi duo.

*Aliud Philoxeni.*

Fellis hyęnę sesquidrachma, adipis viperini sesquidrachma, croci drachma vna, omphacij drachma vna, myrrhæ semidrachma; opobalsami drachma vna, mellis attici drachmæ octo.

*Quomodo tingantur albugines.*

Gallam læuem sepositam habeto: cum vsus exigit, nucleo specilli calefacto attingens, deinde chalcantho aqua soluto attingito. *Aliud.* Malicorio læui attinge, deinde chalcantho aqua soluto. *Aliud.* Misyos, chalcanthi, gallarum immaturarum, vniuscuiusque partem æqualem contusam cribratámque reponito: cũ vsus poscit, sicco attingito. *Aliud.* Aluminis scissi, malicorij, mellis, acaciæ fructus, singulorum paria pondera: contusis oculos attingito.

*Ad glaucos oculos, vt pupillas habeant nigras.*

Malicorij dulcis succum infundito, deinde per interualla instillato. *Aliud.* Alterci florem cum vino terito. *Aliud.* Alterci succum apponito. Oportet autem hæc conuenienti tempore colligere, & reponere. *Aliud.* Acaciæ fructum, & gallæ momentum tritum, diligenter succo anemonæ excipito, vt mellis habeat spissitudinem: deinde expressum per panniculum diligenter, vt liquidum reponito, ac vtitor, quemadmodum prædixi.

*Ad palpebrarum pilos oculum irritantes, trichiasin appellant,*

*Antonii Musæ.*

Motacillæ auis fel, & aconiti dimidium mixta reponito: cum vsus est, pilis euulsis locum medicamentis illinito. *Aliud.* Piscis phagri fel, & aconiti dimidiam partem in squama ferri eloti, adipe mergito, atque his amygdalini olei momentum adijcito, & nycticoracis sanguinis quãtum sufficit: deinde mixtis exceptísque vt exposui, vtitor.

*Pilorum glutinantia medicamenta Heraclidis Tarentini.*

Ceræ, picis, lithocollę, singulorum drachma vna: simul liquefacta reponito: cum vsus poscit, specilli mucronem ignitũ attingito medicamine, & id quod

dissoluitur capiens pilos agglutinato. *Aliud.* Resinæ siccæ drachma vna, picis aridę drachma vna, sulphuris viui drachma vna, bituminis drachma vna, ceræ drachmę duę, liquefactis vtitor.

*Ad tuberculum palpebrarum, quod ab ordeo crithe dicitur, quod etiam postbian appellant, Antonii Musæ.*

Galbani pars vna, nitri exiguum, mixta imponito. Itē misyos crudi exiguū, mixtū imponito. Benefaciunt etiam fici siccæ mulso incoctæ leuigatæq; cum galbani momento. Valet & farina ordeacea in mulso cocta, tritaque cum galbani læuis exiguo.

*Dionysii Milesii ad trichiasin.*

Leporis marini cremati in olla recenti cinerem tritum, muscæ caninæ sanguine excipito, ac pyxide cornea repositis vtitor, pilis prius euulsis. *Aliud.* Salamandrę vstæ cinerem erinaceorum terrestrium felle excipito, ac vtitor in modum superius comprehensum. nonnulli verò vsi sunt castoreo melli mixto: aut castoreo & hirudinis vstæ cinere: aut cicutæ semine trito, & sanguine muscæ excepto, pilis prius euulsis illeuerunt.

*Ad crithas & chalazia.*

Sagapeno cum aceto trito vtitor. *Aliud ad ægylopas.* Elecebræ succi, solani succi, singulorū selibra, thuris drachmæ octo, mastiches vncię tres, galbani selibra. succi cum thure coquuntur, & cum dissoluta fuerint, galbanum aspergito. Nā mastichen abijcimus. *Aliud.* Thuris drachmæ octo, ladani drachmæ quatuor, aluminis scissi drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ octo, ceræ drachmę quatuor, aphronitri drachmę quatuor, picis corticis drachmæ quatuor. medicamentum contunditur, & irini vnguenti fæce emollitur.

*Quæ ad oculos eodem libro primo exteriorum Asclepiades scripserit cataplasmata, glutinamenta, & illitus.*

Cataplasmata lippientiū ad vehementes dolores, & maximos humorum cursus, quos epiphoras dicunt, vsus est his Heraclides Tarentinus. Rosarum viridium, aut siccarum drachmæ quatuor, croci drachma vna, opij drachma vna. excipiuntur meliloti decocto in passo. *Aliud.* Rosarum albarum, meliloti, capitum papaueris, singulorum drachmæ duæ, croci, opij, myrrhæ, singulæ drachmæ: oui tosti luteo trito passóque excepto vtitor vt ostensum est.

*Illitus ad vehementes dolores, quibus vsus est Glaucus.*

Aloës, lycij indici, rosarū viridiū, croci, opij, myrrhæ, singulorū pares modos. vino conspergens pastillos fingito, siccatoque in vmbra. cum vsus exigit, passo dissolutis oculos illinito, frontem & tempora.

*Philoxeni ad fluxionem copiosam, & dolores vehementes.*

Rosarum tenerarum foliorū drachmæ duæ, alterci seminis drachmæ octo, thuris drachmæ tres, myrrhæ drachmæ quatuor, farinæ polentæ acetabulū, oui tosti vnius luteum, mandragoræ succi drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ, opij drachmæ quatuor, vini austeri quantum sufficit. formato ac vtitor in modum prædictum.

*Anthera quæ illini possit.*

Croci drachmæ quatuor, thuris drachmæ duæ, cinnabaris drachmæ quatuor, gummi drachmæ duæ, vino excipiuntur. cum vsus exigit, tritis, & solidis

effectis momentum mellis adijcito.

*Aliud, quod Lychnium inſcribitur.*

Croci drachma vna, thuris, opij, gummi, cinnabaris, ſingulorum drachmæ duæ. aqua pluuiali excipiuntur. In alijs habetur, croci roſam ſpirantis drachmæ quatuor, cinnabaris drachmę duæ, myrrhæ, opij, ſingulorum drachmæ duę. aqua pluuiali excipiuntur.

*Quæ illinuntur mordacia, protinus fluxionem ſiſtunt, necnon ad ſcabioſam lippitudinem valent.*

Aeris vſti drachmæ quatuor, croci tantundem, piperis albi drachmę duæ, opij totidem, gummi drachmę quatuor. Aqua pluuiali extrinſecus illitum, maximas humoris eruptiones reprimit. Cauendum autem eſt, ne medicamentum incidat.

*Aliud, quod Phloginon appellatur.*

Aeris vſti lotíque drachmę duodecim, croci drachmę ſex, piperis albi drachmę quatuor, myrrhę drachmę tres, opij drachmę tres, gummi drachmæ duodecim. vino amineo excipiuntur.

*Agglutinamenta, quæ fluxiones cohibent.*

Pollinis farinę, myrrhę, mannę thuris, ſingulorum pars vna. excipiuntur oui albumine: deinde illita in linteolum tẽporibus & fronti imponũtur. *Aliud.* Alterci ſeminis drachmę duę, opij drachma vna, croci tantundem, pollinis farinę drachmę quatuor, ouorum toſtorũ lutea duo, caſtorei drachma vna. omnia macerata excipito & vtitor.

*Ad defluxionis impetum, quæ epiphora dicitur, vehemẽtémque dolorem, & largum fluorem, quo vſus eſt celebris Moſchio.*

Glaucij drachmę ſedecim, ſarcocollę drachmę octo, croci drachmę quatuor, gummi drachmę duę, tragacanthi drachmę duę, mãdragorę ſucci drachmę duę, opij drachma vna. aqua pluuiali excipito & vtitor ex ouo.

*Heronis ocularii Pſytaces, ad vehementem dolorem, largam fluxionem: ſtatim ſomnum conciliat.*

Glaucij drachmę ſedecim, croci drachmę octo, ſarcocollę drachmę octo, opij drachmę quatuor, mãdragorę ſucci drachmę duę, tragacanthi drachmę octo. aqua pluuiali excipiuntur.

*Ad commemoratas diſpoſitiones, Neapolitæ.*

Glaucij drachmæ quadragintaocto, ſarcocollæ drachmę vigintiquatuor, croci tantundem, lapidis hęmatitis drachmę duodecim, opij drachmę nouemdecim, mandragorę ſucci drachmę octo, gummi drachmę ſedecim, tragacãthi drachmę duodecim. aqua pluuialis ſuperfunditur.

*Sergii ocularii Babylonii.*

Glaucij drachmę vigintiquatuor, ſarcocollę drachmę ſedecim, croci drachmę duodecim, opij drachmæ quatuor, lapidis hæmatitis drachmę ſex, gũmi drachmę duodecim. aqua pluuialis additur: illinito vſque ad vnum alterúmve diẽ. ꝙ ſi diſpoſitio non ſoluatur, ad ſubſequentes illitus deſcẽdimus.

*Aliud diaſmyrnon, Claudiacum inſcriptum.*

Glaucij, ſarcocollæ, ſingulorum drachmæ quadragintaocto, croci drachmę vigintiquatuor, opij, myrrhæ, lapidis hęmatitis, ſingulorum drachmę

sex, tragacanthi drachmę quadragintaocto. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Diasmyrnon ex hæmatite.*

Glaucij drachmæ sexagintaquatuor, sarcocollæ drachmæ trigintaduæ, croci drachmæ duodecim, opij drachmæ octo, myrrhæ drachmę sex, hematitis drachmę sedecim, tragacanthi drachmę quadragintaocto, gummi drachmæ sedecim (in alio gūmi drachmæ quadragintaocto) aqua pluuiali subiguntur. vsus est ex ouo.

*Phosphoros, hoc est lucifer, ad magnum dolorem, omnémque inflammationem, & intensum defluxionis impetum.*

Glaucij drachmæ vigintiquatuor, sarcocollæ drachmæ octo, croci, opij, myrrhæ, misyos vsti, singulorum drachmæ octo, gummi drachmę nouemdecim. aqua pluuiali subiguntur. vsus est ex ouo.

*Euchroon, hoc est boni coloris, vehemēter etiā in operibus admirabile.*

Glaucij drachmæ viginti, sarcocollæ, croci, myrrhæ, opij, misyos vsti, singulorum drachmæ septem, gummi drachmæ duodecim. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Dolorem auferens diachylon, id est ex succis, ad omnem grauem dolorem. somnum protinus conciliat.*

Glaucij drachmæ quadragintaocto, sarcocollæ, tragacanthi, singulorum drachmæ sedecim, croci drachmæ octo, opij drachmæ quatuor, rosarum succi, lycij indici, alterci, singulorum drachmæ quatuor, mandragorę succi tantundem, gummi drachmæ octo. excipiuntur meliloti decocto. componuntur autem in hunc modum. Excepta meliloti libra, & aquę pluuialis heminis duodecim, coquuntur ad tertias. dissoluto liquore, ad medicamenti confectionem vteris. *Aliud.* Glaucij drachmæ quadragintaocto, sarcocollæ drachmæ vigintiquatuor, croci tantundem, opij, lycij indici, alterci succi, cicutę succi, singulorum drachmæ duodecim, rosarum viridium sine vnguibus drachmæ quadragintaocto, gummi totidem. excipito aqua pluuiali. vsus est ex ouo.

*Medicamentum quod Phæon inscribitur, ad magnos oculorum dolores accommodatum.*

Cadmiæ drachmæ duodecim vel sedecim, æris vsti drachmæ sex, myrrhæ drachmæ tres, opij tantundem, acaciæ drachmæ septem. aqua pluuiali consperguntur, vt ostensum est.

*Aliud Phæon ad omnem fluxionem omnémque lippitudinem. in alio Pædicon.*

Aeris vsti drachmæ duodecim, cadmiæ drachmæ trigintaduæ, gummi drachmę trigintaduæ, acacię tantundem, myrrhę drachmę quatuor, opij totidem. aqua pluuiali subiguntur.

*Aliud ex scriptis Philoxeni.*

Spodij cyprij drachmę duodecim, ęris vsti drachmę tres, opij, myrrhę, singulorum drachmę tres. acacię, gummi, singulorū drachmę septem. aqua pluuialis additur. vsus ex ouo est, vt indicaui.

*Berycion inscriptum, quo vsus est Berycius, ad maximos defluxionis impetus. iuuat statim.*

Aeris vsti elotíque, acacię, cineris pompholygis, opij, gummi, singulorum

drachmæ ſedecim, croci drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ duæ. aqua pluuialis affunditur. vſus eſt ex ouo. verum continuè infundere oportet.

*Aliud ad eoſdem affectus.*

Cineris pompholygis drachmæ ſedecim, opij drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ duodecim, gummi drachmæ ſedecim, æris vſti & eloti tantundem. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt vt indicaui.

*Acharíſton inſcriptum ad maximos influxionis impetus. Hoc ſolo in Aegypto medici vtentes bene degunt, præſertim in agreſtioribus.*

Cadmię drachmæ ſedecim, acaciæ drachmę octo, æris combuſti elotíq; tãtundem, opij drachmæ quatuor, ericæ ſeminis drachmæ quatuor, myrrhæ drachmę quatuor, gũmi drachmę ſedecim. aqua excipiuntur. vſus eſt ex lacte muliebri tẽperatura media. vbi autẽ circa oculos diſpoſitio affligit, collyrio abſtinendũ eſt. Quo ego ipſe vſus ſum, id in hũc modũ habet. Cadmiæ drachmæ ſedecim, ericæ fructus drachmæ duæ, æris combuſti drachmæ quatuor, opij drachmę duæ, myrrhę drachma vna, acaciæ drachmæ ſex, gũmi drachmę octo. aqua excipiũtur, vſus indicatus eſt. *Aliud.* Cadmiæ drachmæ ſex, ericæ ſeminis drachmę quatuor, opij drachmæ ſex, æris cõbuſti & eloti drachmæ quatuor, gummi drachmæ viginti. præparato & vtitor vt prædictum eſt.

*Nectarium Marci, facit ad lippitudines incipientes, valet etiam ad impetus fluoris tenuis, chemoſin, œdæmata, membranarum excreſcentias. confert ad omnem ferè lippitudinem, & palpebras craſſas.*

Oportet autem ante omnia fouere, deinde infundere: initio quidem fluxionis, ex oui aquato: procedente autem curatione, paulatim miſturam intendere: Ad ſcabras palpebras, vtimur ex aqua collyrio. apud alios vocatur ſphragis. Aeris combuſti & eloti drachmæ quatuor, cadmiæ drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ, opij totidem, gummi drachmæ ſex. aqua excipito, ac vtitor vt oſtenſum eſt.

*Sergii ocularii, quod vno die liberet affectũ, monohemeron inſcribitur.* monohemeron

Cadmiæ vſtæ & elotæ, cineris pompholygis elotæ, æris combuſti elotíque, ſingulorum drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ, acaciæ drachmæ ſex, gũmi tantundem. aqua pluuiali excipiũtur. vſus eſt ex ouo. miſtura aquata. poſt lachrymas expreſſas, infundere oportet oui albumen, & rurſus ſublinere. Si roſio oboriatur, fouere cõuenit, & rurſus infundere, oui alborem: poſt hæc collyrio quod nigrum inſcribitur, oblinito.

*Neapolitæ ſphragis.*

Cadmiæ, æris combuſti elotíque, acaciæ, ſingulorum drachmæ octo, ſpodij cyprij, croci, opij, ſingulorũ drachmæ quatuor, gummi drachmæ duodecim. aqua excipito. vſus oſtenſus eſt.

*Paxii ſphragis.*

Cadmiæ cõbuſtæ & reſtinctę lacte caprillo aut muliebri, lotę́q; & in vmbra ſiccatæ, æris combuſti & eloti, acaciæ, ſingulorum drachmæ decem, opij drachmæ ſex, croci tantundem, gummi drachmæ quindecim. aqua pluuiali excipiuntur. Zoili ſphragis, reſpondet Paxij.

*Philoti, Aphroditarium inſcriptum.*

Cadmiæ elotæ drachmæ vigintiquatuor, acaciæ drachmæ trigintaſex, æris

combusti & eloti drachmæ duodecim, croci drachmæ duodecim, opij drachmę duodecim, spodij cyprij eloti tātundem, gummi drachmę quadraginta octo. excipiuntur aqua pluuiali. vtitor ex ouo, continuè infundens. Post curationē vero lauari adhortator. hoc frequēter vsus sum in maximis epiphoris.

¶ *Aliud Neapolitæ. facit etiam ad maximos fluxionis impetus, & præsertim in iis, qui ægrè exiccari possunt, & per inflammationes subalbidos angulos habent, vt affectus similis chemosi appareat. Hoc nos vsi sumus post illitus, lauari adhortantes.*

Lapidis schisti drachmę octo, thuris drachmę septem, ęris vsti & eloti drachmę octo, opij tantundem, myrrhę drachmę quatuor, gūmi drachmæ octo. vino excipiuntur. vsus ex ouo. temperatura est aquata. sępe autem vbi infuderis, etiam per interualla ab illitu lauari adhortare.

¶ *Phæon Olympianici inscriptum, valet ad maximos dolores, itē ad chemosim: & summatim optimum est collyrium. statim enim liberat.*

Cadmię combustę & elotę, acacię, stimmi vsti lotíque, aloës indicę, singulorum drachmę octo, myrrhę drachmę quatuor, opij tantundem, gummi drachmę octo. aqua excipito. vsus est ex ouo. mistura crassior. ego autem adieci pompholygis & thuris, vtriusque drachmas quatuor.

¶ *Aliud Sozymi, quod εὐώδης, à grato odore inscribitur: valet ad vehementes dolores, & recentes dispositiones.*

Cadmię combustę lotę'que vino italico, hoc est extinctę, aloës, stimmi, singulorum drachmę octo, ęris combusti lotíque drachmę octo, aut duę, croci drachmę duę, myrrhę drachma vna, nardi indici drachma vna, opij drachma vna, acacię drachmę nouemdecim, gummi drachmæ duodecim. aqua pluuiali excipiuntur.

¶ *Hermii ocularii lotium, ad maximos dolores, αὐθήμερον, hoc est quod eodem die quo adhibetur, affectum soluit, præstantissimum. valet etiam ad lippitudines inueteratas.*

Lotio, sive Ablutio

Aloës drachmę octo, æris vsti elotíq; drachmę sedecim, opij totidem, myrrhæ drachmę duodecim, croci drachmę octo, cadmię drachmæ quatuor, thuris drachmę tres, gummi drachmæ sedecim. vino mendesio excipiuntur. vsus ex ouo est. temperatura aquosa. Oportet autem per interualla trium quatuórve horarum infundentes sinere, donec subsidat, & nonnunquam vt lauent, adhortari.

¶ *Theodotium phlacianum* Harpocration *inscriptum, ad maximos defluxionis impetus & dolores. liberat citra sanguinis missionem.*

Acaciæ succi drachmę vigintiquatuor, cadmiæ drachmæ octo, æris vsti lotíque drachmæ octo, stimmios drachmæ sedecim, aloës drachmæ quatuor, croci drachmæ tres, myrrhæ tantundem, lycij indici drachmæ duæ, opij tantūdem, castorei drachma vna, gummi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuiali subiguntur. vsus est ex ouo. temperatura crassior. collyrium autem in laxo tumore, œdemate, palpebris inducitur.

¶ *Scylation, eodem die liberans medicamentum probatum, protinus inflammationes discutit.*

Stimmi drachmæ quadraginta, acaciæ tantundem, cadmię drachmę sede-

cim,æris combuſti lotíque drachmæ quatuordecim, ceruſæ drachmæ quatuordecim,myrrhæ drachmę quatuor,nardi indicę drachmę quatuor,croci drachmæ duæ,lycij indici drachmæ quatuor,caſtorei,aloës,opij,chalcitidis toſti, gummi,ſingulorum drachmæ duæ.excipiuntur roſarum decocto.vſus eſt ex ouo.miſtura craſſior.

*Neapolitæ Phanion ad maximos defluxionis impetus,item ad dolores vehementes valet, & ad diſpoſitiones.*

Cadmiæ elotæ drachmæ octo,acaciæ tãtundem,æris combuſti & eloti drachmæ ſex,ſtimmios eloti drachmæ viginti,ceruſæ drachmæ ſex,myrrhæ drachmæ duæ,aloës tantundẽ,nardi gallicæ ſeſquidrachma,opij ſeſquidrachma, croci drachma, caſtorei drachmæ dimidium, gummi drachmæ viginti: aqua pluuiali excipito, & vtitor inungens.

*Aliud Phanion Sarapiacon inſcriptum.*

Acaciæ drachmæ quadraginta,ſtimmi tantundem,cadmiæ drachmæ ſedecim,æris vſti elotíque drachmæ duodecim,aloës drachmæ tres, myrrhæ drachmæ quatuor,ceruſæ drachmæ duodecim,opij drachmæ duæ,croci tantundem,nardi indicæ ſeſquidrachma,gummi drachmæ quindecim.aqua pluuiali excipito.vtitor illinendo.

*Malabathrinum noſtrum.valet ad graues oculorum dolores,& diſpoſitiones, cum declinant.*

Cadmiæ drachmæ ſedecim,acaciæ drachmæ quadraginta, æris combuſti elotíq; drachmæ quatuordecim,opij,lycij indici,ſingulorum drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ quatuor,malabathri,nardi indicæ, caſtorei,aloës,ſingulorum drachmæ duæ,ceruſæ drachmæ octo,ſtimmios eloti tantundem,gummi drachmæ quadraginta.aqua excipiuntur.vſus eſt ex ouo per initia diſpoſitionum:cum declinant,ex eo,quod dicitur pancrheſton, quod inter mordentia collyria repoſitum eſt.

*Aliud philadelphion.facit ad inflammationum declinationes,vlcera ſordida, & puſtularum eruptiones:ſtatim adiuuat.*

Stimmios combuſti elotíque drachmæ viginti, plumbi combuſti elotíq; drachmæ decem, cadmiæ drachmæ octo, æris cremati & eloti drachmæ tres, aloës tantundem, lycij indici drachmæ duæ ſemis,myrrhæ tantundem,nardi indicæ drachmæ duæ,croci totidem,caſtorei drachma vna,opij drachma vna, gummi drachmæ octo.aqua additur,& vt excipiantur,oua decem.

*Collyrium album,ad defluxionis impetus & diſpoſitiones, inſcribitur Trypherum.* Collyrium album

Cadmiæ elotæ drachmæ ſedecim, ceruſæ drachmæ octo,amyli drachmæ quatuor,gummi drachmæ quatuor, tragacanthi drachmæ quatuor,opij drachmæ duæ.aqua pluuiali excipiuntur.vſus eſt ex ouo.

*Ex terra ſamia,therennon inſcriptũ,ad defluxionis impetus & diſpoſitiones.*

Cadmiæ elotæ,ceruſæ,terræ ſamiæ, ſingulorum drachmæ duodecim, opij drachma vna,gummi drachmæ quatuor.aqua excipito,vſus eſt ex ouo.

*Aliud anodynon,ad fluxionem quamlibet,vlcera,vehementes dolores,pſydracas,procidentias,chæmoſin,variáſque diſpoſitiones.*

Ceruſæ drachmæ octo,terræ ſamiæ totidẽ, cineris pompholygis drachmæ

duodecim, tragacanthi drachmę duæ, opij totidem, gummi drachmæ quatuor. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex ouo.

*Aliud, quod dyodium inſcribitur, ad vehementes dolores, & defluxionis impetus, purulentos oculos, puſtulas, vlcera. hoc medicamentum eſt delicatius.*

Tragacanthi drachmę octo, gummi drachmæ quatuor, amyli tãtundem, cineris pompholygis drachmæ ſedecim, ceruſæ drachmę octo, opij torrefacti drachmę duę. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex ouo.

*Medicamentum dialibanum, hoc eſt ex thure, accommodum fluxionibus & chemoſi.*

Cadmiæ drachma vna, thuris drachma vna, ceruſæ drachmæ quadraginta, opij drachmæ ſex, gummi tantundem. aqua pluuiali excipiuntur. Nos autem ſic præparauimus. Cadmiæ, pompholygis, thuris, ſingulorum drachmæ decẽ, ceruſæ drachmæ quadraginta, opij drachmæ ſex, gummi tantundem. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex ouo.

*Aliud, quod trypheron, hoc eſt delicatum inſcribitur, contra aduſtiones, puſtulas, chemoſin, & præſertim in iis, qui nullam plane roſionem ſuſtinere poſſunt.*

Cadmiæ elotæ, amyli, & thuris, ſingulorum drachmæ octo, ceruſæ drachmæ quadragintaocto, opij drachmæ ſex, gummi drachmæ ſedecim. aqua pluuiali excipiuntur. vſus indicatus eſt.

*Cygnus, baſiliſæ inſcriptus, ad maximos dolores & diſpoſitiones.*

Cadmiæ drachmæ ſedecim, ceruſæ elotæ drachmæ octo, amyli, tragacanthi, acacię, opij, ſingulorum drachmæ duæ, gummi drachmæ duodecim. excipiuntur aqua pluuiali, & ad exceptionem, ouorum crudorum recentium quatuor albumina adijciuntur.

*Aliud aërianum, Diomedis collyrium, accommodatum ad defluxionis impetus, & diſpoſitiones, tum veteres, tum recentes.*

Cineris pompholygis drachmę octo, ceruſę drachmæ viginti, æruginis drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ quatuordecim, thuris drachmæ tres, opij tantundem, gummi drachmę octo. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex ouo.

*Cygnus ex terra ſamia ad vlcera omnigena, ad defluxionis impetus, dolores vehementes, oculóſque purulentos.*

Spodij eloti drachmæ ſedecim, ceruſæ elotæ drachmæ octo, terræ ſamiæ, amyli, acaciæ, opij, gummi, ſingulorum drachmæ quatuor, tragacanthi drachmæ duæ. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex ouo.

*Aliud Dionyſio inſcriptum.*

Ceruſæ drachmæ trigintaocto, æruginis vermicularis drachmæ ſedecim, meconij drachmę octo, gummi drachmæ quatuor. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex lacte.

*Aërianum noſtrum, medicamentum ad vetuſtas diſpoſitiones, & recentes accommodatum.*

Ceruſæ drachmę vigintiquatuor, cadmiæ crematæ elotę́que, ſtimmi combuſti elotíque, thuris, ſingulorum drachmæ decem, ſquamæ æris drachmæ quinque, opij, myrrhæ, vtriuſque drachmæ tres, gummi drachmæ duodecim. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex ouo.

*Collyrium Gennadii.*

Cerusæ drachmæ octodecim, stimmios drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ duodecim, squamæ æris totidem, opij drachmæ sex, gummi drachmę vigintiquatuor. aqua pluuialis affunditur.

*Medicamentum Paxii ocularii ex terra samia ad dispositiones intensas.*

Cadmiæ drachmę sedecim, cerusæ drachmæ sedecim, samię terræ drachmę quatuor, opij drachmæ duæ, thuris tãtundem, stimmios drachmę quinq;, gummi totidem. aqua excipito. vsus est ex ouo.

*Quod Therinon inscribitur.*

Cadmiæ vstæ elotæq; drachmæ viginti, acaciæ drachmæ duæ, squamæ æris cremati elotiq; drachmæ duodecim, corticis thuris drachmæ duæ, tragacanthi drachmę duæ, gũmi drachmæ sedecim. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Collyrium Hygidium dictum.*

Cadmiæ drachmæ octo, myrrhæ totidẽ, acaciæ drachmæ sex, opij drachmę duæ, æris vsti & eloti tantundem, gũmi drachmæ sex, ericæ seminis drachma vna. aqua pluuialis adijcitur.

*Anicetus, hoc est inuincibilis Aster ad vehementes dolores, pustulas, staphylomata, vlcera sordida, & depasta. valet etiã ad dispositiones inueteratas, & cicatrices exterit.*

Cadmiæ combustæ & elotæ drachmæ sedecim, cerusæ elotæ tantundem, amyli drachmę duodecim, stimmios combusti tãtundem, spodij, plũbi cremati & eloti, terræ samiæ, singulorũ drachmæ octo, myrrhę drachmæ duæ, opij totidem, tragacanthi drachmæ octo. aqua pluuialis adijcitur.

*Aliud Libyanum inscriptũ, ad pustulas, ambusta, rupturas, cælomata, oculos purulentos, chemosin, staphylomata. facit etiam ad magnos dolores, dispositionésque, & cicatrices exterit.*

Cadmiæ combustæ & elotæ drachmæ sedecim, cerusæ elotæ drachmæ sedecim, stimmios combusti & eloti tãtundem, plumbi cremati elotiq; drachmę octo, amyli drachmæ duodecim, cineris pompholygis, myrrhæ, terræ stellatę, tragacanthi, singulorum drachmæ octo, opij drachmæ duæ: & vt excipiãtur, viginti ouorum albumina. *Aliud Libyanum.* Pompholygis drachmę octo, cadmiæ combustæ & elotæ drachmæ sedecim, stimmios cõbusti & eloti drachmę duodecim, cerusæ elotæ drachmę sedecim, amyli drachmæ duodecim, terrę samiæ drachmæ octo, plumbi cremati & eloti drachmæ octo, myrrhæ drachmæ duæ, opij drachmæ duæ, tragacanthi drachmæ duę. aqua pluuialis adijcitur.

*Collyrium diaceratos elaphiu, hoc est ex cornu ceruino, ad vlcera & pustulas. cicatrices exterit.*

Cornu ceruini vsti & eloti, thuris, plumbi cremati & eloti, singulorum drachmę quatuor, squamæ æris elotæ drachmæ duæ, opij drachma vna, gummi drachmę quatuor. aqua pluuialis adijcitur.

*Aliud ex cornu cerui, Neapolitæ.*

Plumbi cremati lotiq; drachmæ sedecim, cornu cerui combusti tãtundem, thuris, acaciæ, spodij cyprij, singulorum drachmæ octo, amyli drachmæ quatuor, opij drachmæ duæ, squamæ æris drachmæ duæ, croci drachmæ octo, myrrhæ drachmę quatuor, tragacanthi drachma vna, gummi drachmę octo, alterci tãtundem. diluto excipiuntur.

*Viride ad dispositiones prauas.*

Spodij cyprij drachmæ sedecim, amyli drachmæ sedecim, croci drachmæ octo, stimmios tantundem, opij drachmę quatuor, gummi drachmæ quatuor. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Aliud viride Zoili ocularii.*

Spodij cyprij drachmæ octo, croci drachmæ octo, amyli tantundem, opij drachmæ duæ, stimmios drachmæ octo, gummi drachmę quatuor. excipiuntur anagallidis succo.

*Aliud. in aliis scripturis ita habet, Zoili viride.*

Cadmiæ crematæ & elotæ, vinóque Italico extinctæ drachmæ octo, croci drachmæ quatuor, stimmios cōbusti, & lacte extincti drachmæ quatuor, amyli drachma vna, gummi drachmę duæ. excipiuntur succo anagallidis, quæ ceruleum colorem obtinet.

*Ex scriptis Scribonii Largi, psittacinum à colore ita dictum. facit ad vehemētes dolores, pustulas, solutas cicatrices, & vastum tumorem, quem, quia à loco interdum videtur propellere oculum, proptosin vocant. item benefacit cum quasi sanguine suffusi sunt oculi æstate. vtile est etiam ad alias dispositiones, & præcipue in oculis, qui facile sentiunt, & tenui lachryma defluunt. recipit autem hæc:*

Cadmiæ, croci, stimmios, amyli recentis, singulorum drachmæ octo, opij drachmæ quatuor, gummi tātundem. aqua pluuiali terūtur. vsus est ex ouo.

*Neucratitæ medicamentum ad dispositiones accommodatum.*

Cadmiæ, croci, singulorum drachmę duodecim, opij drachmę sex, squamę stomomatis purgatę drachmæ quinque, squamæ æris drachmæ sex, rosarum succi drachmæ sedecim, plumbi vsti elotíque drachmę quinq;, myrrhæ drachmæ tres, nardi drachmæ duæ, acaciæ tantundem, gummi drachmæ duodecim. aqua pluuiatili teruntur.

*Anthei viride.*

Cadmię drachmę quadragintaocto, myrrhę drachmę vigintiquatuor, croci drachmæ quadragintaocto, opij drachmę vigintiquatuor, plumbi vsti & eloti drachmæ octo, squamæ æris, nardi indicæ, acaciæ, singulorū drachmæ sex, gummi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuiali excipiuntur.

*Diagalbani, hoc est ex galbano medicamentum, ad vehementes dolores, & lippitudines, quo vsus est* Nycetes.

Cadmiæ, spodij cyprij, æris cremati & eloti, opij, myrrhę, galbani, singulorum drachmæ octo. aqua excipito medicamentum. vehementer est comprobatum. Recipit autem etiam gummi drachmas octo. In alijs scripturis spodiū non habetur. *Aliud.* Cadmiæ drachmæ sedecim, æris vsti elotíq;, myrrhę, galbani, opij, singulorum drachmæ octo, chalcanthi drachmæ sex, gummi tantūdem. aqua pluuiatili excipiuntur.

*Diarhodon* Nili, *vt* Andreas *habet, ad vehementes dolores, fluxionem multam & tenuem, pustulas, & procidentiam.*

Rosarū foliorum sine vnguibus drachmæ quatuor, croci drachmæ duę, opij obolus vnus, nardi indicę obolus vnus, gūmi drachmæ tres (in alio habet gūmi drachmā vnā) aqua pluuiali excipiūtur. vsus est ex ouo. temperatura diluta.

*Aliud diarhodon* Nili, *quo vsus est Gallio ocularius.*

Rosarum drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ, acaciæ drachma vna, opij obolus vnus, nardi indicæ obolus vnus, gummi drachmæ tres. aqua pluuiali excipiũtur. vsus est ex ouo. temperatura diluta.

*Aliud diarhodon, quod horion à tempestiuitate dicitur, ad easdem dispositiones.*

Rosarum, quibus vngues sint detracti drachmæ vigintiquatuor, croci duodecim, amyli drachmæ sex, balaustij drachmæ quatuor, opij drachmæ quatuor, tragacanthi drachmæ octo. alterci foliorum succo excipiuntur. *Aliud.* Rosarum drachmæ octo, croci drachmæ quatuor, æris combusti, elotíque drachma vna, gummi drachma vna. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Diarhodon Terentii ex pompholyge.*

Rosarum tenerarum drachmæ duodecim, spodij cyprij, croci, opij, nardi, gummi, singulorum drachmæ quatuor. aqua pluuiatili teruntur.

*Aliud diarhodon.*

Rosarum tenerarum drachmę duę, croci drachmæ sex, spodij cyprij drachmæ duæ, amyli tantundem, acaciæ drachma vna, nardi indicæ drachma vna, gũmi drachmæ duæ, tragacãthi drachma vna. aqua pluuiali excipiũtur.

*Diarhodon Euelpidii, diasmyrnon dictum.*

Rosarum drachmæ centum, croci drachmæ quinquaginta, opij drachmæ octo, myrrhę sesquidrachma, gũmi, drachmę quinquaginta. vino odoro excipiuntur. vsus est ex ouo. *Aliud diarhodon.*

Rosarum drachmæ centum, croci drachmæ quinquaginta, opij drachmæ octo, myrrhæ tantundem, gummi drachmæ quinquaginta, vino odoro subiguntur. vsus est ex ouo. Hoc ego præparaui in vicem foliorum rosarum, inijciens rosarum floris drachmas duas, ac visum mihi est feliciter operari.

*Diarhodon, quod ex septuaginta duabus rosarum drachmis componitur, Megale dictum. vsus eo est Lucius Cathegetes, ad vehementes dolores, pustulas, vstiones, staphylomata, procidentias, oculos purulentos, fluxiones veteres, lippitudines inueteratas, & dispositiones solutu contumaces.*

Rosarum viridium sine fibris drachmæ septuagintaduæ, cadmiæ vstæ & elotæ drachmæ vigintiquatuor, croci drachmæ sexaginta, opij drachmæ tres, stimmios tantũdem (alij sex) æruginis drachmę duæ (alij tres ponunt) squamę æris drachmæ duæ, nardi indicæ tantundem, myrrhæ drachmæ sex (alij drachmas ponunt quatuor) gummi vigintiquatuor. aqua pluuiali excipito.

*Aliud ex septuaginta duabus rosarum drachmis.*

Rosarum drachmæ septuagintaduæ, cadmiæ combustæ & elotæ drachmæ vigintiquatuor, croci drachmæ sex (secundum alios drachmæ octo) opij, stimmios, myrrhæ, singulorum drachmæ tres, squamę æris drachmę duæ, æruginis rasæ drachmæ duæ, nardi drachma vna (secundum alios duę) gũmi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex lacte.

*Medicamẽtũ ex violis albis, ad defluxionis impetus, & dispositiones.*

Acaciæ drachmæ quadragintaocto, violarum albarum succi totidem, spodij cyprij drachmæ vigintiquatuor, croci tantundem, myrrhæ drachmæ qua-

tuor, opij tantundem (secundum alios, drachmæ sex) alterci succi drachmæ quatuor, æris vsti & eloti drachmæ quatuor, gummi tantundem. vino falerno subiguntur.

*Collyrion, quo vsus est Florus in Antonia Drusi matre, quã alii medici propè visu priuarant.*

Acaciæ, rosarum siccarum, meliloti, singulorũ drachmæ quadragintaocto, spodij cyprij drachmæ vigintiquatuor, mãdragoræ malorum drachmę duæ, croci drachmæ vigintiquatuor, opij drachmæ sex, alterci seminis acetabula duo (secundum alios, drachmę vigintiquatuor) myrrhę drachmæ quatuor, æris vsti & eloti drachmæ quatuor, gummi drachmæ quadraginta, vini falerni heminæ tres. vinum & aqua miscentur. his adijciuntur rosæ, melilotus, alterci semen, & mandragoræ mala: sin minus cortex, ac sinuntur tribus diebus aut quinque macerari. deinde liquore expresso ad medicamenti confectionẽ vtitor, ac vbi in figuram redegeris, adhibeto ceu probatissimum medicamentum.

*Melinum delicatum, iis qui nullam medicamentorum rosionem tolerant, facit ad pustulas, procidentias, influxionem acrem & copiosam, & vstiones & dispositiones recentes.*

Cadmiæ vstæ & lacte restinctæ drachmæ sedecim, cerusæ elotæ drachmæ octo, croci drachmæ quatuor, opij drachma vna, tragacanthi drachmæ duæ. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Aliud, ad vstiones, pustulas, procidentias, & vehementes dolores.*

Cerusæ drachmæ vigintiquatuor, amyli drachmę duodecim, cadmiæ elotę drachmæ decem, thuris tãtundem, croci drachmæ octo, opij totidem, gummi drachmæ decem, tragacanthi drachmæ duæ. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex ouo.

*Diarhodon Anencletbi.*

Cadmiæ combustæ & elotæ drachmæ vigintiquatuor, cerusę drachmæ duodecim, opij drachmæ sex, rosarum floris drachmæ sex, croci tantundem, lapidis schisti drachmę duodecim, gummi drachmæ decẽ. aqua pluuiali subiguntur. vsus est ad sordida vlcera, ex lacte: ad pura, ex ouo.

*Aliud.*

Cadmiæ combustæ & elotæ drachmę vigintiquatuor, cerusę drachmæ duodecim, lapidis schisti drachmæ quatuor, rosarũ floris drachmæ sex. aqua pluuiali subiguntur. vsus est ad sordida vlcera, ex lacte: & pura, ex ouo.

*Crocodes Pædicon dictum ex pompholyge, ad defluxionis impetus, vehemẽtes dolores, & dispositiones ex ictu.*

Cineris pompholygis, croci, opij, singulorum drachmæ sedecim, tragacanthi drachmæ octo. aqua pluuiali excipiuntur: & ad excipiendum, quatuor ouorum albumina adduntur.

*Collyrium Caii ocularii.*

Spodij cyprij drachmæ quatuor, amyli recentis drachmæ duodecim, croci drachmæ duæ, myrrhæ drachma vna, mandragorę succi drachma vna, gũmi drachmæ quatuor. aqua pluuiali teruntur. vsus est ex ouo.

*Athimetri lysiponium.*

Chalcanthi crudi drachmę quadraginta, pompholygis crudę tantundem,

cerusæ drachmæ vigintiquatuor, opij drachmę duæ, croci drachmę quatuor. crocus in aquam mittitur, & maceratur. eius diluto, reliquum croci lęuigatur, & cæteris miſcetur. gummi drachmę trigintaduæ.

*Diomedis lyſiponium ad vehementem dolorem.*

Chalcanthi crudi drachmę trigintaduæ, ceruſæ drachmę triginta vna, cineris pompholygis drachmæ ſedecim, croci tantundem, thuris drachmæ octo, myrrhæ drachmæ duæ, gũmi drachmæ ſedecim. aqua pluuialis adijcitur. vſus eſt ex ouo. generoſum eſt collyrium.

*Zoili collyrium ad veteres lippitudines, myocephalos, ſtaphylomata, & vetuſtas defluxiones.*

Cadmiæ drachmæ octo, æris cremati tãtundem, ceruſæ drachmæ quatuor, aloës ſeſquidrachma, foliorum croci, chalcitidis toſtæ, chalcanthi, opij, lycij, ſingulorum drachma vna, myrrhæ drachmæ duæ, acaciæ drachmæ viginti, ſpicæ nardi ſeſquidrachma, gummi drachmæ viginti, caſtorei drachmæ quatuor, ſtimmios combuſti drachmæ octo. aqua pluuialis additur.

*Aſclepiadium Paxii, ad vehemẽtes dolores, fluxionem tenuem & multam, aduſtionem, puſtulas, membranarum excreſcentias, aſpritudinem, diſpoſitiones inueteratas, & eos, qui à multis illitibus offenſi ſunt. ſtatim adiuuat. Hæc autem recipit.*

Cadmiæ, æris combuſti, croci, ſquamæ æris vſtæ, ſingulorum drachmæ duodecim, myrrhæ, nardi indicæ, roſarum ſiccarum, opij, lapidis hęmatitis, ſingulorum drachmę quatuor, piperis albi grana vigintiquatuor, gummi drachmę duodecim, vini chij quod ſufficit. vſus eſt ex ouo. In alijs ſcripturis habet, roſarum drachmę tres, piperis grana quindecim.

*Nectarium inſcriptum, medicamentum comprobatum.*

Cadmiæ, ſquamæ cypriæ, croci, ſingulorum drachmæ duodecim, opij drachmę quatuor, æris combuſti & eloti drachmę duodecim, myrrhæ, lapidis hæmatitis, roſarum ſiccarum, ſpicæ nardi, miſyos toſti, caſiæ fiſtulæ, ſingulorum drachmę quatuor, piperis albi grana vigintiquinque, gummi drachmę duodecim. vino vtitor.

*Antigoni crocodes leontarium quaſi leunculus dictum, quandoquidẽ huic ſcripturæ obſignabatur. facit ad defluxionis impetus, vehementes dolores, diſpoſitiones inueteratas. eſt etiam aſpritudini bonum, cicatrices & callos exterit. maximè verò infantibus conducit.*

Spodij cyprij drachmæ quadragintaocto, croci drachmæ vigintiquatuor, myrrhę drachmę duodecim, lapidis hæmatitis drachmæ octo, opij drachmæ duodecim, piperis albi grana trigintaſex, gummi drachmæ octoginta. vino falerno ſubiguntur. *Aliud.* Spodij ciprij drachmæ octoginta, croci drachmæ quadraginta, myrrhæ drachmę viginti, opij drachmæ viginti, lapidis hæmatitis drachmę duodecim, piperis grana ſexaginta, gummi drachmæ octoginta. vino falerno excipiuntur.

*Ex ſcriptis Scribonii Largi, Machaonis Aſclepios, ad veteres diſpoſitiones oculóſque purulentos.*

Cineris pompholygis drachmæ trigintaduæ, æris vſti totidem, croci ſiculi drachmæ ſedecim, myrrhæ drachmæ ſex, lapidis hæmatitis drachmæ decem,

nardi indicæ drachmæ ſex, opij tantundem, piperis grana quadraginta. vino Chio teruntur. In libro athenipporũ Aſclepiorũ, habet ita, opij drachmę octo.

*Euemeri ad dolores vehementes & diſpoſitiones.*

Aeris combuſti & eloti drachmæ trigintaduæ, cineris pompholygis drachmæ ſedecim, croci totidẽ, myrrhæ drachmæ octo, lapidis hæmatitis cõbuſti & eloti drachmæ octo, ſpicę nardi drachmæ quatuor, miſyos vſti drachmæ quatuor, opij torrefacti tãtũdẽ, gũmi drachmę ſedecim, vini Italici qđ ſufficit.

*Diaſmyrnon, quia boni odoris eſt, εὐώδης dicitur, medicamentum Synerotis ad inueteratas diſpoſitiones accommodum. facit etiam ad rhyadas, & ægilopas.*

Cadmiæ elotæ drachmæ vigintiocto, lapidis hæmatitis cremati, & eloti drachmæ vigintiquinq;, ſpodij cyprij drachmæ vigintiquatuor, myrrhæ drachmę quadragintaocto, croci drachmæ quatuor, opij hiſpani drachmæ octo, piperis albi grana triginta, gummi drachmæ ſex. vino Italico ſubiguntur. vſus eſt ex ouo in recentibus, & temperatura aquoſa. Nonnulli ponunt croci drachmas duodecim.

*Hæmathinum Synerotis ad aſpritudinem. facit bene ad veteres diſpoſitiones, ficus, omnéque tuberculum, ſi odorato medicamini Synerotis miſceatur.*

Aeris cõbuſti & eloti drachmę vigintiquatuor, lapidis hæmatitis drachma vna, croci drachmæ quatuor, opij tantundem, gummi drachmæ duodecim. aceto acerrimo teruntur.

*Aliud.*

Aeris combuſti drachmæ quadragintaocto, croci drachmæ vigintiquatuor, opij drachmæ quatuor, gummi thebaici drachmæ vigintiquatuor, pompholygis drachmæ octodecim, myrrhę tantundem, ſalis ammoniaci drachmę duodecim, lapidis hæmatitis drachma vna, æruginis drachmæ quatuor. vino excipiuntur. *Iracis ad aſpritudinem.*

Miſyos vſti, croci, opij, lapidis hæmatitis eloti, ſingulorum drachmæ octo, æris combuſti & eloti, myrrhę, gummi, ſingulorum drachmæ duodecim. aceto ſubiguntur acerrimo.

*Apollonii ſcylation, qui inſigniter medicatus eſt. hoc eſt ironicum collyrium, aſpritudinem tollit, vocatur autẽ phœnix. valet etiam ad milphoſin, id eſt palpebrarum defluuia, & diſpoſitiones inueteratas.*

Lapidis hæmatitis vſti & eloti drachmę trigintaduæ, æris combuſti & eloti drachmæ ſedecim, æruginis raſę tãtundem, opij drachmæ octo (ſecundum alios ſex) cadmię botryitidis drachmæ quatuor, chalcitidis toſtę tantundem, gummi drachmæ ſedecim. aqua pluuialis adijcitur.

*Aliter, phœnix Apollonii, vt Arius Aſclepiadeus in propriis medicamentorum collectionibus ſcripſit.*

Lapidis hæmatitis drachmæ vigintiquatuor, lapidis ſchiſti vſti & eloti tantundem, cadmiæ drachmæ duodecim, æris combuſti tãtundem, opij drachmæ octo, chalcitidis toſtæ drachmæ quatuor (ſecundum alios octo) alibi habetur etiam, æruginis drachmæ duodecim, gummi drachmę ſedecim. aqua pluuialis adijcitur.

*Aliud collyrium ad aſpritudinem.*

Chalcitidis vſtæ & elotę drachmę duodecim, miſyos combuſti & eloti dra-

chmæ octo, croci, opij, ſingulorum drachmæ ſex, lapidis hęmatitis drachmæ octo, gummi drachmæ duodecim. aceto ſubiguntur acerrimo.

*Collyrium ad aſpritudinem.*

Aeris cõbuſti & eloti drachmæ vigintiquatuor, cineris pompholygis drachmæ ſedecim, myrrhæ tantundem, ſalis ammoniaci drachmæ duodecim, lapidis hæmatitis drachmæ quatuor, opij totidem, piperis grana duodecim (in alio eſt, grana ſedecim) gummi drachmæ octo. vino excipito & vtitor.

*Euemeri collyrium, cicatrices & callos exterit: facit etiam ad diſpoſitiones inueteratas.*

Cadmiæ drachmæ ſexaginta, croci drachmæ quinquaginta, ſpicæ nardi drachmæ viginti, ſquamæ æris torrefactæ drachmæ quinquaginta, myrrhæ tãtundẽ, opij drachmæ triginta, æris cõbuſti drachmæ ſexaginta, miſyos crudę drachmæ quinquaginta, gũmi drachmæ ſeptuaginta. vino chio excipiũtur.

*Aliud Pyrami, cicatrices & callos exterens. reprimit omnem exceſſum.*

Cadmiæ cypriæ, lapidis hæmatitis, æris cõbuſti, ſingulorum drachmæ quadraginta, miſyos combuſti, croci, guttę ammoniaci, ſquamæ æris vſtæ, & elotę, opij, myrrhæ, ſingulorum drachmæ viginti, gummi drachmæ triginta vnę. ex aceto acerrimo vtitor.

*Aliud Euemeri, ad eaſdem diſpoſitiones.*

Aeris combuſti & eloti drachmæ viginti, cineris pompholygis drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ octo, ſalis ammoniaci drachmæ duodecim, lapidis hæmatitis drachmæ quatuor, piperis drachmæ duodecim, gũmi drachmæ octo, vini chij quod ſufficit.

*Lynceus collyrium dictum ad calloſas diſpoſitiones, viſum probè exacuens: cicatrices & callos exterit.*

Cadmiæ drachmæ duodecim, æris combuſti & eloti drachmæ duodecim, guttæ ammoniaci drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ ſedecim, lapidis hęmatitis drachmæ ſex, opij tantundem, aloës, fellis taurini, galbani, ſingulorũ drachmæ quatuor, æruginis drachma vna, opopanacis drachmæ quatuor, ſalis ammoniaci drachmæ duę, gummi drachmæ ſex (ſecũdum alios, drachmæ duæ) aqua pluuialis adijcitur.

*Rhinema inſcriptum. facit ad calloſas diſpoſitiones, & cicatrices abolet. confert etiam ſuffuſionibus.*

Cadmiæ, guttę ammoniaci, æris combuſti, ſingulorum drachmæ quadragintaocto, opij, æruginis cypriæ, myrrhę, ſingulorum drachmæ ſedecim, lapidis hæmatitis drachmæ vigintiquatuor, galbani drachmæ ſedecim, opopanacis drachmæ octo, fellis taurini drachmę octo, ſalis ammoniaci drachmæ quatuor, gummi drachmæ ſexaginta. aqua pluuialis adijcitur. vſus eſt ex aqua.

*Collyrium quod Harmation inſcribitur, quo vſus eſt Ptolemæus rex, abſterſorium. cicatrices exterit, iam & viſum acuit, aſpritudinémque delet.*

Aeris cremati & eloti, guttæ ammoniaci, lapidis hæmatitis, corticis thuris, gummi, ſingulorũ drachmæ octo. aqua pluuiali excipiuntur. vſus eſt ex aqua. In alijs ſcripturis habet etiam ęruginis drachmas duas.

*Collyrium ex hæmatite viſum acuens, cicatrices & callos exterit.*

Guttæ ammoniaci, æris cõbuſti & eloti, lapidis hæmatitis, gummi, ſingulo-

rũ drachmæ vigintiquatuor, æruginis drachmæ octo. aqua pluuialis additur.

*Artemonium inscriptum, quo vsus est Basus familiaris. facit ad diuturnas fluxiones, palpebrarum aspredines, lachrymantes, & erosos oculorum angulos, & humentes oculos, & membranarum excessus, cicatrices & callos exterit. maximum verò in hoc medicamento id est, quòd post illitiones, oculos imperturbatos conseruet.*

Stimmios drachmæ quatuor, æris combusti drachmæ duæ, cerusæ tantundem, croci, corticis thuris, æruginis vermicularis, gallarum immaturarum, piperis albi, gummi, singulorũ drachma vna. vino excipiũtur. vsus est ex aqua.

*Aliud medicamentum comprobatum.*

Cadmiæ, stimmios, cerusæ, singulorum drachmæ octo, æris cremati drachmę quatuor, corticis thuris, croci, myrrhę, æruginis vermicularis, gallarum immaturarum, singulorum drachmæ duæ, piperis albi drachma vna, gummi drachmę quatuor. vino excipiuntur.

*Collyrium indicum aërinon dictum, probibens omnem lippitudinem. facit ad caliginem, dispositiones scabiosas, angulos erosos, & cicatrices abstergit. Maximũ in hoc medicamẽto id est, quòd postꝗ fuerit illitũ, oculi nõ perturbãtur.*

Cerusæ rhodiacę drachmę quadragintaocto, cadmię cyprię drachmę vigintiquatuor, atramenti indici, opij, singulorum drachmę octo, piperis albi drachmę octo vel sex, opobalsami drachmę octo vel sex, gũmi drachmæ sedecim, cinnamomi drachmę duę, alibi drachmę duodecim. aqua pluuiali excipiũtur.

*Hermophyli Thalasserus collyrium probatum ad suffusiones, & omnem hebetudinẽ: valet etiã ad principia suffusionis. est autẽ medicamentũ odoratissimũ.*

Cadmię drachmę sedecim, atramẽti indici tãtundẽ, pipis albi drachmę octo, æruginis, opij medici, opobalsami, singulorũ drachmę quatuor, gũmi drachmę duodecim. aq̃ excipiũtur. vsus est ex aqua. tẽperatura ad dispositiones cõferẽs.

*Pomponei Basi. facit etiam ad suffusionis initia.*

Cadmiæ drachmæ vigintiseptem, atramenti indici drachmæ sedecim, piperis albi drachmæ duodecim, liquoris cyrenaici drachmæ quindecim, opobalsami drachmæ sex, spicæ nardi tantundem, sagapeni drachmæ quinq;, opopanacis totidem, opij drachmæ quatuor, euphorbij drachma vna, cinnamomi tãtundem, gummi drachmæ triginta. liquor, succus fœniculi adijcitur.

*Indicum Basilicon dictum. facit ad suffusionis initia, omnémque caliginem, & cicatrices exterit.*

Cadmiæ vstæ & elotæ libra vna triens, atramẽti indici drachmæ sex, cerusæ triens, piperis albi selibra, fellis hyænæ totum quod continet, scarorum fella decem, perdicum fella quatuor, lachrymæ papaueris vncia, opobalsami, opopanacis, sagapeni, singulorum sextans, gummi libra. excipiuntur fœniculi succo, aut herbæ, quæ dicitur heraclæa.

*Quod instillari possit Paccii, vt Themison.*

Cadmiæ drachmæ sexaginta quatuor, misyos, chalcanthi, stimmios, piperis albi, singulorũ drachmæ trigintaduæ, opij, æruginis, opobalsami, singulorum drachmæ sedecim, gũmi drachmæ sexagintaquatuor. aqua pluuialis additur.

*Chelidonium inscriptum.*

Cadmiæ drachmę quadragintaocto, stimmios drachmæ duodecim, misy-

os drachmæ octo, piperis drachmæ trigintasex, chalcanthi drachmæ sex, opij drachmæ sex, opobalsami drachmæ quatuor, gummi drachmæ vigintiquatuor, aqua pluuiali excipiuntur.

*Hieracium ad hebetudines, & scabiosas dispositiones.*

Cerusæ drachmæ sedecim, cadmiæ drachmæ octo, opij drachmæ duæ, gũmi drachmæ sex. aqua pluuiali excipiuntur. vsus est ex aqua.

*Aliud, cicatrices & callos exterit.*

Cadmiæ drachmæ sedecim, cerusæ drachmæ octo, piperis albi drachmæ quatuor, æruginis, opobalsami, omphacij, singulorum drachmæ duæ, gummi drachmæ quatuor. aqua additur.

*Collyrium rubidum panchreston inscriptum, medicamentum probatũ ad scabiosos erososq́ angulos, & intesos pruritus, & palpebras ficosas.*

Cadmiæ drachmæ octoginta, chalcitidis vstæ, piperis albi, gummi, singulorum drachmæ quadraginta. excipiuntur aqua pluuiali. in alijs scripturis æqualia habetur pondera.

*Aliud.*

Cadmiæ drachmæ octoginta, chalcitidis vstæ, piperis albi, singulorum drachmæ quadraginta, croci, myrrhæ, singulorum drachmæ duodecim, gummi drachmæ quadraginta. aqua pluuialis additur.

*Triphonis sphæricum.*

Cadmiæ drachmæ quadragintaocto, squamæ æris, æris combusti elotique, piperis albi, singulorum drachmæ trigintaduæ, opij drachmæ octo, myrrhę drachmæ octo, opobalsami drachmæ quatuor, gummi drachmę trigintaduæ. aqua pluuialis adijcitur.

*Collyrium Galli visum exacuens.*

Cadmiæ drachmæ quadragintaocto, chalcitidis vstæ drachmæ vigintiquatuor, piperis albi drachmę sex, squamę ęris drachmæ octo, opij drachmę quinque, omphacij drachmę quatuor, myrrhę drachmę duę, opobalsami drachmæ quatuor, gummi drachmæ duodecim, piperis albi grana decem. aquæ pluuialis quod satis est.

*Collyrium aromaticum inscriptum.*

Aeris combusti & eloti drachmæ sedecim, ęruginis, myrrhæ, opij, piperis albi, singulorum drachmæ quatuor, nardi drachmæ duæ, croci drachmæ quatuor, opobalsami drachmæ duæ, gũmi drachmæ quatuor. aqua pluuiali excipiũtur.

*Heraclidis aromaticum ex hæmatite.*

Aeris combusti elotique drachmæ quadragintaocto, cadmiæ, croci, lapidis hæmatitis, singulorum drachmæ vigintiquatuor, opij, piperis albi, singulorum drachmæ duodecim, gũmi drachmæ vigintiquatuor. vino falerno excipiũtur.

*Crocodes Asclepii visum exacuens.*

Aeris vsti drachmæ quadragintaocto, croci drachmæ duodecim, omphacij drachmæ quatuor, opij drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ duæ, opobalsami drachmæ quatuor, gummi drachmę duodecim, piperis albi grana decem. aquæ pluuialis quod sufficit.

*Isochrisi ad erosos angulos, scabiosas dispositiones, inueteratas lippitudines, asperitudines, ficosas excrescentias: cicatrices & callos exterit.*

Cadmiæ drachmæ sex, lapidis hæmatitis, myrrhę, singulorum drachmæ se-

decim, croci drachmæ vigintiquatuor, piperis lõgi drachmę duodecim, piperis albi drachmæ vigintiquatuor, gũmi drachmæ sexagintaquatuor. vino italico excipiuntur.

*Cinnabarion Axii ocularii, Stolæ, Britannici, ad erosos angulos, malas oculorum dispositiones, intensos pruritus, diuturnos affectus.*

Psorici drachmæ vigintiquatuor, cadmiæ tantundem, croci, piperis, cinnabaris, singulorum drachmæ sedecim, opij drachmæ duodecim, gũmi drachmę vigintiquatuor. aqua pluuiali excipiuntur.

*Aliud.*

Psorici, piperis, cadmiæ, croci, singulorum drachmę vigintiquatuor, sandarachę, opij, cinnabaris, gũmi, singulorũ drachmę octo. aqua pluuialis additur.

*Melinon atarachon inscriptum. facit ad omnẽ hebetudinem, & ad veteres dispositiones: cicatrices & callos exterit.*

Cadmiæ drachmæ vigintiquatuor, omphacij drachmæ duodecim, salis ammoniaci drachmæ quatuor, guttæ ammoniaci drachmæ duodecim, opij drachmæ octo, gummi drachmæ vigintiquatuor, cerusæ tantundẽ, croci drachmæ sedecim, piperis albi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuialis additur.

*Lucii Cathegetis melinon, ad scabiosos & erosos angulos, intensos pruritus, humentes oculos: item ad omnem hebetudinem. cicatrices & callos exterit.*

Cerusæ drachmæ vigintiquatuor, croci tantundem, guttæ ammoniaci drachmæ sex, salis ammoniaci drachmæ sex, nardi indicæ drachmæ sex, opij drachmæ sex, myrrhæ, omphacij, singulorum drachmę sex, gummi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuiali excipiuntur.

*Aliud collyrium Proteus, cui nullum est æquale. facit ad initia suffusionis, & omnem hebetudinem: cicatrices & callos exterit.*

Cadmiæ drachmæ duæ, chalcitidis crudæ, cerusæ, singulorum drachmæ quadraginta, piperis albi drachmæ triginta, liquoris cyrenaici drachmæ viginti, croci drachmę sedecim, opij drachmę duodecim, sagapenii drachmę duodecim, oleę lachrymæ totidem, arsenici drachmæ octo, myrrhę drachmæ duodecim, gummi drachmæ viginti, opopanacis par modus, opobalsami drachmæ duodecim. aqua pluuiatili excipiuntur. vsus est ex aqua.

*Hygieni χρυσοῦν, hoc est aureum, ad erosos angulos & scabiosas dispositiones.*

Sandarachę drachmæ vigintiquatuor, piperis albi grana duodecim, myrrhę drachmæ sex, croci tantundem, gũmi drachmæ duodecim. vsus indicatus est.

*Aliter*

Sandarachæ, croci, piperis, singulorum drachmæ sedecim, myrrhæ drachmę quatuor, gummi drachmæ duodecim. vsus indicatus est.

*Aliter.*

Sandarachæ drachmæ vigintiquatuor, piperis albi drachmæ duodecim, myrrhæ drachmæ sex, croci tantundem, gummi drachmæ duodecim. aqua pluuialis adijcitur.

*Euemeri psoricum. facit ad erosos angulos, & scabiosas cicatrices, & callos exterit. Benefacit ad inueteratas dispositiones, & mali habitus lippitudines, & aspritudines.*

Psorici drachmæ vigintiquatuor, croci drachmæ duodecim, opij, cerusę, sin-

gulorum drachmę quatuor, piperis albi, omphacij, ſingulorum tantundem. vino falerno excipito.

**Baſilidium pſoricum.**

Pſorici drachmæ quadragintaocto, croci drachmæ vigintiquatuor, opij drachmæ octo, lapidis aſij floris, ceruſæ, ſingulorum drachmæ octo, piperis drachmæ ſex, opobalſami, omphacij, ſingulorum drachmæ quatuor, gummi drachmæ ſedecim. vino falerno excipiuntur.

**Panchreſton, id eſt multi vſus, Athenipium.**

Pſorici drachmæ ſexagintaquatuor, croci drachmæ ſedecim, chalcitidis vſtæ drachmæ ſedecim, ſandarachæ drachmæ viginti, myrrhæ drachmæ octo, piperis albi drachmæ ſedecim, caſiæ fiſtulæ drachmæ octo, malabathri foliorũ drachmæ quatuor, opij drachmæ ſedecim, omphacij drachmæ quatuor, miſy vſti drachmæ duæ, gummi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuiali excipiuntur.

**Ptolemæi illius nobilis medicamentum factum ad ſcabioſos & eroſos angulos, intenſos pruritus, defluuia palpebrarum, & hebetudinem.**

Pſorici drachmæ ſexaginta, ſandarachæ drachmæ triginta, chalcitidis vſtæ drachmæ vigintiquatuor, croci tantundem, myrrhæ drachmæ duodecim, opij drachmæ duæ, caſiæ fiſtulę drachmę duodecim, piperis drachmę quatuor, piperis albi drachmę ſeptem, omphacij drachmę ſex, miſyos vſti drachmę tres, malabathri foliorum drachma vna, gummi drachmę trigintaſex. aqua pluuialis additur.

**Collyrium malabathri oxydercicum, id eſt viſum acuens, ad circumeroſos angulos.**

Stimmios drachmæ vigintiquatuor, acaciæ, piperis albi, ſingulorũ drachmę vigintiquatuor, nardi indicæ drachmæ duodecim, opij drachmæ ſex, croci, omphacij, ſingulorum tantundem, gummi drachmæ trigintaſex. aqua pluuiali ſubigitur.

**Aliud.**

Stimmios vſti elotíque drachmę quadraginta, acacię drachmę quadragintaſex, nardi gallicę drachmæ ſex, myrrhæ drachmæ octo, croci totidem, omphacij, opij, cadmiæ, ſingulorum drachmæ ſex, gũmi drachmæ trigintaduæ. aqua pluuialis adijcitur.

**Archigenis, in primo de medicamentis κατὰ γένος, conſcripta ad oculos affectos medicamenta.**

In defluxionibus ad oculos. In principio conuenit cibus ac potus paucus, atque potus, & magis veneris abſtinentia. deinde aluũ ſubducito mulſa, & ſæpius aqua frigida, cui deinde etiam paulũ aceti mixtum ſit. faciẽ continuò colluito. aliqui chalcanthum aquę inditũ præbent ad colluendũ. Euitent odores acres, & pulueres, fumum, item ſolis & lucernarum ſplendorem, ad noctem auri lanę puræ ex vino, aut ſordidæ ex aqua frigida imponantur, & manè, vt dixi, colluant. Quòd ſi intendatur fluxio, & dolor ſuperueniat, ſanguinis miſſio cõducit, & cibi in totum abſtinentia, & ſitis, niſi vrantur, & vetris valida fluxio intendatur, aut propter conueniens medicamentum purgans, aut clyſterẽ validum. Poſt hæc autem circa frontem vitis folia viridia continenter impoſita auxiliantur, aut myrti, aut lentiſci, aut rubi ſuccus, aut braſſicæ, aut vitis folia

Defluxionis ad oculos curatio ex Archigene

cum tenui polenta, aut cupressus, sampsuchus, ocimum, sisymbrium, œnãthe, crocus domesticus, syluestris, sandarache, & rhus, mali punici flores, vitex, mali cotonei tenera folia, singula in vino & tenui polenta. Circa oculos autẽ lana pura, oui albo madida, aut oui tosti luteũ, aut melilotum in passo decoctum, asphodeli radix cum vino & tenui polenta, aut iris contrita cum vino & tenui polenta, aut rhus succus cum tenui polenta, aut ipse coctus in vino marinæ experti, aut baccæ iuniperi cũ vino & tenui polenta fronti illitæ, & ipsis oculis impositæ. Ad hęc eryngij, & fœniculi equini radix læuigata cum aqua, & cicutæ semẽ eodem modo præparatum, prosunt. Caseus mollis recens cum apij folijs illitus. aut papauer syluestre in passo decoctum, & læuigatum, illitum. similiter & melilotum in passo coctum, croci momento adiecto, liquorísque papaueris syluatici. aut panis ex vino rosaceo maceratus mirificè prodest. aut tribulo tenero obducito per se, aut etiam polenta permixtus probè facit. Et in vniuersum omne astringentium genus & repellentium in principijs, qualia sunt cicuta, psyllium, apium, solanum, lentes palustres, serpillum, sampsuchũ, folia vitis, coriandrum, portulaca, lens aquatilis, semperuiuum, papaueris syluestris folia, vrticæ. vnumquodq; horum molliens cum vino illinito. psyllium autem cum aqua, sic & lenticulam palustrem.

¶ *Ad calidum defluxum.*

Brassicam læuigatam cum tenui polenta ex aqua applicato, aut ocimi folia similiter, aut rutæ folia cum adipe anserino, aut sampsuchi folia, aut halicacabum læuem applicato. Sistunt autem multum fluxum papaueris capita, & altercum cum tenui polenta & vino, prius autem foueto hoc modo. Post vigoris immutationem, & cum tempus amplius non est astringentiũ, vtẽdum oculorum & capitis fotu. vehementer autem iuuat soluitq; inflammationes & si qua distentio fuerit, linteolum tenerum butyro madidum oculis impositum.

¶ *De chemosi.*

In quibus autem valida chemosis obuenerit, accipiens oui luteum & carnẽ muscarum læuigato, deinde vbi cerati formam acceperit, in panniculum imponito, statim quiescit.

¶ *Quod circumlinitur oculis.*

Panis mundus vstus, mixtus acaciæ & hederæ cum aqua. Ad vehemẽtes autem dolores rosam viridem, aut siccam passo madidam læuigato, & admixto oui tosti luteo, & croci quantum satis est in passo. aut polenta hordeacea, aut triticea in passo cocta. Si vero maior dolor fuerit, admisce papaueris syluestris teneri folia, aut cortices capitum papaueris, aut alterci folia instar drachmarũ quatuor, cum oui luteo. aut sisymbrium coctum in aqua læuigatum, affundens vini quod satis est, applicato. aut papaueris albi capita in passo cocta, & læuigata imponito. aut apij tenerã comã, aut pulegij tenerã comã similiter, aut peponis, aut cucumeris carnem, aut oui tosti luteũ, & croci momentum læuigati, cum vino modico illinito. Ex inflammatione autem dolentes oculos, panace ac pulegio ex vino maceratis illinito. Probè facit piceę cortex, & polenta cum vino. aut alterci folia & opium contrita illinito. aut papaueris cauliculos læuigatos, & rosam & melilotum & myrrhæ modicum, mixta & subacta oui albumine, sic illinito. Aut aloẽn, & opium cum aqua in panniculum ac-

ceptis applicato. caue autem ne instilles in oculum. In vehementibus autẽ doloribus, crocum bonum cũ lacte accipe & instillato. Ad vehementissimos autem dolores, coriandri liquorem cum muliebri lacte in oculos instillato. similiter & papaueris liquorẽ coctũ. folia platani læuigata cum tenui polenta, super oculos admoueto. In fluxionibus verò cataplasmata sunt, Cupressus viridis cũ vino, aut paliuri folia, aut portulaca læuigata cũ adipe anserino & croco, aut iris sicca cum melle. aut mannã & myrrham cum oui albumine in lana fronti imponito. Admoueto autẽ apiũ modo cataplasmatis cũ polenta. Aut felis flores vino irrigatos, aut papaueris tenera folia. Si vigilijs torqueãtur, mãdragoræ radicem, & liquorem, & papaueris folia, & polentam, æquali pondere tanquam in massam redacta, olfacienda præbeto, & dormiẽt. In magnis autem defluxionibus, pulegij recentis semen, maximè succum, vbi bene ex aceto in malagmatis formam redegeris, lanam occipitio superimponito, & leuiter illigato. nonnulli vero & papauer tenerum ipsi admiscent, aut opij paululum, aut rosam & melilotum cocta, aut amylum cum vino, aut oui albumine ocnlos obducito. Summè facit ad multas & subtiles, veteresque defluxiones & vlcera, pompholygis drachmæ quatuor, opij torrefacti oboli tres, gummi drachmæ quatuor. aqua pluuialis aut fontana additur.

*Agglutinamentum ad defluxiones.*

Similam & mannæ dimidium cum oui albumine in emplastri formam redacta, per initia panniculo fronti imponito. aut oui mollis luteum cum thure. aut cochleam cum testa vna ex oui albumine. vbi in spissitudinem redegeris, in splenio vsq; ad vtraq; tempora imponito, per se enim decidet, vbi fluxio destiterit. aut moschi malagmatis, aut barbari, aut chloræ id est viridis, aut alterius vulnerarij, ex his quæ aceto parantur, splenion fronti imponito.

*Ad vibices & hyposphagmata.*

Ad ictus, qui oculis inferuntur, & ob quos cruentæ suffusiones oboriũtur, statim per initia ad inflammationes & dolorem, facit columbę sanguis instillatus, & præcipuè ex teneris expressus alis. Item albumem oui eodem modo facit oculo infusum, deinde lana munda acceptum, & superimpositum. Rectè autem imponitur & luteum oui tosti, cum vino illitum, aut melilotum coctum ex vino eodem modo impositum. Præterea rosarum folia & flores seorsim, & simul cum vino trita tenuiq; polenta, aut brassicę folia illita. Vbi in vetustatẽ inciderint, si vibex perseueret, thure, bitumine, æqualibus mixtis, suffumigato oculum. aut hyssopi comam læuigatam accipiens, in lineum panniculum immissam in aquam feruentem, applicato oculo. sequitur enim sanguis, ita vt ex linteolo effluere possit cum exprimitur. aut nitrum & terram æthiopicã, myrrham, æqualia cum aqua inungito. aut oleæ foliorum viridium succum subũgito. aut ami & hyssopum lacti bouillo læui misceto, & subungito. aut lini semen læuigatum cum butyro. expressa per linteolum illinito, caput autem frigida perfundito.

*Curatio œdematum.*

Ad œdemata autẽ quæ oculis ex ictibus oboriuntur, plurimum confert fotus spõgia molli cõtinuè adhibitus: deinde spõgia aceto pulchrè tẽperato madens imposita: postea autem vetus sinapi tritum cum aqua, & circumpositum fre-

„ quenter, & ablatum: ſimiliter etiam naſturtium, ſed ita vt cum aufertur, loca „ continuo aqua calida foueantur.

### ¶ Ad ſcabidos oculos.

Si oculi ſcabioſa lippitudine ex ſole & puluere plurimum laborēt, aqua copioſa adfuſa, æſtate quidem frigida, hyeme verò calida, prodeſt. Confert & ſpōgiarum fotus ex aqua calente, aut lentis decocto. Ipſis autem angulis admoueto, rubi, lentiſci, myrti, roſarum ſuccum, priuatim ſingula cum aqua, aut roſas ſiccas tritas cum vino, aut flores earum, aut vinum marinę expers, & vetus oleum, & maximè dormituris. Expedit etiam in his à ſalſis, acribus, præterea & acidis omnibus abſtinere. Ad diuturnas verò & calloſas palpebrarum diſpoſitiones, amurcam coctam cum oleo tritam inungito.

### ¶ De ptiloſi.

In ptiloſi & his qui pilos nō habēt ſummè facit, & pilos reducit, acaciæ drachmæ duę, atramenti ſcriptorij ſicci, aut ſi haberi poſſit mēphitici drachmæ quinq;, ſucci porri heminæ quatuor, vini marinæ expertis heminæ quatuor. coquito vſque dum ſordium ſpiſſitudo facta fuerit, & pyxide excipiēs, vtitor. Aut muſcerdæ, & ſtercoris caprilli vſti pari portione, arundinis græcanicæ cineris duplicata. melle attico inungito. Hoc etiam milphoſin, hoc eſt palpebrarum defluuia iuuat. æruginis læuigatæ partem vnam, guttæ ammoniacæ tantundem. læuigatis attingito. Hoc ſummè prodeſt & ſcabioſis oculis. Aut cadmiam læuigatā, melle ſubactā, in olla coquito, deinde æris vſti tantundē, lęuigatis vtitor.

### ¶ De trichiaſi, id eſt pilis oculum infeſtantibus.

Supercreſcentes in palpebris pilos euellens, ſanguine cimicis ſubungito, & non creſcent. Papias Laodiceus Autolyci medicus multa diſputauit de his qui trichiaſi laborant, pilos euellens, deinde dropace illinens locum diligenter. Itē chamæleonte albo læui macerato, ſanguine ranarum viridium, quæ inter arūdines generantur, ſubungito: non enim ſuccreſcunt. aut euulſis pilis cedrinum liquorem tellinarum teſtis tenuibus læuigatis illinito. aut auis dictæ cinædi bile vtitor, aut phagri marini bile. Critonis, canis fœmellæ ſanguine. Summè facit hoc, erinacij terreſtris bilis & ſanguinis par pōdus. Bilis chamæleontis æquale, caſtorei modicum. redigito in formam ſquamarū piſcis ac vtitor, radicitus pilos euellens. deinde ſquamā vnam ſaliua oris ieiunus diſſoluens, ſubunge, & cōtine locum quaſi dimidia hora: dolent quidem, ſed nō amplius creſcent. Aut bilem hyænæ fœmellæ, pilos euellens, confeſtim ſubungito. Aut tellinas tenuiſſime læuigatas ſublinito. Aut vbi euulſeris folia cicutæ, cedrinum liquorem pari pondere cū veſpertilionis ſanguine ſublinito, & contine donec exiccata ſint. ſi enim humidum attigerit oculi, lędit. Aut vbi euulſeris, caprę bilem cū braſſicę ſucco oblinito. Dixit autem Hermias, ſpumam aquæ ſi illinatur cum dropace, ſummè auxiliari.

### ¶ De ſtaphylomatis & albuginibus.

Staphylomata auferes cantharidum ſucci illitu. Albugines ſtatim ſanat nitrum cum oleo veteri diligenter læuigatum, & illitum. aut lacertæ ſtercus. aut nycticoracis ouum illitum, tingit albugines. aut croci, piperis, paria pōdera cum eluri bile, in collyrij formam redacta, inducito. aut ſepiæ teſtam læuigatā, maceratam in melle, vſtámque applicato.

*Curatio hebetudinis & suffusionis.*

Hebetudinem omnem, aut incipientem suffusionem sanat quodãmodo fel cum marrubij succo & melle attico. Aut myrrhæ, piperis, paria põdera cũ melle, aut solano nigro illinito. Facit & cyperus reposita in ærea pyxide, aut fœniculi succum & fel taurinum liquidum pari pondere, mellis attici duplum, inungito. aut croci, piperis, æqualia pondera cum felle taurino excepta in modũ collyrij inungito. aut populi albæ succum cum duplo mellis attici illinito.

*De suffusionibus quæ hypochymata dicuntur.*

Testudinis marinæ fellis partem vnam, mellis attici quadruplum, inungito. aut fellis quod satis est cum aqua.

*Ad pterygia, id est vngues.*

Ad pterygia verò chalcanthi, salis ammoniaci, æqualia pondera, gummi dimidium. aceto redacta collyria inungito. Aut populi albæ succum cum duplo mellis læuis illinito.

*Ad glaucos & nyctilopas.*

Ad glaucos si succus solani instilletur nigros facit oculos: econtrario in patientibus nocturnam cæcitudinem, qui nyctilopes Græcis dicũtur. Iecoris hircini saniem, quæ dum assatur effluit, oblinito, & sic quidem oblinito eos, ipsum verò iecur edendum præbeto. Auxiliatur etiam sanguis columbæ illitus, aut fel caprillum. aut hepar caprillum coquito, iubetóque coopertos, in ollam inconniuentes defigere oculos, & his vaporem recipiant: ipsum verò comedendum frequenter exhibeto. hoc facito & cito æger iuuabitur. Aut elaterij obolũ, & seminis portulacæ drachmam vnam cum melle illinito. Aut onidis recentis tritæ succum subungito. Edant autem betam aut vulturis iecur tostum, aut felle inungantur.

*Ad crithas quas & posthias vocant.*

Crithas subortas in palpebris cera alba totas auferes, muscæ capite abiecto, reliquo corpore critham atterito.

# CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER QVINTUS, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

*De hypopiis, id est sugillatis.*



Ypopium, ꝙ ὑπὸ τοὺς ὦπας, id est sub oculis fiat, ex ipso nomine manifestum est, ac si quis suboculare ipsum nominauerit. Cæterum ex genere enchymomatum est. nominant autẽ sic Hippocrates, & alij multi medicorum cutis affectum, quando exiguis in ipsa venulis contusis, sanguis per contusionem effunditur nõ vno in loco, protinus in grumos totus coalescens, qui hoc modo excretus est: sed vbi, vt ipsi vocant, per diapesin, quod est subsultatione effunditur. Accidit tamen interdum si quidem ita constiterit, vt liuescat, atq; etiam tempore procedente nigrescat, exiguis nimirum grumulis ex san-

guine in multas cutis particulas dispersò, generatis. Vnde non immeritò id medici quamprimum curare accelerant, priusquam nigruerit: eò sanè curationis consilium dirigentes, vt sanguinem dissipent, non ignari ægrè posse discuti eũ, qui in grumos iam coierit. Quia verò tunica venularum, ex quibus sanguis exilit, contunditur, miscetur digerentibus medicamentis nonnihil astringentium *: si enim solam digerentem vim haberet medicamentum in principio applicatum, non modo id quod effusum est digereret, sed & per contusiones aliquid sanguinis, qui contusis venulis cõtinetur, extraheret. Quando autẽ in naturalem statum venulæ redierint, citra astrictionẽ ad digerentia medicamẽta venire tempestiuum est. Quemadmodum itaq; de alijs affectibus pleriq; medicorum indistinctè scripserũt auxilia, ita & in his sine dictis iam à me distinctionibus, prodiderũt simpliciter sugillatorum auxilia. At vos eorum memores, quæ in libris de simplicium medicamẽtorum facultate didicistis, diiudicare poteritis, quædam oportere tantum discuti citra astrictionem. Porrò in quibus modicè astringentium quiddam, necnon digerentium miscere conuenit, perspicuum est imbecilliora primum debere assumi: validiora autẽ inueteratis, & ijs quæ nigrescũt admoueri. Itaq; exempli gratia quibus ego vtor ascribam primum, deinde ad medicorum fide dignorum historiam digrediar. Vocatur autem diarhodon Nili, celebre iam olim collyrium, cuius etiam compositionem in præcedente hunc libro percensui. Hoc ex aqua super cotem ocularium conterens, sugillatum illino, decocto prius meliloti & fœnugræci fouens: deinde mox idem collyrium ex eo soluo, postea ex ipso fœnugræco. Si verò aliquæ reliquiæ affectus remanserint, in fœnugræci decocto, collyria diasmyrna appellata dissoluens illino. Conducit autem bis in die medicamentum inungere, ac simul prius decoctis calidis per spõgiam mollem fouere, in principio quidem ex vtrisque, & fœnugræco, & meliloto: cùm in vetustatem incidit, ex solo fœnugræco. Hic curationis modus vt plurimum absolutè sanat sugillata, omnino paucis ipsorũ exceptis, quibus tum diasandicos collyriũ ex vsu est, tum quæcunque à medicis conscripta sunt medicamenta, strenuè digerentia. Incipiam autem ab his, quæ ab Archigene tradita sunt in primo κατὰ γένος medicamentorum, verba ipsius ascribens: postea vero si quæ distinctio ab eo sit omissa, adijciens.

*Vetus addit, per initia

*Archigenis medicamenta ad sugillata ad verbum.*

Sugillata sanat quamprimum raphanus applicatus. aufer autẽ ipsum, quando rodere inceperit. Rectè fecit quod adscripserit eum auferendum vbi rodere inceperit. Si enim permanserit, venularum contusiones rodendo adaperiet. quapropter & per initia eo vtendum nõ est. inueteratis autẽ sugillatis, & quæ do nigrescunt, etiam si tum longiori tempore eum impositum aliquis seruauerit, magis proderit. Facit autem & caseus recens illitus. Et ipse quidem emplasticus, hoc est infarciẽdi facultate præditus est. Recẽs verò, hoc est qui salem nuper acceperit, & nondum inueteratus, mixtam habet facultatem, emplasticam quidem per se, digerentem verò & astringentem aliquam ex sale: ita vt in eo etiam per initia vti non absurdum sit. Aut cerato cum absynthio, aut succo raphani excepto, aut hyssopi coma læuigata similiter, siue cũ absynthij coma læuigata, siue succo ceratum mixtum admoueris, eandem ostendet facultatem.

Læuius ad tactum erit medicamentum, si cum succo ceratum mixtum sit. At si aut radiculæ succum, aut hyssopum ceratum acceperit, efficacius est medicamentum, quàm in principio statim admoueri debeat, nisi aut liuidum, aut nigrum factum sit sugillatum, quod & ipse deinde dicit. Summè facit ad recentia & liuida sugillata spongia in muriam intincta, & frequenter apposita, & ablata. Postea fotus frequens ex aqua calida confert.

¶Quemadmodum autem in principio ob eam, quam dixi, causam, raphano vti tutum non est: ita nec muria, eóque postea aqua calida fouere oportet, vt ea, quæ ex muria excitatur rosio, mitigetur. Neque verò in omnibus sugillatis à principio consulit vti fotu ex muria, sed in his quæ statim liuescunt. Pauco igitur tempore muria vtendum. In quibus autem aut sanguinolentus, aut subflauus, aut subpallidus est color, fugere muriam oportet. Obducito autem cataplasmate ex lomento læuigato, absynthio, hyssopo, origano, raphani cortice, vua passa abiectis nucleis, seorsim, siue cum melle, aut aceto, aut aqua.

¶Parum integrè ac absolutè prima remedia conscripsit, qui non apposuerit sermoni vtrum coctis, an crudis vti iubeat, lomento & absynthio, & hyssopo. videtur autem crudis vti iubere, cum dixerit in fine orationis, cum melle, aut aceto, aut aqua vnoquoq; prædictorũ vtendum; adiecisset enim nũc coctis.

¶Quin in eodẽ sermone persecutus tria dissimilia facultatibus medicamenta, male mihi videtur iubere cũ hoc, aut illo vti. Aqua enim minimè mordax, nõ modò in cute, sed etiam in vlceribus. Mel autem vlceribus mordax, cuti minime. Acetum verò vtraque mordet. Neque etiam raphanus vuæ passæ similis est facultate: neque absynthium, neque hyssopum, neque origanum. Hæc enim valida & digerentia sunt: mediocris autem facultatis, & rosionis ac morsus expertis est vua passa. Item bulbus albus cum ouo & melle sugillatis conducit. Flauum enim bulbum veluti acriorem in principio sugillatorum auersatur ac reijcit. Iam verò etiam mel digerentis esse facultatis nouimus, propterea videtur Archigenes mihi album oui liquorem ipsis miscere, vt quod abundè lene ac mitigatoriũ existat. Cyclaminus per se & cum vua passa bene facit. Neque hic parum discriminis inest inter cyclaminum & vuam passam, adeò vt nesciam qua ratione cyclamino sola vsus sit. * Miscens enim cũ vua passa, facultati eius tantum detrahet, quanto pondere ipsam commiscuerit. Aut nitrum cum hyssopo & vua passa melli mixtum.

* Vetus ita videtur legisse, & misceatur vuę passę. Nā per se medicamẽtũ est validissimũ, cũ autẽ miscetur vuę passę, tãtũ ei⁹ facultati detrahitur, quãtum vuæ pondus fuerit.

¶Hic sermo melior est prius comprehenso, in quo etiam solo cyclamino vti concedit, & si etiam tunc hyssopum ipsum per se admouendum consuleret, non adijciens in sugillatis admodum inueteratis, eodem modo peccaret. Myrtum cum sale & aqua sugillatis medetur.

¶Dictum à me est etiam antea in principio digerentia ea optima esse, quæ modicum astrictionis recipiunt: quod genus sunt rosa, melilotum, & crocus, non tamen ex eiusmodi medicamentorum ordine myrtus est. vtpote quæ vehementer adstringat. Quapropter ego non vtor ea: præsertim vbi iam liuidus sit color sugillatorum. Sinapi cum adipe ouillo sugillatis rectè accommodatur. ¶Inueteratis & nigris sugillatis tantum id conueniet: & maximè si non omnino paucum sinapi, quod adipe miscetur. Tamaricis folia &

fructus læuigata cum aqua, per se & simul mixta. Et hoc medicamentum nō solum digerens, sed etiam contrahens aliquid obtinet. Quapropter veteribus & nigris sugillatis non conuenit. Facit & spongia & linteolum, aceto, & melle irrigata & apposita. Hoc remedium si in principio applicetur, non multum acri aceto indiget. Procedente verò tempore & iam liuentibus ac nigris nihil proderit, nisi ex aceto quàm acerrimo præparatum sit. Aut lomentum mansum cum melle imponito. Item non mansa fabacea triticeáque farina, si cum melle maceretur, liuorem discutiet. Verum mansa redditur ad discutiendum valentissima, à saliua facultatem assumens. Oui luteum similiter. Si oui luteo mel admiscuerimus, quemadmodum antea dixit, lomentum simile prædicto efficiemus, & præparatione, & facultate. Aut porci pulmonem calidum imponito. Nemo purus homo hoc auxilium tulerit. Aut tamaricis decocto abluito. Paulo antè de tamaricis virtute dictum est. Aut cardamomum cum myrrha imponito. Digerens quidem medicamentum myrrha est, cardamomum verò acre. Hæc pauca ex Archigenis scriptis gratia exempli dicta, mihi sufficere videntur, quæ ostendunt, quomodo medicamenta disquiri debeant. Qualia quidem in principijs conueniant priusquam aut liuidum, aut nigrum sugillatum iam existat, qualia verò liuidis iam, aut nigris, aut inueteratis, ea deinceps sola secundum Archigenis sententiam exponam. Aut cerusæ & argenti spumæ æqualibus partibus melle læuigatis lomentum misceto, vt cerati formam accipiant, & vtitor. Aut serpentis exuuium cum marina tritum inungito. Aut cuminum panniculo inditum feruidum marinæ intingens in fotu adhibeto. Aut sinapi cum cerato imponito. Aut malabathrum læuigatum applicato. Aut thus & thapsiam æqualibus partibus cum rosaceo & cerato. Aut mentham & argenti spumam pari pondere imponito. Aut hordeaceam farinam cum oxymelite coctam. Aut fabam vino maceratam donec soluatur, læuigatámque in splenium accommodato. Aut cicer erui simile pari modo. Aut fuliginem, quæ ex furnis capitur cū pari portione cerusæ ex vino odoro inungito. Aut thapsiam & farinæ eruinæ triplum eodem modo. Aut carnem thymi salsam maceratam conterito: deinde in vino austero læuigatam imponito. Ad vetustiora autem sugillata, smilacis semen cum vua nigra læuigatum. Aut thapsiæ radix incisa, & succus adipe exceptus frequentérque appositus. Scriptum quidem est in quibusdam exemplaribus, non [vetustiora] comparatiue, verum excellentiæ gradu, vetustissima. Dictum autem à me est statim à principio in eiusmodi sugillatis, vehementer digerentibus medicamentis vtendum esse, qualia sunt ea, quæ in proposita oratione ab illo scripta sunt, & quædam à maioribus, vt indicatum est. Hæc quidem Archigenes tradidit. Apollonius autem simul cum distinctionibus pluribus, diligentius in primo de paratu facilibus hoc modo scripsit.

*Quæ Apollonius prodiderit ad sugillata recentia, & liuores.*

Spongia marinæ feruenti intincta, loca frequenter foueto. Aut spongia in muriam acrem intincta foueto similiter. Aut in acetum feruidum & vinum

simili modo. Imponito etiam spleniũ, & melle & aceto irrigans: aut lanam, aut spongiam. Absynthium læuigatum cum melle, lomento similiter admoueto. sic & origanum. Raphanidis cortex cum melle, necnon bulbi læuigati per se aut cum melle, & luteo oui accommodantur. Sylphium læue cum oleo & vino. Sampsuchus læuigatus cum melle. Myrrha & sal læuigata cum aceto. Fœniculum læuigatum cum cerato. Hyssopum, nitrum, cum melle & aceto. Calx viua cum cerato. Sinapi læuigatum cum adipe vitulino aut cerato.

Sampsuchus
foeniculum
Calx viua

### Ad sugillata vetera.

Ari radicem tritam & melli mixtam in linteolum illitam imponito. Vtitor etiam digerentibus facultatibus, quæ suo loco scribentur.

Ari radix

### Ad sugillata cum œdemate.

Spongiam aceto imbutam imponito, & subscriptis fomentis frequentius vtitor. Illinito autem farinam hordeaceam cum oxymelite coctam vsquedum subsidat. Cæterum iam subscriptis vtitor cataplasmatis.

### Ad sugillata cum inflammatione.

Aqua calida foueto, & lentem coctam læuem cum melle cataplasmatis modo imponito. cochleam ægyptiam contusam imponito. vbi verò inflammatio remiserit, tum iam etiam reliquis vtitor medicamentis.

### Ad sugillata cum scissura.

Scissuræ quidem, ea, quæ cruentis vulneribus adhiberi solent, imponito. Ambientibus autem partibus ea, quæ ad sugillata citra scissuram scripta sunt medicamenta applicato. Abunde igitur forsan fuerit sic de sugillatis sermonem finire. verum quia medicamenta ab experientia consentiente probata, alijs sunt firmiora, visum mihi est etiam ea, quæ à Critone in tertio Cosmeticorum libro prodita sunt, apponere, quæ ex illius sententia sic habent.

### Quæ Crito prodiderit ad sugillata recentia.

Cicutam læuigatam cum aqua applicato, absynthium tritum ex aqua, & in panniculũ illitum imponito. Si verò cutis tenera sit, mellis modicum inijciens imponito. Hyssopo * cilicio trito ex aqua, aut in panniculum illigato orbiculos fingito, atque hos in feruentem aquam immergens paulatim ad fouendum adhibeto. Bryoniæ radicem tritam cum melle imponito. Antè tritam cerato excipiens imponito. Muria acri spongias irrigans fotu adhibeto: & post hæc raphanidis corticem tritum cum melle, & in panniculum illitum imponito. Aut sinapi læue cerato exceptum, adipis vitulinæ momento adiecto, ac in panniculum illitum, imponito. Et de his quidem hactenus. Si verò inueterata sint sugillata, aut etiam liuores, subscriptis confecturis vtendum.

Cicuta
* Vet⁹. vel lycio.
Radix bryoniae

### Ad liuores & profundissima sugillata.

Cordyli partes duas, terræ samiæ partem vnam. aceto exceptas imponito,

mellis exiguo subactas. diligenter autem animaduertendum, ne quando cutis exulceretur.

### *Sugillatorum abstersorium Archigenis.*

Hyssopi cilicij drachmam vnam, radicis thapsiæ, thuris insecti, singulorum drachmam vnam, ceræ tyrrhenicæ drachmas duas, resinæ terebinthinæ drachmam vnam. liquida superfunduntur siccis: deinde in linteolum illita imponito, animaduertens ne exulceretur locus: & propterea continuè auferre oportebit. Radicis thapsiæ drachmæ duodecim, aut succi drachmæ sex, thuris insecti drachmæ octo, veratri albi drachmæ duæ, absynthij drachma vna, cerati rosacei drachmæ sedecim. emollita reponito, & vtitor illineris in linteolum: frequenter autem auferre oportet. Viticis albi, herbæ lanariæ, gl̄adis ægyptiæ, pulmonis capræ vsti, radicis asparagi, bdellij, succi thapsiæ, singulorum oboli tres. oxymelite exceptis vtitor. Seminis viticis albi, herbæ lanariæ radicis, nitri rubri, succi raphani, hyssopi cilicij, farinæ fabaceæ, singulorum drachmæ tres, glandis vnguentariæ drachmæ quadraginta, tamaricis tantundem, pulmonis capræ in cinerem vsti tantundem, bulborum rubrorum drachmæ quadraginta, radicis thapsiæ tantundem, thuris drachmæ duodecim, cerato quod ex rosaceo præparatum sit excipito, & vtitor in modum prædictum.

### *Heræ medicamentum ad sugillata, quod tribus horis, vt inquit, ea aufert.*

Inflammatione oborta prius applicandum censet caseum viridem, & pane fouendū. Aut succi cicutæ obolos tres, croci drachmas duas, myrrhæ, acaciæ, singulorum drachmam vnam, opij drachmas duas, succi thapsiæ drachmam vnam, gummi drachmam vnam. aqua adijcitur. hoc quidem Heras conscripsit. Ego verò nucem vetustate oleaginosam factam expertus sum interdum vibices sanare, eam verò diligenter terere oportet, & imponere hoc modo, homine inclinato supine, quò medicamentum maneat horis duabus & tribus. si enim ita fecerit, etiam si postea surrexerit, diu adhærebit, & oportet nimirum vbi primum exciderit, alterum statim apponere. Maluæ folia cum sale & melle læuigata, imponito. aufert ægilopas. Et chondrum coctum aceto imponito incipienti ægilopi. Aut myrti recentissimo semine obducito, quum defluxionibus infestantur. Idem facit & lemnia terra inuncta.

### De ægilope.

Inter nasi os & magnum oculi angulum, nascitur exiguum quid abscessui simile, & rumpitur subinde in angulum, vt curatu difficile fiat. Oportet igitur ipsum medicari digerentibus medicamentis, quæ absque rosione functionem obeant. nam oculus ob acria condolescit, atque ita pars affecta inflammationem sustinens, non solū autem propter hoc curatu difficilis est affectus, sed etiam quòd pleraque medicamenta humida consistentia, quæ in experientiam ducere possunt, pars non sustinet: influere enim ex his in oculum necesse est, neque vllo modo adhærere talia possunt, nisi deligatura totum oculum cir-

candet, quam ferre tot diebus, quot ad curationem requiruntur nequaquam possit. Ob id igitur Apollonius nulla quæ ad ægilopas pertinent medicamẽta scripsit. Archigenes verò vbi paucorum meminisset, deinceps eam, quæ manu fit, curationem tradidit, etsi non ad opus chirurgicum, sed id quod de medicamentis secundum genus agit, pertineat. Vniuersam igitur eius dictionem subscribam, quæ sic habet.

*Quæ Archigenes ad ægilopas in primo medicamentorum secundum genera scripserit.*

„ Nascentes circa angulos ægilopas, obducimus eruis cum melle. Aut cinere vitis aceto subacto. Probè facit & thus cum columbino stercore recente illitum. Aut succum ægilopis herbæ cum melle inungito. In his autem, quæ „ nondum perforata sunt, herbam pedicularem, & ammoniacum thymiama „ cum melle vt splenium imponito. Aut alumen scissile cum terebinthina vt „ splenium imponito. Aut leporis marini sanguine floccum tinctum imponito. Aut cretam sutoriam applicato. Si neque hoc modo conualescant, diuiso an„ gulo, & distante tenui terebello, frequentius foramina pertundito: deinde, „ cephalicis vtitor. abscedet enim squamulæ & conualescent. Vel osse denuda„ to candens ferramentum illidito, & squamulæ abscedent, & sanabuntur. Ali„ qui verò diuiso angulo ossi vbi perforatum est infundibulum tenue superimponunt, & plumbum liquefactum infundentes adurunt, & optimè consanescũt. „ Hæc quidem Archigenes scripsit.

*Quæ Asclepiades ad ægilopas scripserit.*

„ Asclepiades verò in primo exteriorum. Succi elecebrę libram semis, succi „ solani tantundem, thuris drachmas octo, mastiches drachmas tres, galbani libram semis. coquito succos cum thure, & vbi dissoluta fuerint, galbanum „ inijcito, mox masticen. *Aliud.* Thuris, myrrhæ, singulorum drachmas octo, „ ladani, cerę, aluminis scissilis, aphronitri, singulorum drachmas quatuor. con„ tundito medicamentum, & emollito irini vnguenti sedimine.

*De varis.*

Tumor exiguus & durus in cute faciei nascitur, varus appellatus, à crasso videlicet humore consistens. Indicatque sui curationem, quæ bona ratione ex medicamentis fiet emollientibus & digerentibus: durities enim ipsius emollientibus, tumor verò præter naturam digerentibus indiget. Cum igitur sæpius nunc recensuerim, & in superioribus commentarijs, & in opere de simplicium medicamentorum facultatibus materias digerentium & emollientium medicamentorum, particularium compositio ab experientia comprobata, vtilis erit vt his quæ dicta sunt, rectè varis, quæ paulò post explicabuntur, vbi prius diffiniero quinam similes varis sunt affectus, & nonnihil ab eis differunt.

*De sycosis tumoribus.*

Inter eos qui in mẽto fiunt, hic est affectus, in hoc à varis diuersus, quòd humorillum generans non modo crassus, sed simul tenuitatis saniosæ particeps sit, propter quam etiam statim exulceratur, si non vt decet curetur, ideóq; validius siccantibus, quàm vari, indiget medicamentis.

### *De impetiginosis menti tumoribus.*

Et hic affectus ex mixto quodam humore nascitur, dum & saniosi, & tenues, acrésque crassis contemperantur, facile & in scabiem & in lepram transit, qui & ipse validè siccantibus medicamentis indiget. vbi verò in scabiem aut lepram transierint, præter siccantia, quibus eget, etiam abstergentia requirit.

### *De menti eruptionibus, quæ exanthemata dicuntur seu papulis.*

Commune hoc nomen menti affectibus, vlcerosis & asperis sponte nascentibus nonnulli attribuunt, quemadmodum etiã Archigenes. siccãtia hi quoque medicamina requirunt.

### *De furunculis, qui dothienes dicuntur.*

Ex consimilibus varis humoribus furunculi in toto corpore nascuntur, genere duplices: nonnulli quidem, vt ita dicam, varosi, duri, & concoctu difficiles: quidam verò inflammatorij, ex quibus etiam febres interdum generantur, & tumor magnitudinẽ obtinet, & in pus degenerat; vnde & curatio ipsorum plurimum habet ex ea, quæ inflammationi dicata est.

### *Ex Critonis commentariis ad varos.*

Crito in tertio Cosmeticorum sic scripsit eisdem verbis, ad varos faciei. Mellis attici cyathum vnum, aut drachmas duodecim, aceti acerrimi tantundem. mixtis diligenter varos inungito, digito illinens & infricans. Argenti spumæ chemã, aut drachmas tres, terebinthinæ puræ, fabæ ægyptiæ magnitudinẽ: deinde olei albi pauxillulum adijciens. postea abstersa prius facie medicamẽti parum digito accipito, hinc vtrisque manibus contritum varis circumlinito. Illud & tensam & mundam seruat faciem. Amygdalis amaris aceto dissolutis, & diligenter tritis faciem illinito. Alumen scissile diligenter læuigatum terebinthina excipito, & emollita imponito. Costum indicum contusum, & per tenuissimum cribrum incretum, caprillo felle excipito, & in cerati spissitudinem redactum, vesperi varis illinito: & manè vbi surrexeris patienti iube, vt faciem lacte colluat. inueteratis autem varis subscriptis confectionibus vtendum.

### *Ad callosos varos.*

Saponis gallici drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis drachmã vnã, thuris tantundem. aqua dissolutis, cerati crassitudinem facito. vbi hoc faciei illeueris, interposita hora vna tepida abluere iubeto. Nitri rubri, hyssopi, pulegij, salis fossilis, æquales partes. contusis cretísq; tenuissimo cribro, cerato rosaceo exceptis vtitor. Ocimi seminis, nitri rubri, pulegij viridis, aluminis scissilis, costi indici, singulorum æquales portiones. contusa cretáq; omnia simul adipe anserino, aut gallinaceo excipito, vt cerati habeat spissitudinem. ex hoc in linteolum illinito, & imponito donec planè liberaueris. Salis tosti, pulegij, hyssopi, ammoniaci thymiamatis, rhus coriarij, singulorum æquales partes. cerato rosaceo excepta imponito, donec liberentur.

### *Ad tumentes dispositiones, & faciei pruritus, & initium elephantiasis.*

Gummi albi, spumæ nitri, thuris, sulphuris ignem non experti, singulorum

æquales partes. aceto dissoluta & diligenter trita, in pastillos conformato, siccatóque in vmbra. vbi vsus erit, aceto dissoluens inungito. cum verò siccatum fuerit, abstergito subscripta confectione. Saponis gallici, ammoniaci thymiamatis, vtriusque drachmam vnam, thuris, masliches, spumæ nitri, singulorum vncias tres. coquito saponem & ammoniacum thymiama in vas fictile coniecta, & aquæ sextarios duos. vbi dissoluta fuerint sicca, contusa, & tenuissimo cribro transmissa, inijcito, deinde transferens in mortarium & contusa diligẽter, in vase vitreo reponito. vbi verò vteris, inquinabis faciem, & post modicum interuallum abluito aqua copiosa molliter prius confricans. In varis autem vtendum est smegmate per totam varorum curationem.

*Ad ficosas menti excrescentias.*

Crito quidem in tertio Cosmeticorum de illis sic scriptum reliquit. Ad mẽti ficosas excrescentias, quemadmodum præceptor Lucius Cathegetes. Argẽti spumæ, misyos crudi, æquali pondere trita applicato. thuris drachmas duas, argenti spumæ drachmas quatuor, salis fossilis drachmas octo, chalcanthi drachmas duas, sulphuris ignem non experti drachmas duas, æruginis drachmã vnam, nitri rubentis drachmas duas. læuigata applicato. Elaterij drachmas quatuor, salis fossilis drachmas quatuor, chalcanthi drachmas duas. mixta admoueto, attingens nucleo specilli liquidum, vt medicamentum inhæreat. vbi verò medicamentum imposueris, vtendum lini semine læuigato cum aqua. Quum vlcera sunt præhumida, etenim ab illis aqua pura defluit tanquam ex fonte, vtendum subscriptis confectionibus.

*Pastillus ad ficosas menti excrescentias.*

Vsus est eo Artemidorus. reprimit verò omnes tumores, qui accidũt cũ male cicatrix obducta est, quemadmodũ in ijs quæ suturis cõmissa sũt. Cõpositio verò hæc est. Squamæ æris drachmas quatuor, chalcanthi, aluminis scissilis, glutinis fabrorum pellucidi, singulorum drachmas duas. sicca contundantur, cribrentúrque, gluten verò aceto irrigatur, & læuigata superinijciãtur liquidis. iterúmque læuigentur. & pastillos fingimus. in vsu verò aceto dissoluentes illinimus, & fistulas callo obducit.

*Magni Clinici.*

Aluminis scissilis, æruginis corinthiæ, minij synopici, chalcitidis, glutinis fabrorum, æquales partes. commisceto & vtitor in modum prædictum.

*Arii Asclepiadii.*

Minij synopici, æruginis corinthiæ, aluminis scissilis, gallæ immaturæ, malicorij, æqualia pondera, gummi duplũ. aceto exceptis vtitor in modũ prędictũ.

*Apollonii, vt Charixenus.*

Squamę æris, misy tosti, arsenici, singulorum drachmas duas, diphrygis drachmas tres, ęris vsti drachmas quatuor, chalcitidis vstę drachmas quatuor, glutinis fabrorum totidem. aceto dissolutis pastillos formato, & vtitor, vt antè dictum est.

*Andronis medicamentum probatum.*

Chalcanthi, myrrhæ, vtriusque drachmas duas, thuris drachmas quatuor, aluminis scissilis tantundem, malicorij drachmas octo, gallarum, aristolochiæ, singulorum drachmas octo. vino austero exceptis vtitor in modũ prædictum.

*Critonis ad menti impetigines.*

Post hæc ordine ad menti impetigines Crito hoc modo scriptum reliquit. Ad menti verò impetigines, turpissimum affectum: etenim pruritum excitat, & affligit patientes, & in discrimen non mediocre adducit. Nam interdum per vniuersam faciem serpit, & oculos attingit, & ferè supremæ deformitatis causa efficitur, & propterea diligentius curationi insistendum est, inspiciendo accessiones, intermissiones, ac recentia ab inueteratis discernendo, in quibus siccantibus medicamentis, vti conueniet: vbi verò in scabiem, quæ psora dicitur, aut lepram degenerauerint, præter exiccantia etiam abstergentibus, mox autē & subscriptis confectionibus vtendum est.

*Crispi Phili ad recentes menti aut alterius faciei cuiusdam partis impetigines.*

Tritici grana multa accipiens incudi alicui imponito: deinde laminam æreā ignitam tritico superimponito, & quod ex eo defluit liquidum adhuc calidum exceptū impetiginibus illinito. Hoc solo multos curatos didicimus. Maluæ syluestris semen tenerum adhuc, purgatum colligito, eo tuso succum reponito, & eo frequenter inungito. Portulacæ succum frequenter illinito. Oleæ æthiopicæ lachrymam tritam cum aqua & styracis modico, mixta imponito. Vlmi lachrymam aqua dissoluens imponito. Inueteratis autem impetiginibus subscriptis vtendum confectionibus.

*Ad inueteratas & calidas.*

Asphodeli radicem in aceto coctam & tritam inungito, viticis folia trita, aceto paulum adiecto, illinito, capparis folia contrita cum aceto applicato, lapathi domestici radicis corticem cum aceto læuigatum admoueto, vbi prius locum absterseris, chamæleontis radicem in aceto coctam & tritam illinito. Quoniam verò ad impetiginum curationem particularia multa sunt & varia, membratim de vnoquoque dicturus sum. Incipiam autem ab his, qui appellantur pastilli.

*Pastillus impetiginosis conueniens.*

Glutinis fabrilis drachmas quatuor (in alio drachmas duas) sulphuris ignem non experti drachmas duas, chamæleōtis drachmas quatuor, thuris drachmas duas, aceti heminam dimidiam. gluten aceto dissoluitur, deinde aridis superinijcitur. In vsu verò, quantum satis est aceto dissoluens, calefactum imponito. (in alijs æqualia habet) Chamæleontis, sulphuris viui, vtriusq; drachmas quatuor, oleæ æthiopicæ lachrymæ drachmas duas, thuris drachmam vnam, aceti quantum satis est. Apud alios, Alcyonij drachmas duas, chamæleontis nigri drachmas quatuor, pyretri drachmas duas, sulphuris viui drachmas quatuor, thuris, glutinis taurini, vtriusq; drachmas quatuor, aceti acerrimi heminas quatuor. Oleæ æthiopicæ, sulphuris viui, vtriusq; drachmas quatuor, alcyonij drachmas octo, aphronitri, alicæ in aceto coctæ, singulorum drachmas octo, aceti quantū satis est. Alcyonij vsti drachmas duas, chamæleontis nigri, asphodeli radicis, vtriusque drachmas quatuor, sulphuris viui, thuris, pyretri, nitri spumæ, singulorum drachmas duas, glutinis taurini drachmas quatuor, aceti quantum satis est. Si verò affectus intendatur, & iam callosus fiat, vtendū subscriptis confectionibus. Misy xenici, thuris, myrrhæ, aluminis scissilis, singulo-

rum drachmas octo, aloës, ſulphuris viui, vtriuſq; drachmas quatuor. paſſo excipito vt ſordium habeat craſſitiem, & bis, aut ter in die, loco prius abſterſo, inungito, & extrinſecus medicamenti cuſtodiendi gratia, veſicæ pelliculam, aut oui teſtam, aut viridium foliorum quantum ſatis eſt, imponito. Miſy drachmas quatuor, acaciæ drachmas duas, ſquamæ æris drachmas quatuor, ſulphuris viui drachmas ſex, chalcitidis drachmas octo, gummi tantundem, aceti quod ſatis eſt. vbi vero diſſolutum fuerit, amurcam inijcito, & diligenter cõtuſa excipito. vtitor vt antea dictum eſt. Sulphuris viui, thuris, myrrhæ, chalcanthi, miſy crudi, ſingulorum drachmas duas, gummi drachmas quatuor. aceto diſſolutis & oleo cedrino quantum ſatis eſt, vtitor ſimiliter.

*Ex Zeuxidis commentariis.*

Chalcitidis crudæ, miſy crudi, myrrhæ aminææ, ſulphuris viui, ſingulorum par modus, gummi duplum. aceto diſſoluta, cedrino oleo excipito. cedrinum vero oleum prius coquendum eſt, vt mellis habeat craſſitiem.

*Aliud Diodori.*

Lachrymarũ oleæ æthiopicæ drachmas viginti, gummi drachmas quadraginta, chalcanthi drachmas ſedecim, ſulphuris viui drachmas decem, thuris, æruginis, acaciæ, myrrhæ aminææ, ſingulorum drachmas decem, aceti quantũ ſatis eſt. ac vbi diſſolutum & læuiſſimum factum fuerit, vnumquodq; eorum amurca inſpiſſata excipito, & exceptis vtitor. Coniungendæ vero his & aliæ confectiones. Quod circumlini poſſit decoctũ ad impetigines veteres, vt abſq; exulceratione eas tollat. Chalcanthi, fœnugræci pertriti, cardamomi, ſingulorum drachmas duas, melanthij, fici teneræ foliorum, ſingulorum drachmam vnam ſemis, aceti acris quantum ſatis eſt. læuigata miſce vt mellis habeãt craſſitudinem, deinde coque, & vbi nigrum euaſit medicamentum coierítq;, tolle & inunge, eas prius abluens.

*Heraclidis Tarentini lichenicum, quod abſque exulceratione liberat.*

Polentæ drachmas octo, glutinis taurini drachmas ſex, chalcãthi drachmas quatuor, chalcitidis, ſulphuris viui, vtriuſque drachmas quatuor, aphronitri drachmas ſex, alcyonij drachmas quatuor, myrrhæ aminææ drachmas duas, aceti heminas tres.

*Dionyſii condiſcipuli, quod abſque exulceratione liberat.*

Farinæ hordeaceæ ſextarium vnum, chalcanthi vnciam vnam, lapathi ſyluestris radicis corticis drachmam vnam, ſulphuris viui drachmam vnam, myrrhæ ſeſquunciam, gummi vnciam vnam, aceti heminas ſex. lapathi radicem coquito, vbi vero diſſoluta ſit, exemptam tere. hordeaceam verò accipiens in reliquo humore coquito, vbi bene habuerit, reliqua inijcito, & exceptis vtitor.

*Socrationis decoctum.*

Alicæ pertritæ ſextarios ſex, ſulphuris viui drachmas ſedecim, miſy xenici drachmas ſedecim, chalcitidis, cimoliæ, vtriuſque tantundem, nitri ſpumæ, alcyonij, aluminis ſciſſilis, aſphodeli radicis, myrrhæ, thuris, oleæ lachrymæ, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum drachmas octo, aceti heminas tres. coquito alcyonium, aſphodelum, acetum. vbi vero ad dimidium abſumptum ſit, colato, ex colatura autem diſſolue ammoniacũ thymiama, myrrham, thus, & oleæ lachrymam: deinde terantur, mox ſicca ſuperinijcian-

tur. alicam verò coquito ex liquore, qui reliquus fuerit, & vbi dissoluta fuerit, reliquis adijcito, ac terito simul & vtitor. In alijs commentarijs sic habet, Sulphuris viui, misyos xenici, chalcitidis, singulorũ drachmæ sedecim, nitri, aluminis scissilis, alcyonij, asphodeli radicis, thuris, oleæ lachrymæ, cimoliæ terræ, ammoniaci thymiamatis, singulorum drachmæ octo, aceti hemina vna.

*Aliud valde efficax.*

Aceti acerrimi sextarij sex, farinæ hordeaceæ sextarij duo, mannæ sextarius vnus, lapathi syluestris radicis drachmæ quinque, veratri albi drachmæ decem, alcyonij drachmę quindecim, cardamomi drachma vna, cimoliæ terræ drachmæ octo, glutinis taurini drachmæ sedecim, nitri spumæ totidem, halicacabi surculorum viridium fasciculus, qui manum impleat. componito. Quoniam vero plerique facultates medicamentorum, quæ illinuntur, auersantur, malúntq; potius emplastra imponi, quæ neq; sudoribus obortis defluunt, neque exiccata cutẽ tendunt, adijciendę erunt etiã eiusmodi cõfectiones.

*Emplastra lichenica, quæ absque exulceratione ab his liberant.*

Ceræ, picis coctæ, thuris, terebinthinæ resinæ, sulphuris viui, singulorum selibra. liquida superinijciantur siccis. Thuris, aluminis, chalcanthi, singulorum drachmas octo, sulphuris viui, glutinis taurini, chamęleontis radicis, singulorum drachmas quatuor, ceræ drachmas octo, picis crudæ heminas duas. coquito picẽ, gluten taurinum. vbi coierint, ceram inijcito, & aridis superfundito, exceptis vtitor.

*Aliud, facit ad impetigines elatas, vt reprimat ea, quæ videntur reliqua.*

Mannæ thuris, picis, bituminis, ceræ, resinæ piceæ, sulphuris viui, singulorũ drachmę octo, olei cyprini momentum. coquito vt prius comprehensum est, & exceptis vtitor, ac in linteolum aut pelliculam teneram illinito.

*Aliud, sine exulceratione liberat.*

Picis brutiæ liquidæ sextarius vnus, mannæ libra vna, sulphuris viui libra vna, farinæ lupini tantundem. conficito vt indicatum est: deinde adijcito galbani vncias duas. Est admodum generosum. In alijs scripturis non habet farinam neque galbanum.

*Philoti medicamentum ad impetigines idoneum. citra exulcerationem ab affectu liberat: datum est à Philoto familiari, versibus perscriptum.*

Chalcitidis tostæ, chrysocollæ, misyos tosti, squamæ æris, diphrygis, salis ammoniaci, terrę erythriadis, singulorũ drachmę quatuor, sulphuris viui drachmę duodecim, chalcanthi, lapidis asij floris, æris combusti, singulorum drachmæ sex, sorios drachmæ quinque, aluminis liquidi drachmæ quatuor. omnia hæc læuigato, deinde aceti heminas duodecim adijciens, terito diligenter in sole quinque sub canicula diebus, donec medicamentum siccetur. Præparato autem in angusta pila thuris vnciam vnam, myrrhæ vncias duas, aloës vnciam vnam, ladani vncias tres, opopanacis tãtundem. aceto dissoluta, vt sordium habeat spissitudinẽ, & cum bene se habuerint, adijcito lęuigatis in sole, rursúmq; terito, & his adijcito contusæ incretę'que tenuissimo cribro aristolochiæ rotũdæ longæ'que vtriusque drachmam vnam. Vbi iam ea quę teruntur emplastri

figuram acceperint, adijcito quæ liquari possunt, liquefacta prius refrigerataque. Sunt autẽ huiusmodi, Ceræ drachmę cẽtũ & decem, resinæ terebinthinæ drachmæ viginti, galbani drachmæ nouẽ, olei hemina vna, & diligenter emollita excipiẽs vtitor. compositum autẽ medicamẽtum efficitur faciei idoneum. At si dispositio perseuerauerit, & medicamentis impositis restiterit, vtendum est ijs, quæ quòd faciem excorient ἐκδόρια dicta sunt. Etenim in procinctu superficiem separant.

*De medicamentis excoriantibus, ecdoria apellantur.*

Medicamentum ecdorion ad impetigines. Hoc Romæ Pãphilus vtens, multum lucri reportauit cum in vrbe morbus, quem melitagram dicimus, grassaretur. Melitagra Squamę æris drachmæ sex, arsenici drachmæ quatuor, sandarachæ drachmę quatuor, æris combusti drachma vna semis, veratri albi sesquidrachma, cantharidum ventriculorum sesquidrachma. singula priuatim terito, deinde simul miscens cedrino liquore excipito, atque vbi sordium acceperit spissitudinem, reponito in pyxide æris cyprij. vbi vsus exigit, nitrum, aceto modico impetigines abstergens, illinito, specillo vtens, & confricans. mox siccata abradito, & rursum medicamentum imponito. deinde bis aut ter vbi hoc feceris, vt leuiter abradas, rursum imponere coneris, loca illita vesicæ bouinæ mẽbrana aut alterius cuiusdam animalis, cõtegens. etenim medicamẽtũ ne defluat, tuetur, & leuis est. hac autem ablata, fasciola leuiter deligatũ medicamẽtum sinito. bonum siquidem est vt per noctem adhærescat, sin minus ad horas aliquot, vsquedum pustulæ exiccatæ fuerint, quæ saniem crassam glutinosámque contineant. deinde lauari iubemus, & extẽdere in balneo. etenim huiusmodi curationem adiuuat. Esto autẽ balneum calidũ. Quòd si hoc vti aliquid prohibeat, fotus ex aqua calida copiosa adhiberi debet: deinde abstergere oportet, & pane mulsa macerato obducere. Quòd si sordidę euaserint, Chloræ splenium imponito, pauxillũ ex medicamẽto excoriãte adijciens. At si sanies emanet, & nullum incumbit ramentum album splenium applicato, atque hac vtitor curatione, vsque dum cicatricem omnino receperit, fouens quotidie, recentique vtens splenio. Postquam in totum cicatrix fuerit obducta, & suspicio quædam relicta sit, vtẽdum est ijsdem curandi rationibus. Antequam vero excoriantia imponas, exteriores impetiginis partes, medicamenti inflammationem arcentis splenio, circundare conuenit, demulcendo cum extrema impetiginis superficie nonnullam etiam ex partibus sanis. Hæc est communis melitagræ curatio.

*Axiotii.*

Squamæ æris drachmæ sex, chalcãthi drachmæ quatuor, cantharidum sesquidrachma, veratri albi sesquidrachma, sandarachæ drachma vna. cedrino liquore excipito.

*Aliud Apij Phasci ad melitagras, quas citra cicatricem persanat. facit etiam ad inueteratas alopecias.*

Illinito autẽ in sole, vel ad igniẽ alopecias. pustula autẽ oborta acu oportet dispungere. humore iam excreto, ceratis curatiõe absoluere. post cicatricem inductam pili renascentur. atque hæc de alopecijs. Porro impetiginibus vtendum est in modum prædictum. Medicamẽtum autem sic habet. Sandarachæ

drachmę duæ, arsenici drachmæ duæ, squamæ æris drachmæ duę, veratri nigri drachma vna, elaterij drachma vna, cantharidis ventriculi drachma vna, excipito cedrino liquore. *Aliud.* Cantharidum sesquidrachma, veratri albi tantundẽ, arsenici drachmæ duæ, squamæ æris par pondus, chalcanthi drachma vna, scammoniæ drachmæ duæ, cedrino liquore excipito. *Aliud.* Arsenici combusti drachmæ duæ, squamæ cypriæ drachmæ sex, chrysocollæ drachma vna, chalcanthi drachma vna, veratri nigri drachma vna, aluminis scissi drachma vna, thapsiæ succi drachma vna, scammonię drachma vna, cantharidum drachma vna, cedrini liquoris quod abunde est.

*Emplastra viridia ad impetigines.*

Post medicamentorum excoriantium vsum, emplastra viridia & alba cõponere oportet. Bona igitur ratione & horum cõpositiones ascribendę sunt.

*Chlora qua Pãphilus vsus est in melitagra dicta post pustulæ rupturam.*

Ceræ libra vna, æruginis rasæ vnciæ sex, æruginis torrefactæ libræ duæ, olei cyathi quatuor, aceti acerrimi quantum sufficit. æruginem oportet terere in sole ex aceto. quæ liquari possunt liquefiunt & refrigerantur, deinde * arida simul refrigerantur, & liquoribus adijciuntur.

* Aliter habet vetus.

*Demosthenis Chlora.*

Ceræ libræ duæ, ęruginis rasæ torrefactæ libra vna, ęruginis rasæ vncię quatuor, olei æstate cyathi tres, hyeme cyathi sex, aceti quantum satis est.

*Herophili Chlora.*

Aeruginis drachmę duæ, mannæ drachmę quatuor, adipis vitulini drachmę duodecim, galbani drachmæ tres, ceræ drachmæ octoginta, resinæ terebinthinæ drachmæ viginti, aceti quod satis est.

*Triphonis Archaei medicamentũ, quod à bono colore εὐχροῦν appellatur.*

Aeris combusti vnciæ quatuor, aluminis rotundi vnciæ duæ, æruginis rasæ vnciæ duæ, salis ammoniaci vnciæ duæ, mãnæ vnciæ duæ, ceræ libræ duæ, æruginis rasæ torrefactæ libræ duæ, olei vnciæ decem, aceti quod satis est.

*Antonii, hoc Timocrates post impetigenum excoriationem imponit.*

Ceræ drachmę centũ, colophoniæ drachmæ ducentæ, squamæ cypriæ drachmæ duodecim, aluminis rotundi drachmæ duodecim, æruginis drachmæ duodecim, mannæ drachmę duodecim, galbani drachmæ duodecim, olei hemina vna, aceti quod satis est. Coniungendæ etiam his sunt, & alborum confectiones: etenim his vtendum est post excoriationem, vbi pura euaserint ea quæ circa excoriationem existunt. siquidem cura haberi debet, vt citra callum cicatrice obducantur, quare & his vtendum est medicamentis, quę multum lenimenti inducunt.

*Album emplastrum hydatine dictum. hoc magnus Periodeutes vtebatur ad impetiginum excoriationem.*

Spumæ argenti libram vnam, ceræ tyrrhenicæ libram vnam, olei sextarium vnum, cerusæ libram vnam, aquæ sextarium vnum. argenti spumam, cerusam, ex aqua terito. vbi læuia magis euaserint, olei momentum adijcito, teritóque diligenter. atq; vbi in vnitatem coierint, in vas fictile conijcito, igníq; imponens, diligẽter circumagito. vbi vero aqua absorpta fuerit, adijcito ceră. postquam dissoluta sunt, in pilam transfundito emollitaq; excipito, & vtitor.

*Trypbera pancratiastes inscripta. Facit ad ambusta, vt citra cicatricē liberet.*

Argenti spumæ drachmę vigintiquinque, cerusæ drachmæ vigintiquinq;, plumbaginis drachmę vigintiquinq;, ceræ drachmę sedecim, resinæ terebinthinæ drachmæ sedecim, olei cyathus vnus, aquæ tantundem. componito in modum prædictum.

*Megetis chirurgi.*

Cerusæ libræ duæ, ceræ libra vna, terebinthinæ vncia vna, argenti spumæ libra vna, olei libræ tres, aquæ sextarij duo. componito.

*Diophanti ad ambusta, & derasa. item faciem tuetur, si rosaceo diluatur.*

Argenti spumæ torrefactæ drachmæ duę, medullæ ceruinę drachmæ sedecim, cerusæ torrefactæ drachmæ duodecim, ceræ drachmæ octo, resinæ terebinthinæ drachmę octo, thuris drachmæ octo, olei cyathi quatuor. conficito vt præscriptum est.

*Mannæ medicamentum probatum.*

Argenti spumæ drachmæ centum, cerusæ drachmæ cētum, ceræ drachmæ quinquaginta, resinæ terebinthinæ drachmæ vigintiquinq;, mannæ drachmæ sedecim, aluminis drachmæ quadraginta, olei sesquicyathus. cōponito, & excipiens vtitor. cum autem impetigines atteruntur, à quocunque medicamento, maxime autem in excoriationibus, subscriptis medicamentis vtendum est.

*Confectio Menecratis, quæ quòd excoriantibus medicamentis constat, Διὰ ἐκδορίου dicitur.*

Picis brutiæ pellucidæ, siccæ, eximiæ, drachmæ duæ semis, resinæ pityinæ pellucidę libra vna, vncię tres, cerę ponticę tātundem, galbani vncię tres, aceti cyathus vnus. ea quę liquari possunt, coquito igne lucidiori, vsque dum manus non inquinent, deinde galbanum adijcito, & cum dissoluta fuerint, ab igne remouens, paulatim aceti momentum instillato, & continue agitato, aduertens ne efferuescat. ac vbi acetum consumpseris, medicamentum in pilam grandem transfundito & diligenter conterito, vt melinon colorem habeat. deinde repositum pelle alba constricta seruato. cum vsus postulat, illitum in pellem quantum ad affecta loca tegenda sufficit, imponito, ac soluens tertio die, recens applicato, vsque ad dies duodecim, vt quater interim soluatur. Cęterum squamas medicamentum separat, corpora extenuat, & solida ad excoriationes idoneas efficit.

*Quæ ab Archigene in secundo medicamentorum secundum genera tradita sint, ad eruptiones in mento, & ficosas excrescentias.*

Ad eruptiones in mēto. Myrtorū, malicorij, argēti spumę, æris floris, paria pondera cum vino illinito. In ficosis menti dispositionibus, quæ à quibusdam melitagræ dicuntur, à quibusdam feræ impetigines. Faciunt etiam huc valentiora ex ijs, quæ ad impetigines scribūtur: itē quę ad scabies & lepras. Hoc autem mirifice contulerit, chalcanthi, veratri nigri, arsenici, singulæ drachmæ, cantharidum ventriculi drachmæ duæ (nonnulli obolos tres ponunt) lęuibus vtitor ex oleo aut cedrino liquore, aut rosaceo, locum abstergens. Cum pustulæ oriuntur, has rumpens, nucleo specilli læuigato, vt medicamentum penetret mordeátque: deinde post horam fotu adhibito, ceratum rosaceum inijcito, ídque donec cicatricem acceperint, facito. Quòd si primo nō continet,

,, & bis & ter illinito. facit etiam lepris, leucis, alopecijs, & scabiei insigniter.

¶Heraclidis Tarẽtini ex scriptis ad Antiochidem ad ficosa capitis & menti œdemata, & alia in parte eminentia vlcera.

,, Elaterij & salis æqua portione, mixta vtitor. super autem lini semen crudũ ,, ex aqua accommodato. Aut ficus tenues læues. Eodem vero & ad phymata ,, vtendum est.

¶De dentium affectibus.

Dentium affectuum alij sanè omnibus euidenter apparent, quemadmodũ cum perforati fuerint, aut nigruerint, aut attriti sũt, aut neq; frigida sustinẽt, neque calida, sed ob vtrunque, aut alterum solum, dolor aliquis ipsos inuadit: alij vero non apparent manifesto in ipsis, sicuti quum æger ipse sentire se dolorem affirmat, qui in alto dentis corpore oboritur. Aduersantur enim nonnulli, dicentes dentem, quum os sit, citra dolorem affici, quemadmodum cum lima excessus ipsorum præsecare cogimur, aut ob aliam quampiam occasionẽ: de quibus paulo post tractabo. nunc enim citra rationalem naturalémque demonstrationem cogito attestari ijs qui dentem ipsum dolere pronuntiant. Etenim ego quoque dolorem passus, mentem diligenter adhibebã, ceu qui iam prius de hac controuersia audiuissem, sentiebámque manifesto dentẽ non modo dolere, sed etiam pulsare, carnibus inflammatione obsessis similiter. vnde etiam admiratus sum, an hic quoque affectus, quem vocamus inflammationẽ, in dente, qui lapideam durámque substantiam obtinet, possit oboriri. quinetiã alio tempore dentis dolore affectus, palam persensi, non ipsius dẽtis, sed gingiuarum esse dolorem, ídque cum inflammationem experirentur, vt citra cõpressionem dolerent. imò & vicinitate dentium, cum duri sint, augescere dolorem ex compressu deprehendi. Itaque ceu vtrunque sensum expertus, alium sanè in gingiuis, alium vero in ipsa dentis substantia manifesto noui, & attestor ijs qui dentes ipsos nonnunquam dolere dictitẽt. Preterea neruiqui dentis radici inseritur, dolorem excitari, interim rationi cõsentaneum est, quanq̃ idem neruus imaginationẽ confusam, incertámq; multis præbeat quasi dens ipse doleat. Etenim & hoc manifesto, mihi accidisse deprehendi: & quòd exigua adhuc doloris pars dente exempto permanet, id ob nerui inflammationem contingit, qui leuatur duntaxat inde, quòd nõ amplius tendatur, à commissura qua ossi tendenti inhæsit, liberatus, respirationémque nonnullam habeat, & ꝙ medicamina quæ adferuntur, attingat. neq; enim ex contactu, neq; ex distributione neruo inflammationem patienti mederi poteris, vt qui vtrobique à dentium stabulis constringatur: & priori parte ab ipso dente. At si liuidi per totam ipsorum substantiam dentes fieri nõnunquam appareãt, miri nihil est ipsos simile quid inflammationi sustinere: præterea magis adhuc aliquis fidem huic adhibuerit, eò quòd nutriũtur, & ferè quouis vitæ tempore incrementum accipiunt: siquidem hoc euidẽter apparet subinde in dẽtibus oppositis ijs qui exempti sunt, vtpote cũ ipsi perpetuo augescant. quantum vero augentur, tantum læuigãdis cibis atteruntur. At si nequeunt citra alimentum omnino augeri, etiam duobus affectibus contrarijs subijcientur, inopiæ, & superfluitati alimenti quod ipsis suggeritur. Inopia igitur, sicciores emaciatósq; magis, eóque tenuiores efficit: superfluitas autem, dispositionem ipsis nõnunq̃

nigruerint

Dentes excessus lima resecari

An dens dolere possit?

procreabit, carnosarum partium inflãmationi persimilem. Huius itaq; remedia erũt, eodem spectãtia, quò ea quę inflãmationes curãt: quod est vt superfluitas euacuetur, partim digerẽdo, partim repellẽdo. At tenuitatis dẽtiũ ex alimenti inopia, remediũ sanè nullum est. laxari autem necessariũ est tũc, & cõmoueri, vbi insertio non modo ipsorum dẽtium extenuatorum, sed etiam stabulorum ipsos cõtinentiũ, laxior facta est. Hæc itaq; dispositio senio confectis obuenit, aut maturius aut tardius: sicut etiam aut magis, aut minus. at quæ inflammationi respõdet, magis iuuenibus oboritur. Quapropter etiam senes adiuuandi sunt auxilio gingiuarum. vocãtur autem sic carnes, quæ dẽtes comprehẽdũt, vbi primum è stabulis suis emergũt. Cõuenit igitur eas robustiores magísque cõstrictas circa dẽtes, medicaminibus astringẽtibus efficere, tanquam & ipsæ nõnihil iuuẽt stabilitatem dentium & firmitatem, quæ ex accurata insertione prouenit. Iam & dentium foramina ex humorum acrium erodẽtiúmq; influxu fiunt, sicut & cutis vlcera, citra causam exteriorem, sed in illis quidẽ subinde, & multis accidit: in * ossibus autem raro, quæ propter duritiem minus oportuna iniurijs quàm cutis, existunt. Hinc cõstat & sanationem corporum erosorum fore, quæ prauum humorem influentem deficcet. si quidem paucus existat, auxilijs loco inductis ex siccatorijs medicamentis, quorum materiam paulo posterius persequemur: si copiosior, totius capitis prouidentia: & si hoc ex totius corporis consensu nõnunquam afficiatur, etiam illius curatione. erosos autem dentes, vt qui à mollitie hoc patiantur, reddere conuenir duriores, & minus affectibus oportunos, austeris acerbísque medicamentis: liuidos, exiccantibus, vt qui hoc ex prauorum humorum influxu sustineant. requirũt itaque curationem perforatis similiter.

* Vetus habet, dẽtibus.

## ¶De gingiuarum curatione.

Gingiuarum ex inflammatione dolentium optimum est medicamen oleum lentiscinum temperatum calorę, ore retentum. fit autem recens: nam vetustum tanto recenti deterius est, quanto vetustius. Vas in quo lentiscinum calefit, in alio maiore collocetur, quod aquam abunde calidam contineat. Maxime igitur hoc gingiuarum inflammationi cõuenit. Quinetiã si in aliqua alia parte, vtpote membrana linguam integenti, & ea quæ totum corpus succingit, dolor aliquis ob inflammationem ortus fuerit, lentiscinum illum mitigat: quippe citra molestiam asperitatémque repellit, quam plurima austera obtinent, discutiúntque citra rosionem. cuius vsus magis inflammationi obsessis existit. Nõnulli vero medicorum communi quadam ratiocinatione vtẽtes inflammata offendunt, ac semel de hac re contemplatos, in posterum semper cauere oportet. Putãt enim si astringentia solum inflammationes iuuant, repellendo id quod influit, interim etiam nõnihil eius quod in loco inflammationẽ sustinenti continetur, exprimendo ad venas particulam nutrientes, verisimile esse id quod valentius astringit, magis opitulaturum: sic etiam id quod digerit efficacius, magis profuturum arbitrantur, eo quod modice id efficit, nõ cogitantes id quod ex vtroque ipsorum intensum est, dolorem inflammatis particulis cõciliare. siquidem particulæ ab astringentibus valide, simile quid contusioni patiuntur, dum substantia ipsarum violenter contrahitur: ab acribus autem erosioni quid persimile. merito igitur moderatum in vtroque præstan-

tius est immoderatis. hæc igitur abunde à me comprehensa sunt.

### *De dolorum dispositionibus deinceps agam.*

Dentibus dolorem expertis citra gingiuarum inflammationem, interim in ipso proprio corpore dolorem, interim in neruo fieri contingit. vehementissimorum itaque medicaminum vsus est, siue repellere aliquis, siue discutere doloris causam volet, siue humor, siue flatulentus sit spiritus. atq; ideo plurima ipsorum ex aceto parantur acerrimo. Ascribam autem ordine etiam ea quæ ab alijs tradita sunt, ab ijs quæ Archigenes reliquit, exorsus.

### *Quæ Archigenes ad dolorem dentium prodiderit.*

Dentes autem dolentes aceto calido acri cum galla colluantur. Aut halicacabi radice cum aceto & galla. Aut tedis pinguibus in aceto subferuefactis. Aut myrti ramusculis, & cum pice in aceto tepefactis. Aut alterci semine & folijs cũ aceto aut cedrino liquore. Aut propoli, aut nardo, aut solano, aut succo ipsius, aut cappari, aut allijs, aut myrti ramusculis in aceto feruefactis, aut vini fæce calida, aut polij folijs, aut etiam ipsa herba, aut cucumeris syluatici radice, aut marrubio, singulis ex aceto, cum nitro & pipere, aut chamæleontis radice similiter, aut hyssopo, aut herba pedicularia, aut ruta cum vino, aut pulegio cum oxymelite, aut platani pilulas, aut rosas siccas incoquito vino albo, vsque dum tertia pars consumpta fuerit, deinde hoc habeto, in vase seruãs, in vsu frequenter ex eo os colluens. idem facit & quinquefolij radix quæ à quibusdam eupatorium dicitur in vino decocta, vel pulegij decoctio. Aut cornus ceruini in posca decocto multum colluito. Aut brassicæ caules tres, & soreos drachmæ duæ, in aceti sextario decoquuntur. vbi ad tertias peruenerit, colluito. Summe autem facere dicit ranæ in aceto, & aqua probe decocti ius, in ore diu retentum. mirabiliter valet si dentem caninum cõbustum tritumq;, deinde aceto calido incoctum, in ore contineas. Aut malicorium & gallã aceto incoquens vtitor. Aut scillã aceto calido, aut scillæ medullam minutim concisam cum sextario aceti in vas conijciens, stercore asinino defodito vsque ad dies triginta, & vtitor. Aut lacte asinino colluito. Hoc etiam nobiles confirmat. Aut halicacabi corticis, & tedæ in aceto restinctę, colluito permultum iure decocti. Aut cornus ceruini in oxygaro decocto, aut aceto colluito. Aut tithymalli radice in vino vsque ad dimidias decocta colluito. Aut alterci radice oxymelite cocta colluito. Aut tedarum rasuris, malicorijs, alumine rotundo, aut scissili in aceto coctis vsque ad tertias, tepidis colluito. Aut helxinæ radicem aceto incoctam vsque ad tertias contineto. Vbi autem saliua os repletũ fuerit, hoc aperto, finito deferri. Aut allijs, & alexandrina arundine aceto peracri decocta perluito. Aut hyssopo, aut thymo, aut origano per se & simul cum aceto decoctis eluito. Aut pyrethro cum hyssopo, & cucurbitæ syluestris medullæ similiter in aceto decoctæ ius diutius in ore cõtineto. Aut cucurbitam syluestrem, quam vino calido maceraueris diutius cõtineto, educit enim copiose pituitã & * locũ leuat. Aut alliorũ, & erucæ seminis, nitriq; decocto, aut ranũculo in vino cocto dentẽ circũpurgatũ perlinito. Aut sycamini hoc est mori lac, in vinũ effundito, simulq; lanas succidas ex primito tepefaciẽs, lanisq; sordidis, molari dẽti infundito. extrahit pituitã & dolorẽ aufert. In his omnibus Archigenes enumerauit medicamẽta incidẽtia, digerẽtia, & calefaci-

*Vetus dolorẽ addit.

entia, raro astrictorium aliquid admiscens, quale est medicamentũ gallæ. At q̃ semel solanũ positũ sit, miratus id sum, cum nulla ratione iuuare possit, præterquam si forsan, qua etiam medicamenta colica, ei quod dolorem sopit admiscentur. Quid igitur adhuc mentionem faciam paratu facilium medicamẽtorum Apollonij, cum ferè omnia inter ea quæ Archigenes prodit, comprehẽdantur? Quia vero Apollonius nonnullis quæ ipse conscripsit, attestatus est subito dolores dentium sedare, satius visum est mihi & illa ascribere, quæ ad verbum sic habent.

*Apollonii quod statim dolorem dentium sopiat.*

Alliorũ nuclei quinq;, thuris masculi oboli tres, myrrhę ramusculi duas palmas æquãtes duo. his folia adepta priuatim terito, similiter & allia, & thus, deinde hæc simul in recentẽ ollã inijciẽs, & infundẽs aceti heminã vnã, coquito, cõtinnè agitãs rudicula tedacea, quousq; ad dimidias peruenerit, & sic tepido vtitor. oportet autẽ liquorẽ supra locũ dolentẽ diutius tenere. hoc fieri debet vsq; dũ liquor fuerit cõsumptus. Cęterũ vtile fuerit etiã ante collutionẽ, balsami liquorem, aut corticem imponere denti dolorẽ experto: sin minus, panacis liquorem contusum leuiter, ac sinere vt humor defluat.

*Post commemorata, Archigenes tradidit remedia dẽtium perforatorum, dolentium & non dolentium, in hunc modum.*

Circumlitionibus & epithematis huiusmodi vtitor, Sori ægyptiũ resina terebinthina exceptũ circũlinito, & foramini ĩponito ipsũ, aut cõpositionẽ ex duobus piperibus dissoluẽs ipsam nardino aut rosaceo, maximè autẽ amygdalino, & in aurẽ eiusdẽ lateris instillato. hoc summè facit. Aut sulphur viuũ cũ lycio excipiẽs foramini ĩponito, aut circũlinito dolẽti prius purgato. Aut comã pulegij tritã dẽti imponito. In maximis autẽ dentiũ doloribus, summè facit hoc, Serpẽtis exuuium combustũ, & ex oleo mellis soluti faciẽs spissitudinem, dẽti purgato circũlinito, ac omnes partes ambiẽtes illinito, foraminiq; imponito. Aut exuuio non combusto dentes attingito, & excident. Aut terræ intestina torrefacta in foramen inijcito, dente purgato. Aut oua araneorũ cum nardino vnguento dissoluens imponito. Aut melanthium torrefactũ ex oleo circumponito, & paulum ore coniuente, sinito pituitam effluere. Aut piper, aut cachry opio excepta foramini imponito. In inflammato autem, nitrum rubrũ & persicorum ossium medullam, in vnitatem coacta, resina excipito, & circumlinito dentem, sinitóque donec excidat: foramini autem piper, nitri spumam & galbanum cum melle imponito, aut corticem cum pipere similiter, aut pyrethrum cum myrrha, aut liquorẽ cyrenaicum, & piperis tantundẽ cũ galbano, aut melanthium & allij dimidium, salísque modicum, collæuigata, circumlinito. doloris expertes reddit. Aut blattã pedentẽ ferã in rosaceo calefactã, in aurẽ instillato, & foramini indito, aut galla lęui cũ cedrino vtitor, aut in aurem dolentis partis sesamelion, cui terræ intestina incocta sint, instillato. denti autẽ dolenti altercum mandendũ exhibeto. aut hederæ albę capreolos quinq; cum rosaceo terito, & in malicorio tepefacto bis aut ter die in dolẽtis partis aurem instillato. ipse autẽ fructus cũ vino leuis illitus dentem iuuat.

Post hæc Archigenes illa quoque scribit: summè enim facit & cruentis gingiuis, si liquido alumine cum duplicata aloe attingas. aut scissile & myr-

to læuissimis affricato. Vbi astrictę fuerint, melle illinito, aut persicorũ macherorũ partes duas, myrrhę partẽ vnam, dentibus circũpurgatis imponito, dolorẽ aufert. Confractis autẽ & dolentibus dẽtibus, ferramentũ candẽs imponito.

*De cruentis gingiuis.*

Post prędicta Archigenes ita tradidit. Apophlegmatismi, hoc est medicamẽta pituitã per os educẽtia, optima ad dẽtium dolorẽ. Herba pedicularia mãsa per se, & cũ pulegio. aut gallæ interius nigrũ dente mordeat dolẽte & sinat pituitã defluere. In oppositã aurẽ instillato hederę duos capreolos, cũ rosaceo læuigatos. aut tamaricis fructus drachmas duas, aphronitri drachmã vnã, aluminis momentũ, alliorũ nucleos quinq;, myrti folia pauca cũ aceto, mouẽs ridicula tedacea, coquito vsq; ad dimidias, datóq; colluẽda & ore cõtinenda. deinde hiãtes pituitã sinant defluere, paulo pòst rosaceo oleo, vbi dẽtes colluerint, ptisanã ad sorbẽdam dato. Quòd si quędã ex collutione circa os fuerint exulcerata, croco & rosarum succo perlinito.

*De fomentis.*

Fomenta ad dolorẽ dentiũ benefaciunt extrinsecus, quæ sale fricto cõstãt, aut milio in sacculos iniecto, aut quę sordidis pãniculis probè calefactis fiũt; vel etiã epithemata, quę sine aquis fiũt, vt quę farina cruda cõstãt, siue hordeacea fuerit, siue lini semen. cum autẽ ipse dens dolet, fomento ita vtendum est. Origani sicci ramusculum in feruidum oleum intingens dente superillinito. aut herbam pediculariam in aceto tinctam; aut ceram dolenti parti imponẽs nucleo specilli calidissimo continue attingito. aut opopanacẽ & liquorẽ peucedani æquali portione vnita linteolo illigato, & in feruido oleo liquefacito. Cũ autẽ medicamẽtũ feruere cœperit, dẽti ĩponito, apprimitóq; molari. vtitor manè & vesperi, & quẽadmodũ dixi fotu, & extra & intus, ante cibũ & pòst cũ nõ multo spatio interposito vtitor. species etiã fomẽti est huiusmodi. Vbi dẽtẽ pbè vndiq; purgaueris, cõtegerísq;, & affectũ hiare coegeris, alterci semine suffumigato. Quòd si nulli prędictorũ remediorũ cedat malũ, infestat autẽ validè dolor, tenui terebra dẽte pforato, cõmemoratis vtitor pśidijs. cõsueuit enĩ hoc pacto magis auxiliari. Quòd si ne ita qdẽ abierit, & visũ fuerit dẽtẽ auferre, citra dolorẽ tolles medicamẽto admodũ cõuenięti hoc. Pyrethrũ acerrimo aceto ad dies triginta macerato, terito, reponitóq;. vbi vsus postulauerit, reliquos cera obductos & securos redditos, ipsũmq; dolẽtẽ, vbi purgaueris, circumlinito medicamine, deinde hora interposita digitis soluito, aut stylo excipito. aut sori cũ aceto peracri ad multos dies applicato & excidet. aut plũ[illegible]ginẽ lębẽ cerato exceptã ĩponito. Educit validè tithymalli liquor & sori cũ galbano si applicetur.

*Quæ Apollonius in primo de facile paratu medicamentis tradiderit.*

Primũ sanè ipsorũ caput est, ad dẽtiũ dolores collutiones, quę nihilo plus habent, quàm quę Archigenes scripserit; secundũ ad dẽtes erosos dolẽtes, epithemata, & illitus, tertium pręterea, fomẽta & vstiones ad dentium dolores, quartum suffimiña ad dentiũ dolores; quintũ quę mãduntur, quęq; purgãt dentes. prętereа sextum gargarizationes ad dentiũ dolores. septimũ caput scripsit ad dentiũ dolores quæ auribus infunduntur, quorũ nullius mentionẽ adhuc faciendã cẽsui, cum ei qui librũ volet perlegere, nõ admodum sit cõparatu difficilis. Mihi certè ab Archigenẽ scripta sunt abunde. At quum Apollonius tradidit medicamenta, quæ naribus infunduntur, visum mihi est ea apponere.

¶ *Quæ naribus infunduntur ad dentium dolores, vt Apollonius in primo de paratu facilibus tradidit.*

Betę radicis ſuccũ ipſum per ſe naribus inſtillato, & dẽtiũ dolores ſolues. cu mini quantũ tribus digitis cõprehẽdi poteſt, & myrrhę fabę inſtar, cucumeris medullę duplicatã portionẽ. Trita & lacti muliebri mixta, in collyria cogito, imponitóq; vtriſq; naribus, deinde iubeto ſic attrahere, q̃to tẽpore quis ſtadia quinq; poſſit perficere, poſtea extergere medicamẽtũ. hoc etiã ad auriũ dolorem valet. ¶ *Ne dentes eroſi confringantur, neq; fœdum odorem excitent.* Veratri nigri erui inſtar, in melle coctũ ĩponito. ¶ *Ad dẽtes nigros.* Teſta calaina toſta lęuigatáq; dẽtes cõfricato. Sic autẽ gingiuas cõfirmat. *Aliud.* Salẽ foſ ſitiũ melle cõſperſũ torrefacito prunis ex vite. trito myrrhę momentũ miſceto ac vtitor cõſimiliter. *Aliud.* Pulegij partẽ vnã, ſalis tãtundẽ. hæc cõ ſperſa aq̃ torreto ſimul, donec in carbones redigãtur, & læuigatis dẽtes cõfricato. *Aliud.* Caricas cõburẽs nardíq; exiguũ terẽs & melle ſubigẽs vtitor. hoc etiã gingiuas cõprimit. *Aliud.* Polentã aceto q̃ acerrimo maceratã cõburito. lęuigata dẽtes cõfricato. hæc quoq; gingiuas confirmat. *Aliud.* Alabaſtri cõbuſti drachmæ octo, pumicis cõbuſti drachmę quatuor, ſalis torrefacti drachmæ tres. læuigatis ſimiliter vtitor. collutione ex his vtẽdũ eſt, vino odoro, in quo iris arida diutius antè maduerit. ¶ *Quæ Aſclepiades tradiderit ad dentes in primo interiorum.*

Heraclidis Tarẽtini ad dẽtes mobiles. Vtendũ eſt ſpodio cyprio, reprimẽdo gingiuas, verbaſci radicibus incoctis, deinde eluere oportet aq̃, aut myrti, aut rubi, aut lauri: deinde ſpodio attingẽs, cõquieſcere iubeto. *Aliud.* Veratri nigri faſciculũ, mãdragorę radicis drachmas quatuor, alterci radicis tãtundẽ. in vas fictile cõiecta, & vini chij heminas tres, aut coi q̃ prę̃ſtãtiſſimi, coquito in prunis grãdioribus. vbi pars dimidia relicta fuerit, liquorem exuccatum, ore cõtinendum dato. ¶ *Aridum ad dentes mobiles.*

Terebinthi fructus torrefacti drachmę octo, aluminis ſciſſi tantundẽ, balauſtij drachmę duę, gallarũ, croci, myrrhę, ſingulę drachmę. lęuibus vtitor. *Aliud.* Cornu ceruini cõbuſti drachmæ octo, rhus rubri drachmæ quatuor, omphacij drachmę duę, balauſtij drachmę quatuor, picęę corticis drachma vna, myrrhæ aminææ tantundem. læuibus vtitor.

¶ *Collutio ad molarium dolorem.*

Smyrnij radices in oxymelite coquito. liquorẽ colo trãſmiſſum, ore cõtinẽdũ dato. *Aliud.* Lapathi ſylueſtris radices, & platani pilulas ex oxymelite coquito, & dato vt prędictũ eſt. ¶ *Quæ manduntur ad molarium dolores.*

Cachryos drachmas duas, origani tãtũdẽ, piperis albi drachmã vnã, vuę paſſæ gneſiæ, aut alterius pinguiſſimę ſextariũ dimidiũ. vnã diligẽter cõtundito. ſmyrniũ melle diſſolutum adijcito vuæ paſſę, & myrrhę mixta in malagmatis formã cogito. cũ vſus poſtulat, nucis auellanę magnitudinẽ mãdendã dato. humoribus autẽ cõgregatis, ægrotãtẽ hiare oportebit, & deorſũ ſpectare, vt humor facile defluat. poſt medicamẽti vſum, vino abluere adhortator. *Aliud.* Vuæ paſſę pinguis ſine granis ſextariũ dimidiũ, piperis albi acetabulũ, cocci gnidij drachmas duas, ſpicę nardi tãtundẽ, caſię drachmã vnã, pyrethri drachmas duas, myrrhæ totidem. præparato in modum prædictum. ¶ *Ad dentes eroſos.*

Medicamentũ præſeruãs. Hoc vſus dẽtes eroſos citra dolorẽ cõſeruaui. Gin-

giber cũ oxymelite coquito, tritũmq; diligẽter foramini imponito, & circumobstruito. *Aliud*. Hederæ lachryma galbano mixta, aut liquori tithymalli, aut ficui siluestri. per colũ transmissis vtitor, vt prædictum est.

*Aliud Anodynon ad dẽtes dolore infestatos, erosósq́; est & tussi efficax remediũ.*

Liquoris papaueris drachmę duę, piperis albi triti cribratíq; drachma vna, myrrhę drachmę duę, styracis drachmę duę, galbani drachma vna, passi ad excipiẽdũ quod satis est. cõtundito simul, & in catapotia redigito, denti circumlinẽs, & foramini imponito. *Aliud*. Alterci succi drachmę duę, myrrhę drachmæ duę, opij, galbani, styracis, gĩgiberis, singulorũ drachmę duę, piperis drachma vna, liquoris syriaci tantundẽ, passi quantũ vsus postulat. prẹparato, & vtitor in modum prædictum.

*Compositio ad molares bona in multis admiranda.*

Oleæ lachrymæ drachma vna, myrrhę drachmę duæ, veratri nigri drachma vna, opobalsami seminis drachma vna, styracis drachma vna, piperis drachma vna, alterci drachma vna, papaueris drachma vna, castorei oboli quatuor, galbani drachmæ sex, liquoris cyrenaici drachma vna, liquoris carpasi drachma vna, panacis drachma vna, sagapeni oboli quatuor, pyrethri oboli quatuor, staphis agrię drachmę duę, cedrini liquoris qđ satis est, vt emplastri accipiat spissitudinẽ. *Aliud*. Sulphuris viui drachmę q̃tuor, bituminis drachmæ duæ, amurcæ drachmę quatuor, picis liquidę drachmę octo, cedrini drachmæ duodecim, piperis drachmę quatuor, opij drachmę quatuor, staphis agriæ drachma vna, veratri nigri drachma vna, cocci gnidij drachma vna, opopanacis drachma vna, picis aridæ libra vna. arida aceto excipito: deinde ea quę liquari possunt, adijcito, & excipiens vtitor, medicamento dentem molarem circumlinens.

*Ad dentes mobiles vt citra dolorem conquatiantur.*

Pyrethrũ in acetũ inijciẽs sinito ad dies tres quatuórve, deinde tritũ imponito dolẽti denti, vicinis abstinẽs. oportet autẽ purgari diligẽter, sicq; circũponere medicamentũ, ídq; ad dies tres, aut quatuor, hoc pacto enim citra dolorẽ conquatietur. *Aliud*. Cucumeris syluatici radices prẹparato vt pyrethrũ. vtitor in modum prædictum.

*De dentibus mobilibus & excidentibus.*

Dictum à me est antea quoque nonnullos senij vitio vacillare, siccescentes, qui parum ex gingiuis astringentium medicamentorum vi contractis auxilij recipiunt. dicetur autẽ etiam nunc, quomodo nonnulli icti confirmati sunt. Sunt autem qui etiam citra ictum laxentur, in quibus neruum, qui in radices ipsorum inseritur, multa humiditate madentem conijcio, eóque medicamentis siccantibus curari. Quoniam autem videbam eos qui mouebãtur alijs fieri prominentiores, & præsertim cum ex ictu affecti fuerint, tantum ex eis lima auferendum censui, quantum supra alios eminerent, ne inter differendũ, mandendúmque, in eos qui aduersa parte habentur, impingant. Cum itaq; experientiam mihi attestantẽ deprehendissem, limam è ferro feci, vt celeriter actionem perageret: nam diutius ea adhibita, dentem, qui immobilitate indiget si firmandus est, concutit. Interim igitur dentium excessus inæquales apparent, cuius ratione limaturam requirunt: interim extremum æquale obtinens, æqualem etiam limam postulat. Oportet aut molli linteolo gingiuis vsque ad den-

tium radicem circumposito, leuiter ipsos sinistræ manus digitis comprehendere, secure simul & citra compressionem, ne limando concutiantur, itaq; administrationem manu aggredi. Quòd si dolorẽ percipiat dũ lima circũducitur, & nõ continetur, vehemẽtius digitis dens affectus, cessare sanè statim oportet. admouẽto autẽ interea, ex medicamẽtis quæ enumerabũtur. rursus limã inducere vti dictum est, exiguóq; interposito spatio vsq; dum dentis extrema abijciatur, idq; faciendũ est nõ primo solũ die bis & ter, verũ secũdo, ita vt ægroto iniungas ne quicq̃ loquatur, neq; durum cibũ assumat. Vtendũ autẽ alimẽto est cremore ptisanæ, sorbitiõe ex chondro pane intincto, atq; huiusmodi mollibus. At materia eorũ quæ mobiles dentes iuuat huiusmodi est.

*Quæ Archigenes ad mobiles dentes tradiderit. Cratyntica dicta.*

Quòd si mobiles dẽtes voles sistere, myrrhæ, põpholygis, lẽtisci, amyli, æqualibus portionibus. læuigatis attingito. Aut oliuarũ albarũ succũ & rutam melli mixta, affricato, deinde circũlinito nardino cũ alumine liquido. Aut alumẽ rotundũ cũ sale duplici dẽtibus circundito. Aut aluminis scissi, misyos, æquali portione, cũ cedrino liquore ad liquidi cerati spissitudinẽ dẽtes inũgito, finitóq; pituitã effluere. deinde lacte asinino calido, aut aceto, aut vino in quo malicoriũ, & gallam decoxeris, colluat. *Ad dentes infirmos, aut molares.* Mel, ceram, æquali portione solue in aqua calida, picísq; dimidiũ admisceto. Et vbi in emplastri spissitudinem coegeris, dato mãdẽdũ. si autẽ siccũ euaserit, olei momẽtũ admisceto. summè facit etiã mastiche chia si mandatur. in stupore portulacã mãducent, aut oleum calidum ore contineant.

*Quæ Archigenes de dentientibus conscripserit.*

De infantibus dẽtiẽtibus si dolore infestẽtur, canino lacte gingiuas circũlinito. Aut leporis cerebello si infantis gingiuas illeueris, statim dẽtes producit.

*Quæ suspenduntur collo remedia ad dolorem dentium, fide digna hæc sunt.*

Si dẽtibus dolẽti ranunculi folia brachio eiusdẽ lateris quã dolet imponas, dolorẽ quidẽ aufert, sed brachiũ exulcerat, quod curabis vt cõuenit. At si dentiens puer dolores experiatur, veteris limacis cornu illigatũ pelle suspẽdito.

*De doloribus gingiuarum.*

Vbi gingiuę laborãt collutiones sanè benefaciũt prope oẽs, quę ad dẽtiũ dolorẽ scriptę sunt. Veruntamẽ peculiarius facit acetũ, in quo radix alterci efferbuerit. Gingiuas inflãmatione sustinẽtes, alumine cũ salis quarta parte. læuibus attingito. post morsũ verò vino aut oleæ foliorũ decocto colluatur. At in ijs qui defluxione tẽtatur erodũtúrq;, cũ tumore laxo, dolore, & cũ veluti depastionẽ sustinẽt, sũmè facit fomẽtũ. oportet aũt fouere lana specillo circũligata. ac ĩ feruidũ oleũ intĩgito, gingiuísq; admoueto donec adęquent, albę'q; ambiẽtes partes euaserint, sic enim sistitur depastio, & quod ex sana carne erosum est nutrit. Post hęc autem vtitor confricationibus, & ijs quæ superius ad dẽtes conscripta sunt. peculiariter iuuat galla lęuissima acetabuli mẽsura cum myrrha fabæ instar. vtitor siccis læuibus. Quòd si enascens dens molestè reprimat pũgatq; gingiuas, cyperũ cũ butyro & vnguẽto susino quã exoritur vngito. In gingiuarũ vitijs, epulides dicũtur, chalcantho, & myrto, æqualibus cũ exiguo alumine attingito. Benefaciũt etiã cõplures antheræ. *Quæ præseruent dentes.*

Quæ dentes præseruent à dolore, Archigenes ita ad verbũ conscripsit. In

dentiũ doloribus huiuſmodi cõueniũt ad præſeruationẽ. Tithymalli radicibus in vino ad dimidias coctis bis menſe colluito, & nunq̃ dolebis. pulchrè cõſeruat à dolore etiã validos dẽtes, ſi faba ægyptia ſine interiore amaro eã læuigãs dẽtes cõfrices, & gingiuas ſemel in anno. Aut alumine ſciſſi, cũ momẽto myrrhæ cõfricato, & nunq̃ erodẽtur. Quòd ſi autẽ cõſtringãtur, melle vtitor. Aut baccas iuniperi tenues, & cypreſſi folia, pari portione, gallę exiguũ cũ melle cocto paſtillos vnius drachmæ fingito, & vtitor. prius mãdito, deinde vino odoro colluito. Aut iridis illyricæ nucis auellanæ inſtar mãdito, & ſimiliter colluito. Aut abſterſis ſale, immaturã gallã vino odoro incoctã mãdito. Optimè faciunt ad dolorũ præſeruationẽ, gingiuarũmq;, & dentiũ robur, necnõ recentia etiã ſubſcripta ſmegmata. Lanas ſuccidas linteolo illigatas cõburito, deinde ſalis tertia parte admixta, læuibus abſtergito. Aut vulpis capite cõbuſto læuigato. Aut ſale & melle lęuigatis vſq; ad cerati ſpiſſitudinẽ, & puro linteolo illitis cõbuſtíſq;, deinde iride illyrica exigua admixta dentes abſtergito.

*Quæ Andromachus prodiderit ad omnem dentium dolorem, Mylice, hoc eſt ad dentes molares compoſitio, eadem hora dolorem finiens.*

Piperis, pyrethri, liquoris tithymalli, galbani, ſingulorũ drachma vna. læuigata excipito galbano, & foramini eroſo imponito.

*Myletice Antiphanis, etſi nõ purgaueris imponito & dentem circumſpergito.*

Alterci ſeminis, opij, nitri, myrrhæ, pyrethri, piperis, ſingulorum drachma, galbani drachmæ duæ. ex vino læuigatis vtitor.

*Alia Mylice qua vtor.*

Aluminis ſciſſi drachmam, piperis albi drachmas duas, opopanacis, aut piperis longi obolos quatuor, ſoreos obolos quatuor, gummi macerati in aqua drachmas duas, ceræ totius ponderis duplicatam portionẽ. conterens in aqua calida admixta, ſic vtitor.

*Alia Cherea.*

Myrrhæ drachma vna, veratri ſeſquidrachma, pyrethri ſeſquidrachma, aluminis ſciſſi oboli tres. ex aqua lęuigatis dentẽ circumlinito, & ſuperius cerã imponito. *Alia Mylice ex commentariis Aphrodæ.*

Aluminis ſciſſi drachmæ quatuor, myrrhę oboli tres, piperis grana quinq;. ego autẽ obolos tres inijcio, & probè facit. reſina excipito prius dentẽ expurgans, imponito in foramẽ, & ſplenium intinctũ accõmodato. *Alia Mylice eiuſdẽ.* Etiã nõ purgato dẽte, foramini ipſius imponito, & ſuper medicamẽtũ ſpleniũ inducito. Benefaciunt alterci ſeminis, liquoris papaueris, myrrhæ, nitri, pyrethri, piperis albi, ſingulæ partes, galbani partes duæ. ex aceto læuigatis vtitor.

*Alia ex commentariis Aphrodæ.*

Liquoris peucedani drachma vna, liquoris papaueris drachma vna, tithymalli myrſinitæ, liquoris cyrenaici, ſingulorum drachma vna, galbani ſeſquidrachma. galbano excipito, & foramini imponito, purgatũmq; ſplenio illinito. hora vna dolorem finit.

*Alia Mylice bona.*

Alumine ſciſſili meconio excipiens vtitor. imponito & circumlinito.

*Alia Mylice, vt Ariſtocrates.*

Panacis drachmæ duæ, ſagapeni ſeſquiobolus, liquoris cyrenaici tantundẽ,

piperis drachma vna, ſpondylij, myrrhæ, galbani, pyrethri, croci, ſingulorum drachma vna. mel additur, vt ſordium fiat ſpiſſitudo.

*Ad dolores dentium & gingiuarum, item ad multa alia, Ariſtocratis grāmatici.*

Mellis libra vna, aceti acris ſextarius vnus, aluminis ſciſſi vnciæ ſex (alij liquidi ponunt vnciæ quatuor) coquito vſque dum nigreſcant.

*Ad mobiles dentes.*

Aluminis ſciſſi pars vna, mannæ pars vna. læuibus vtitor, aſpergito dentem mobilem.

*Ad dentium eroſionem & dolores.*

Quinquefolij radices cum vino coquito. dato ad colluendum, & cum cibo decoques ad tertiam partem. *Aliud.* Lapathi radices cum vino, aut aceto coquito, arſenicum læue inſpergens. modicum ſucci dato continendum. coquito vſq; dum ad tertias peruenerit.

*Ad gingiuas ex humiditate flaccidas.*

Pyrethri drachmę tres, thymi drachmę duę, aluminis ſciſſi oboli tres, iridis illyricæ drachma vna. læuigatis vtitor, & gingiuis imponito.

*Pythii ad dentes mobiles, gingiuas flaccidas, exiguas corruptiones.*

Alumen rotundum chartæ inuolutum comburitur, deinde læuigatum minio coloratur. his attingito gingiuas, & imponito corruptionibus.

*Deocleis medici ad dentium dolores.*

Galbani, opij, piperis, cerę, ſtaphis agrię, cocci gnidij, ſingulorum drachmā. læuigatis cera excipito, & circumlinito.

*Ad dentes eroſos aliud appoſitu vtile.*

Liquorem ſylphij imponito, aut ipſam radicem, aut galbanum cum pipere, aut opium cum galbano, aut opopanacem illinito.

*Ad dentium dolores.*

Soreos drachmæ duæ, aluminis ſciſſi drachmę duę, miſyos drachma vna. ſicco vtitor.

*Smegma quo vtor gingiuas reprimens.*

Cornu ceruini combuſti libræ duæ, lanarum ſuccidarum tenerarum vnciæ tres, ſalis ammoniaci vncię quatuor, piperis albi vnciæ duę, coſti vncia vna, aluminis ſciſſi vnciæ duæ, lentiſci & perdicij herbæ cōbuſtæ cum lanis, aut priuatim quarta pars, malabathri foliorum vncia vna. contuſis ſimul vtitor.

*Quæ Crito memoriæ prodiderit ad omnes dentium affectus: quædam etiam ex his & ad gingiuas, ad oris fœditatem, & dentes in ſuperficie nigros.*

Ordeum & ſalem melle vinóq; immerſa chartæ illigato, & cōburēs lęuibus gingiuas fricato. *Aliud.* Chalcātho, alumine, corticibus dulcis mali granati, pari pōdere. lęuibus gingiuas ieiunus cōfricato, deinde vino aſtringēti colluito.

*Aliud ad exulceratas gingiuas.*

Nitri combuſti, cyperi combuſti, vtriuſque par pondus. læuibus ex melle circumlinito.

*Aliud ad gingiuas & dentes mobiles.*

Iridis vnciæ quatuor, piceæ corticis vnciæ quatuor, aluminis ſciſſi vncia. ſicco vtitor.

*Aliud ad dentes mobiles.*

Lentiſcū, myrtum, gallā in vino coquito. dato ad colluendū. *Aliud.* Salis par-

tes duæ, aluminis scissi combusti & restincti in aceto acri pars vna. læuibus vtitor, deinde vino colluito.

### ¶ Ad dentes mobiles vt firmentur.

Chalcanthum tritũ ex oleo attingito, radices lana. Bene facit & ad erosos dentes cera exceptũ & impositum cũ myrto æquali, *tritũ & melle exceptũ.

*Deest aliquid.

### ¶ Ad dentes mobiles.

Cortex Ulmi

Vlmi corticem in vino coctũ fac vt ore contineat, & rami in vino decocti. Ad erosos vero dentes, capparis radicem cum aceto acri coquito ad dimidias, & tepido colluito. aut corticem similiter. idem facit & ad dentium dolores.

### ¶ Aliud fomentum dentium erosorum & dolentium.

Sulphuris ignem non experti partem vnam, butyri partem vnam. liquefactis foueto per specillũ. *Aliud ad dentium dolores.* Cinerem lixiuum lacti mixtũ accipiẽs contineto in ore supra dentem ad modicum tempus. Conuenit applicari & in gingiuarum doloribus.

### ¶ Alia Mylice, eadem hora dissoluens.

Piperis, pyrethri, tithymalli liquoris, galbani, singulorum drachma vna. leuigata galbano excipito, & denti imponito. *Aliud.* Piperis sesquiobolus, cocci gnidij tantundem, galbani sesquidrachma, aphronitri oboli duo, croci sesquiobolus, ireos siccæ sesquiobolus, rosarum tenerarum drachma semis. trita melle excipito, & vbi in emplastri figurã redegeris, dentẽ molarẽ circumlinito.

### ¶ Ad molarem erosum.

Melanthium sine nigella.

Melanthium torrefactum tritúmque ex aceto acri applicato foramini molaris, & nõ amplius erodetur, sed manebit vti est. Alij vero & nitri drachmam ex aceto acri ponunt. *Ad idem.* Castorei, pyrethri tosti, galbani, æqualem portionem vniuscuiusque. mixta imponito.

### ¶ Ad dentem molarem, vt citra dolorem tollatur.

Farinæ ciceris purgatæ drachmæ duæ, conspersa liquore tithymalli, denti imponito, & superius hederæ folia, & vbi horam siueris, remoueto, & sua spõte conteretur. probe facit hoc & ad erosos dentes. ceratum autẽ vbi vsus postulat emollitum circumponito.

### ¶ Aliud vt digitis dentem amoueas, probe prius purgatũ.

Soreos, gallarum immaturarum, herbæ pedicularie, aluminis scissi, sulphuris viui, piperis longi *, læuigatis liquorẽ cedrinum misceto. Ceram liquidam pulchrè denti oblinito. Eijcit autẽ ipsos & pyrethrum, tithymalli myrsinitæ liquor cum farina eruina vt adipis spissitudo fiat illitus. Aut pyrethrum quadraginta diebus in aceto maceratum, illitúmq; denti.

* Deest, par modus.

### ¶ Aliud ad conuulneratos.

Castorij, pyrethri, opij, galbani, singulorum æqualem portionem. mixta imponito.

### ¶ De dentifriciorum compositione quibus vtor.

Dentifricia

Nõnulla ex dẽtifricijs, quę ego cõposui, vsu probata, notáq; generosam obire actionẽ, visa mihi sunt digna, quę literis mãdarẽ, ac primũ ea quę frigidis dispositiõibus dẽtiũ medẽtur, siue ex frigidę potu imoderato, siue fructibus à niue refrigeratis, aut cibis quibusdã, potúq; sint procreatę, insuper & ex humore frigido è capite in ipsos dẽtes influẽte. Itaq; ex humore perfrigeratos vehemẽ-

teradiuuat apophlegmatiſmus, hoc eſt medicamẽtum pituitã per os educẽs. Quomodo is parari debeat, alio capite priuatim ſcriptũ habes. Eos autẽ qui citra humorẽ, ſolo nũc cõmemorato medicamẽto curare oportet, vtiq; eo etiã poſt apophlegmatiſmum ſatius eſt, vt non ſolum noxium humorem euacues, ſed etiam diſpoſitionem ab eo contractam perſanes. Compoſitio medicamẽti hoc pacto fit. Duæ herbæ ſumptæ, quarum alia ſideritis, alia perdicias nominatur, ſiccantur domi ſenſim citra ſolis obiectum, vt neq; humidæ adhuc, neq; ſiccæ exiſtant, vruntúrq; adeo, vt quamprimũ idoneæ fiant quæ tondãtur, incidantúrq; & ceſſent vri. corrũpitur enim facultas ipſarũ ſi plurimũ fuerint adustæ. in alia autem ollula comburẽtur ſales foſſitij cum alumine rotundo, atticomelle conſperſi, deinde cum alijs hæc mixta contũdentur, & increta probè tenui cribro rurſus cõterentur. præſtantius enim erit medicamentum, quãto exactius fuerit læuigatum. vti autem eo oportet ſolos dentes fricando abſque gingiuis adiacẽtibus, niſi hæ fuerint flaccidæ. nam medicamentum vim habet ſiccatoriam. idoneum ſanè eſt gingiuis humidis, contrarium autẽ ſiccis. Attamen radices dentium poſt gingiuas eo perfricare conuenit, quemadmodum etiam ipſos dentes. Cæterum eorum quæ ad huius medicamenti compoſitionẽ miſcentur, talis eſt temperatura. Herbarũ, vbi combuſtæ fuerint drachmæ ſedecim, ſalis cõbuſti cũ alumine drachmæ vndecim. Sit autem herbarũ æquale pondus quod miſcetur anteq̃ comburantur, ſal quadruplo alumẽ ſuperet, aliorum verò nullũ vratur: arida inijciantur prout ſubſcripta habet temperatura. Origani comæ drachmæ duæ, piperis drachmæ nouem (in alio drachmæ duæ) pyrethri drachmæ duæ, coſti drachmæ tres, apij ſeminis drachmæ tres, iridis illyricæ drachmæ quinq;, menthæ ſiccæ drachmæ duæ, cornu ceruini aut capręcõbuſti drachmę duę, ſeſeleos, hyſſopi, ſingulorũ drachmę duę. ſi odorũ ipſum eſſe voles, caſię, aut amomi drachmas duas miſceto: ſi regi præpares, cinnamomi drachmam vnam inijcias. ✻

### Ad mobiles dentes, quo vtor.

Callitrichi ſeminis libra vna, aluminis ſciſſi & rotundi, ſingulorũ vncię tres, ſpicæ nardi vnciæ duæ, foliorũ vncia vna, piperis albi tantundem, pyrethri drachmæ quinque. contuſis lęuigatíſque ſimul omnibus gingiuis vſque ad dentium radices attingito.

### Timocratis dentifricium.

Ad gingiuas flacceſcentes molarium cruentas, mobiles dentes, cũ alios, tum molares, ozęnas, putredines, parotidas, omnia oris vitia, dentium dolores. Hęc recipit, Perdicij herbæ modiũ italicum (in alio minam) ſalis albi tenuíſque ſextarium, mellis ſextulam. cõtũdito, vt congeries reddatur mollior: deinde iniecta ollæ recenti luto fictili oblinito. operculũ autem habeat quod in medio peruiũ ſit, per quod moueatur rudicula ex pruna toſta, donec neq; fumus, neq; vapor ſurſum efferatur. deinde vbi ab igne tuleris, capito ex eo drachmas quatuordecim, piperis albi drachmas quinq;, piperis nigri drachmas ſex, pyrethri drachmas ſedecim, aluminis ſciſſi extinctíq; vino auſtero drachmas duas, pumicis, myrrhæ, hyſſopi, apij ſeminis, pulegij, ſingulorũ drachmas duas, mẽthę, iridis illyricæ, ſingulorum drachmas tres. hæc pridie in ſole ſiccata, cribratáq; miſceto ei quod prius in olla læuigatũ erat. *Aliud*. Perdicij recentis drachmæ

decem, mellis, aluminis scissi, iridis illyricæ, singulorũ drachmæ quatuor, piperis albi drachmæ octo, nigri drachmæ tres, pumicis drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ tres, pyrethri drachmæ duæ, mẽthæ siccæ drachmæ tres, hyssopi drachmæ duæ, pulegij drachmæ duæ, apij seminis tantundem, sideritis herbæ drachmæ tres, salis fossitij drachmæ quatuordecim. perdiciũ, sideritidem, mel & sal macerata vrito, alumen autẽ scissile per se vstũ vino restinguito, deinde omnibus simul cõtusis vtitor. *Aliud*. Salis tosti ex melle cũ perdicio drachmæ quatuordecim, aluminis scissi tosti vino austero extincti, iridis illyricæ, singulorũ drachmæ quatuor, helxinæ, myrrhæ, menthæ siccæ, singulorũ drachmæ tres, pulegij sicci, pumicis, pyrethri, hyssopi, apij seminis, singulorũ drachmæ duæ, folij tantundem, piperis albi drachmæ quinq;, nigri drachmę sex. contusis cribratísq; vtitor. *Aliud*. Salis tosti ex melle quod cum perdicio fit drachmæ quatuordecim, pulegij drachmæ duæ, aluminis scissi tosti & restincti vino austero drachmæ quatuor, iridis illyricæ drachmæ quatuor, piperis albi drachmæ quinq;, nigri drachmę sex, pumicis drachmæ duæ, myrrhę drachmæ tres, mẽthæ tantundem, pyrethri, hyssopi, apij seminis, singulorum drachmæ duæ. sal elotus melle probè subigitur, tritus ollæ recẽti imponitur. deinde perdicium imponere conuenit, in medio sali ipsi inspersо. postea operculo imposito, luto oblinitur, & in fornace torrefit, exempta teruntur vnà cum sale. admodum læuibus vtitor.

*Smegma dentium, vt albi bonique odoris fiant & non erodantur.*

Nitri vncia vna, sepiæ testarum tantundem, myrrhæ vncia vna. læuibus vtitor. Dentifriciũ optimũ. Aluminis scissi vnciæ sex, mastiches vncia vna, rosarũ comę drachmę tres, iridis vncię quatuor. lęuibus vtitor, & aqua calida colluito.

*Damocratis dentifricium inscriptum.*

Damocrates libellum quẽdam qui dicitur esse Pythici, inscripsit Pythicon, ab eo qui ipsi dedit stomaticorum medicaminũ cõpositiones, nomine desumpto. in quo circa finem & hæc tradidit.

His dentrificijs conseruabis candidos
Dentes, innocuos, & gingiuas flaccidas
Humore pariter deprimes, oris grauem
Tolles odorem. sic album facies probè,
Cornu accipies ceruini quod combusseris
Quater libras quaternas, & vnam salis.
Sic reppери scriptum in alio exemplario.
Cornu accipies ceruini quod vsseris
Denas libras & senas, sextantem salis
Ammoniaci sicci quod non amaricat,
Chondri libram vnam, mastiches chiæ libram,
Costi libras tres, aut etiam paulo amplius,
Albæq; lentisci tot, piperis candidi
Vnam vnciam, folij malabathrini duas.
Tusis pila omnibus, & incretis simul
Vti iubebis vt dicam post paulolum.
At si voles ad gingiuarum phlegmonem

Et vulnera, excreſcentiaſque carnium
Calloſas aliquando parare, aluminis
Pondo libram vnam adiunge reliquis ſciſſilis.

*Aliud Damocratis dentifricium.*

Hoc autem fieri poterit promptius,
Necnon iuuare plurimum, cum vtentium
Quadam voluptate. Herbam ſideritidem
Admodum viridem, nouo & grandi fictili,
Recentis ordei pauxillum condito.
Deinde cũ faſciculum ipſius herbæ vſſeris,
Conſperge ſalẽ, mox herbam iterũ, hinc ordeũ
Rurſus. frequenter hoc cum feceris, reple
Ventrem ollulæ totum, herbæ quantum ſufficit
Rurſus ſuperindens, furno calido, aut clibano
Poni iubeto totam noctem vt torreant.
Quin potius vrantur, quò facile conteri
Cribróq; poſſint incerni, ſed gratia
Odoris adde piperis albi paululum,
Thuriſq; momentum, lentiſci plus, boni &
Cyperi. Cum autem hæc omnia auferes, Chiæ
Duntaxat adde plus ſiccatæ maſtiches.
Ad veſperam volentibus dari debet.
Mane, licet purgatis iam viris, eo
Colluere, poſt medicamentum ſumptũ, iuſſeris
Fac potione vini diluta vtier.
Sub veſperam potiſſimum, mane dabis
Ex oxymelite temperato inſigniter,
Aduerſus oris fœdum odorem maxime.

¶*Aurelii.*

Alumẽ combuſtum in lebete æreo, & fictili, reſtinguito vino auſtero. ex hoc accipito maſtiches vncias ſex, thuris vnciam vnam, folij drachmas quatuor, cyperi tantundem, & vtitor.

¶*Aliud quo vtor.*

Cornu ceruini cõbuſti drachmæ duę, marmoris vncia vna, origani drachmę quatuor.

¶*De medicamenti compoſitione quod dentes conſeruat.*

Tragorigani drachmæ duæ, hyſſopi drachmæ quatuor, perdicij herbæ, tyberiæ conſperſæ melle & ſale tenui, vſtæq; in lebete, vt in carbones redeat, vnciæ tres, piperis drachmæ quatuor. conterito cribratóque hoc, in vſum repoſito. neque dolebunt dentes, neq; conterentur, neque gingiuarum carnes ſanguinem emittent, neq; excreſcent, neque fluxione tentabuntur. habebis autem os bene redolens, & dentes candidos. quidam pilos crematos adijciũt medicamento, aut talum. Priuatim enim ſi quis vtatur cinere, non dolebit, &c.

# CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER SEXTVS,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

Viua vox, magis afficit.



Erus sanè sermo est, qui à plurimis artificibus celebratur, non æquale, neque simile esse, à viuáne voce discas aliquid, an ex commentario legas. quanquam industrijs, & natura prudentibus, haud vulgaris sæpe vtilitas prouenit, cũ in libros dilucidè conscriptos incidunt. Cum igitur intelligam & ego, primum certè familiari, qui etiam ex operibus didicerunt, quantam vim rationalis methodus ad medicamentorum facultatem habendam obtineat, non parum commodi ex hoc prouẽturum opere: cúmq; desiderem alijs quoq; id obuenire, qui in optimis laborem non detrectant, huius disputationis enarrationem institui, non succinctam, neque compendiosam, in ea disciplina, sed exporrectam, longiorémq; aggrediens, qualem in disputationibus citra scripturam frequenter ad familiares facere consueui. Differt enim rationalis auxiliorum inuentio, ab ea quæ experientia nititur, vt etiam prius iam in neruorum vulneribus à me comprehensum est, generali facultatis medicamentorum cognitione, quibus in singulis vti affectibus conuenit. Nam in medicamẽtis, quæ, quod ori adhibentur, stomatica à Græcis dicuntur, quale est quod ex moris conficitur celeberrimum, primus curationis modus cõmunis est omnium partium, quę inflãmationẽm experiũtur: deindè alter peculiaris ex ipsa parte, quæ curatur, petitur. Quæ igitur inflammationem experiuntium sit dispositio, cognitum prius habere oportet, si indicationem quandam auxiliorum simus accepturi. didicimus autem antea, & demonstratum habemus, inflammationes ex calidi sanguinis influxu fieri: item didicimus id quod influit, per initia quidem reprimendum repellendúmq; esse, nisi ad nobilem quampiam particulã recurrat, aliúdq; maius aliquod malum excitet. Verum huiusmodi distinctionum in præsentia vsus nullus est: nam ceu meminerimus totum prius corpus præparandum esse, vt affectus qui in particula quacunq; consistunt curentur, ad institutũ perueniemus. Etenim sanguinis demissione vtimur, purgatione, & clysteribus, & inedijs, cum totum corpus apparet plethoricum, aut malis humoribus obnoxium. Quòd si neutrũ horum fuerit, ad curationem, quæ locis adhibetur, statim descendimus. Quomodo igitur ea quæ oris inflammationibus pulchrè medebuntur inuenire oporteat, præsens hic sermo mox te edocebit: item quomodo inuentis decenter vtendum sit. Quemadmodum igitur vidistis me familiaribus medicis, consilium de medicamentis, quæ dispositionibus medebuntur petentibus dicere, fieri non posse, vt is, qui medicamenti vim qua operando iuuat ignoret, rectè eo vtatur: ita nimirum in inflammationibus, quæ in ore constituuntur, communis omnium ipsarum scopus, si indicationem, quæ ex particulæ natura capitur, assumat, inueniet primũ sanè medicamentorum genus, quibus vti conuenit, deindè particulares in ipsis differentias, si simplicium medicaminum vires prænoscat, vt iam sæpe osten-

Ratio, et experientia.

Stomatica med.ta

Inflammationum origo.

ſum eſt. Itaq; genus medicaminum repellentium in inflammationibus incipiẽtibus, materia refrigerantium comprehẽditur. Ex his autem ipſis quum duplicia ſint, vt didicimus, quæ poſſunt aſtringere efficaciorem vim obtinent, qua id quod influit citius repellant. ineſt autem ipſis & contrahendi vis denſandíque corporis, cui admouentur, ſuperficiem. Cõmunis igitur ſcopus hic eſt, quo incipientes inflãmationes prohibeant, ab affectu per indicationem inuẽtus. alter autem à particulæ quæ curatur, natura ei accedit, cum ſciamus nos oris tunicæ ſuperficiem non paulo cute totum corpus ambiente rariorem eſſe molliorémque, ineſſe etiam aliud quiddam, oris partibus duplex, quod cutis non habet: nempe medicaminum, quæ adducuntur, inſuauitatem, & ſubiectos duos meatus, per quos in ventrem & pulmonẽ ex medicamentis ſtomaticis aliquid poteſt defluere, quale eſt etiam diachalcanthu, id eſt ex chalcantho preparatũ. Ac quidam medicus neq; imprudens neque imperitus facultatum medicamẽtorum, cum hoc ſtomatico miſcuiſſet, multo valẽtius reddidit, quod nocet admodũ cum aliquid ipſius ad ſtomachũ aut fauces defluxerit, atque hæc nimirũ ipſa etiam per eadem ad ventrem, aſperam arteriam, & pulmonem. Ineſt autẽ medicamento in guſtu inſuauitas, quæ in vſu ipſum moleſtat, & toto die perſeuerat, vt in eſu ſit dolorifica. Itaque tam validis ſimul & vim quandam lethalẽ habentibus vti non conuenit, ei qui oris diſpoſitiones curat citra magnã neceſſitatem. Non enim de inflammationibus ſolum eſſe dictum ſermonem exiſtimabimus, quoniam neq; ex harum indicatione ipſum inuenimus, ſed cõmunẽ eſſe omniũ oris affectuum, qui indicationem à particulæ natura ſortitus eſt. Hæc igitur conſiderans ijs qui medicamentum ex ſucco ſycaminorum cõpoſuit, primum ſanè ipſum cum melle coxit, vt id repoſitum in promptu per totum annum haberet: non ſolum eo tempore, quo fructu expreſſo, ſucco ipſius vti licet. Præſtantior enim ſolus in inflammatione incipiente exiſtit, ac me frequenter in eiuſmodi inflammationibus vti conſpexiſtis, perſeuerantior enim, qui ſeorſim cum melle præparatur. Nominaui autem ipſum perſeuerantiorem, non ſolum quòd citra coctionem cum melle repoſitus citò corrumpatur, vt non amplius nos eo ſubſequenti tempore vti poſſimus; ſed etiam quòd vtilior exiſtat ad ſubſequentia inflammationis tempora, vſque ad abſolutam curationem. Vt enim per initia medicaminum id quod influit repellentium vſus eſt: ita poſt initium ad finem vſque mixti cuiuſdam ex vtriſq; repulſorio & digerente. Verùm primis temporibus id quod aſtringit præpollere oportet: in fine autem id quod digerit: in medio equalem horũ portionẽ eſſe vtrorũq;. Cũ vero reliquiæ quædam inflammationis, veluti in ſcirrhum induratæ remanſerint, neutiquam digerenti aſtringens mixtum eſſe oportet, ſi corpus totũ nõ fuerit euacuatum: nec tamen initio aſtringenti digerens ſatius eſt miſcere. At qui medicamentũ ex ſycaminorum ſucco compoſuit, exiguũ videtur & croci & myrrhæ ipſi commiſcuiſſe, quæ quidem cõmunem vim inflãmationis cõcoctricem obtinent, propriam autẽ vtrunq;: crocus quidem aſtrictoriã; myrrha autem calefactoriã adeò, vt abũde diſcutiat. Etenim hæc magis quàm crocus vſq; in altum corporis pertingit, ſubtilis ſubſtantiæ compos; atq; hinc dũplicem vtilitatem exhibet, vt que ſimul cum ea mixtorum vires adducat: quæ autem inflammatione tentantur, vſq; in altum perſanet. Quinetiã mutuo ſibi

opitulātur & crocus & myrrha vt in āltum pertingāt, ille ſanè veluti myrrhā impellens: hęc vero manu, vt ita dicam, crocū deducens. ſicut enim crocus ſubſtantiam minus ſubtilem, quàm myrrha propter aſtrictionem obtinet: ita myrrha cum ſubtiliorē habeat, citius quidem vim ſuā in altum trāſmittit, celerius autem ad cutem recurrit, ea, quæ in alto ſubtiliata ſunt ſimul educens. Hanc igitur ipſius celeritatem reditus, aſtringentium miſturæ prohibent: & non ſolus crocus. quippe inſunt medicamento quod dicitur ſtomaticum diamoron, tum ſycaminorū ſuccus non exiguè aſtringētis qualitatis virtutiſq; particeps: tum alia quæ admiſcentur, quando validum quis medicamentum fieri voluerit. Hæ igitur aſtringentia deducuntur quidem à myrrha, hanc autem illa ſimul impellunt, atq; ſic inuicem auxiliantur, vt virtus ipſorum longius perueniat. Porrò vidiſtis me frequenter medicamento diamoro per initia rhus ſuccum aut vuæ immaturæ, quem propriè vocant omphacium, miſcuiſſe: horum autem penuria, roſarum florē, aut ipſas aridas, balauſtium, mali punici florem, cortices ipſius aridas, gallam immaturam, præterea piceæ corticem & thuris, ſuccum hypociſtidos & lentiſci, ſummatim omnia aſtringentia quæ vim corruptricem, quam nominant deleterion, ſpeciem quandam lethalium exiſtentem non habent. Didiciſtis enim non quodlibet lethale ſtatim eſſe etiam deleterion. Quēadmodū vero initio inflammationis, talium miſtura valentius efficit medicamētum ſtomaticum, ita cū fluxus ſubſtiterit, nullius huiuſmodi priuatim vſus eſt. nam abunde tunc eſt, ꝙ crocum & myrrham ad inflammationem concoquendā aſſumpſerit: vt cū fuerit cōcocta, miſcemus iam & aliquod digerēs, ſicut ſubinde me conſpexiſtis nitri ſpumam inijcere, & interim ipſum quoq; nitrum, quod eſt tenue, ab omnibus iam bernitium appellatum, inſuper & ſulphur quod, quia ignis expers eſt, apyron vocitant, nonnunquā & ſapam, cui incoctum fuerit nunc origanum, nunc hyſſopum, nunc aliud quoddam ſimile, nempe pulegiū, ſatureia, thymus, calamintha & domeſtica & ſylueſtris: ita nimirum ipſo diamoron medicamētō rectè quis vtetur, numero generaliū intentionum vſum ipſius immutans. Quouſque ſanè aliquid influit, hoc repellendum eſt: ſi id conſtiterit, concoquentia adhibere, deinde digerentia oportet. Cōſtat enim quòd, qui hac vtitur methodo, & ſimplicium medicaminum vires cognoſcit, nunquā deſiderabit auxilia, ſiue venetur in mōte, ſiue aliquod opus in agro adminiſtret, ſiue in itinere quādoq; preparata deſint medicamina vt Eraſiſtratus ſcripſit ſe ipſum curaſſe, ad rubi ſuccū cōuerſum, cū in eo loco Andronium medicamentū deeſſet. Cognoſcens enim & ipſum Andronium in aſtringendo curationis precipuum obtinere, materiam quęſiuit aſtringentem: non vt Serapionis & Menodoti ſectatores aiunt, empirica vſus ſimilis tranſgreſſione. in hac enim, vobis oſtendi plurimam ſucci rubi, diſſimilitudinem cū Andronio paſtillo exiſtere, pauciſſimā autem ſimilitudinem, in hoc ſolo quòd aſtringant. Verum qui generalem vim quam vocant vniuerſalē, nouit, in quacunq; materia hanc inuenerit, audacter illa vtitur. multa vero copia huiuſmodi materierū habetur, quibus omnibus vti licet, modo eas ſolū fugiamus, quę nimis inſuauem quandam vim corruptricem occupant. Ita igitur & ego medicamentum ex viridium nucum ſucco præparaui, neque conſpicatus aliquē præceptorem, neque ſcriptum inueniens, cuius vim expertus ſum, multū alio-

rum stomaticorum facultatẽ superare. alia autẽ dico tum quod ex moris, tum quod ex batinis conficitur, sic enim nominant rubi fructũ, & tertiũ quod ex musto, quartũ quod ex mali punici succo, & quintũ quod ex astringẽtibus malis paratur, quorũ optima sunt cotonea, & struthia appellata, deinde ad propositum vsum, quæ cestiana Romanis dicũtur. cõposita autem ex multis eiusmodi sunt, quæ ex fructibus parantur.

## *De stomatico diacaryon, hoc est ex nucibus præparato.*

Ego autem cum primum ex Alexandria in patriã reuerterer, in agrum profectus, offendi quendã hortulanũ virũ, vua, paristhmijs & tõsillis suffocari. Vsus autẽ est collutiõe mulsæ in qua rosæ fuerant decoctæ. Cõspicatus igitur vigẽtem nucum fructũ, iussi exteriore ipsarum cortice detracto, quo etiã tinctores vti videram, statim contusas in pila, per linteolũ succũ percolare, ignorans quam haberet crassitudinem, aut tenuitatem. Cum autem deprehendissem ipsum aquosum & substantia tenue, hortulanum iussi ex eo gargarizare: vbi nimium tenuis apparuit, mellis prius decocti momẽtũ admiscui, vt in medicamento diamoron misceri noueram. cúmque ad mellis spissitudinem coxissem, reliqui hortulano vtendum. At cum vidissem celerrimum hinc ei subsecutum auxilium, satius putaui in multis experiri, atq; hinc probatione sufficiẽte virium medicamenti accepta, perpetuo vsus sum queãdmodum nouistis. Mirari igitur mihi subijt de prioribus medicis quòd nullus ipsorum succo hoc & paratu facili & generoso, vti cogitauerit, idque presertim cum viderẽt quomodo manus eorum, qui nuces virides excorticant tinguntur, hinc enim apparet qualísnam ipsarum succus, & quàm elui cõtumax existat astrictio, vt ne generosissimis quidem abstersionibus elui possit. Preterea magis medicos demiratus sum, quòd cum tinctores nucum corticibus vtentes viderent, nõ considerarunt validam ipsarum vim existere. Nisi enim alto manuũ insideret, aut per totam lanarum substantiam immergeretur, haud ægrè posset elui. cum autem penitius descẽdat, tenuem succi substantiã esse innuit. maximè vero astrictionem iuuare ratio est, cum in tali continetur substantia. Etenim quæ crassiorum partium sunt, astringentia, contrahẽdo astrictione, densandóq; corporum ipsorum quibus adhærescunt superficiem, vsq; in altum corporis permeare se ipsa prohibent. Quibus enim etiã alioquin ob substãtiæ crassitudinem in altum penetrare nõ licet, his adhuc minus licet corpore densato, totũ id, quod inflammatione obsidetur, adiuuare. Præstãtissimum igitur succum nucũ persuasus, cúmq; gustassem ipsum cum melle coctum nihil insuaue obtinere, in quatuor semper portiones diuisi, immitto. nanq; primæ compositioni nonnihil astringens, secundę myrrham & crocum, tertiæ sulphur viuum nitrúmve, quartam vero solã seruo synceram puerísq; vtilem futurã propter dulcedinẽ, ac viris animo solutis, & mulieribus. Ego igitur ratione ductus, sicut neruorũ vulnerum curationem, ita hoc quoq; medicamentum omnium prẽstãtissimum offendi. Est etenim etiã ex batinis medicamentum, valentius eo quod moris cõficitur: sicut & hoc eo prẽstat, quod musto paratur: verum omnibus his prẽcellit, quod nucum succo cõnstat, in exordijs quidem inflammationum vnà cum ijs quæ valide astringunt, præparatum: in vigore, si croci aliquid aut myrrhæ assumpserit. Quin etiã solum interim mediocres inflãmationes medicari

poteſt. Vbi verò digeri oportet id, quod ex humore inflammationem efficiẽte fuerit impactum, cū acrium miſtura vtile exiſtit. Sed forſan dicet mihi aliquis ex pauperioribus medicis, ſatis ſibi eſſe ſi pyxidem vnā medicamento poſſint replere ſemel præparato, me autem iubere vel quatuor ſtatim ab initio cōpoſitiones ipſius fieri: vel vnā repoſitam habere, quę ex melle & ſucco cōſtat, & cū vſus poſcit adijcere ei vſque dum aliquid inflammationi obſeſſis influit, valide aſtringentia: vbi vero ceſſauerit, concoquentia: cum autem ea quæ influxerunt inanitionem poſtulant, digerentia. Hoc autem operoſum eſſe & difficile, quibus non eſt domi ſimplicium omnium medicaminum facultas: imo neq; ad itinera idoneum me apparatū cōſulere, vbi non licet, quatuor vniuſcuiuſq; medicamenti differētias circūportare. Quapropter conſiderata ſunt tū à me, tum à maioribus medicamenta facultatibus media, quæ & ad profectionem erūt idonea, & pauperibus medicis vtilia. Quæ igitur hæc ſint paulo poſt perſequar: nunc autē pauperiorum medicorum querelæ occurrere cogito. Quēadmodum enim ipſi pauperem apparatum laudant, ita oportet etiā diuitibus permittere medicaminum apparatum, diuitijs ipſorum dignū cōparare. noui enim iam & ipſe non ſolum medicos complures eſſe pauperes, ſed etiam eos qui ab ipſis curantur, quibus volupe eſt cum ægrotant halicam cum mulſa aſſumere, ac purum panem habere, vel aliquam farinā ad cataplaſma idoneam. verum eum qui medicatorium opus conſcripſerit, ratio eſt omnis materiæ mētione facere, vt & opulentioribus ipſis artificioſè vti liceat, & pauperculis, illis ſolis quorumcunq; copiam habuerint.

*De mediorum medicaminum compoſitione.*

Dicamus igitur iam aliquid de mediorum medicaminum cōpoſitione, ab eo quod diamorōn vocatur, auſpicati. Commune autem ipſis eſt ad media menſuram mellis cum ſucco definire. hæc vero experientia deprehenditur. Nam vbi ſuccū melli permiſcueris guſtaueriſq;, ſi quidem tibi videatur mediocriter habere, ſimiliter alia vice ipſa miſcebis: ſi aliquid deeſſe videatur, adijcies, veluti exempli gratia in ſycaminorum ſucco quinta portio mellis ſi miſceatur, media vtique erit temperatura, vt cocti medicamenti miſtura plurimis ſanè admodum placeat, pauci vero eam vituperent, hi vt dulcius, illi tanquam auſterius. Sicut enim & mulſam nōnulli ſanè aquoſiorem, nōnulli vero dulciorem libenter bibunt: ita & in medicamentis, alijs alij ſecundū propriā naturā oblectantur. Cum igitur aliquis ſibi medicamentum parari poſtulauerit, omnino ſanè conſpexiſtis me ei qui dulcioribus gauderet, plus mellis inijcere: illi vero qui cōtrarijs capitur, minus. Itaque in medicamentis quę deuorantur, cōijcere oportet maximè naturā eorum quibus afferuntur. Quod enim citra voluptatem aſſumptum eſt, ſtomachum peruertit. In ſtomaticis autē eiuſmodi exactam diligentiam interdum non licet negligere. proinde media temperatura, quemadmodum dixi, ſucci cum melle, quintuplum copia ſuccum habeat. intellige autem me, mentem diligenter adhibens ijs quibus vtor verbis in mutua medicamētorum, quæ miſcentur, menſura. Nuper ſiquidem iuſſi ſuccū quintuplum eſſe mellis reſpectu, nihil intereſt an etiā mole dixero, quintuplū ipſum eſſe oportere: quomodocūq; enim dicatur metienda ſunt medicamina quę parātur. Cum ſanè pondere iuſſero hoc medicamentū eſſe quintuplū, per

lancem pondus ipsorum expendere conuenit. Quatenus igitur ad succi cum melle misturam, non necessarium est heminæ aut cyathi meminisse: verum sufficit dicere succum quintuplo mel superare oportere: sin autem huic aliquid à prædictis nuper diuersum misceas, necessariũ erit dicere, quãtis ipsis mole existentibus, quantum illorum in lance collocatum adijcias. vtpote in ipso diamoron, quod in Heræ Cappadocis libro medicamentorio scriptũ inuenitur, mellis libra inditur, succi mororum libræ sex: admiscet autem ipsis croci drachmã, myrrhæ vero duplicatam: æqualem croco etiam vuæ immaturæ succum indit, quod omphacium nominatur, atque huius rursus dimidiam portionem aluminis scissi. Mihi vero abunde est succum quintuplo melle copiosiorem ipsi inijcere, crocum vero & myrrham æquali pondere, vtriusque sesquidrachmã, vt ex ambobus tres congregentur, omphacij autem, & vini austeri heminam vnam, si aliquis posuerit, vt Heras cẽset, rectè miscebit drachmã vnam. Quòd si citra vinum paretur, multo plus ex eo inijci debet. si quidem medium temperatura medicamentum fieri volueris, vnciam vnam: si autem austerius, vt ad initia congruat, omnino duas aut tres nonnunquam si misceas non peccaueris. At si omphacium desideretur, in eius vicem rhus succum inijcito. & voluerisq; æqualẽ vtriusq; partẽ indere, ne sic quidẽ peccabis. Heras sanè in medicamẽti cõmoderatione hoc quoq; ascripsit his verbis. „Nõnulli etiã heminã vnã vini dulcis, nimirũ mustũ indicare volẽs: etenim vini austeri marinæ expertis heminam prædixit. Mihi sanè nõ placet cũ mellis quod sufficit inditũ sit, neenõ vini austeri hemina adiecta, miscere rursus aliam vini dulcis heminam, erit enim vinosum adeo medicamentum. Cæterum coquunt hoc diamoron medicamẽtum, aliqui per initia succo sycamino mixto, aliqui vero vbi prius incoxerint. Heras autẽ videtur velle succum solum diutius incoqui. Hæc sunt ipsius verba, „Mororũ succi heminæ sex. coquito vt sordium habeant spissitudinem: de„inde læuis croci drachma vna, aliáque scilicet commemorata. Ego autem censeo succum solum ipsum per se prius incoquendum, deinde sic mel adijciendum esse. ac vbi iam cacabum ab igne sublaturus es, reliqua admiscenda. Cæterum Heras simul cum melle videtur, vt alia quoque misceantur, iubere. itaque vinum bona ratione aliquis tunc miscuerit, myrrham autem & crocum satius est ad coctionis finem inijcere, eo vsque cum alijs incoquendo, aut postquam cacabus fuerit depositus, agitando donec omnia pulchre in vnitatem fuerint coacta. siquidem largior ipsorum coctio medicamentis aromaticis vires adimit. Argenti spuma & plumbago, aliáque multa metallica, dum coquuntur meliora fiunt: crocus autem & myrrha, atque alia multa aromata inter coquendum vires abijciunt. Itaque medij facultate medicamenti commoderatio & coctio, mediocribus inflammationibus maiorúmve statibus conueniens, præterea medicamentum, quod initijs augmentísque ipsorum conuenit expositum est. Porro ad inflammationes indurascentes cum iam vigor cessauerit & nihil amplius influit, venit autem discutiendi tempus, admisceri debent medicamẽto stomatico nonnulla digerentia, cuiusmodi sunt, nitri spuma ipsúmque molle nitrum, asiæ petræ flos, & sulphur viuum. sufficit autem prædictæ medij symmetriæ commisceri, nitri semunciam, sulphuris autem sextantem. At si neque paratum id sic habeas, neque adsit

tibi nitrum, aut sulphur, aut asiæ petræ flos, origanum in sapa ferfefactum (vocant autem sapam apud nos omnes hepsema) mixtúmque stomatico medicamini, colluere iubeto: sin autem sapa desideretur, mulsa, in qua prius origanum ferueseceris. nihil autem refert siue hyssopum origani loco inijcias, siue pulegium, siue thymum, siue satureiam, aut calaminthamn, aut odoratam mintham, quàm Græci veteres à grato odore hedyosmon appellant. In statu autem inflammationum, nõ modo nullum ex huiusmodi medicamentis afferre oportet, sed etiam omnino contrarium, raro quidem stomaticis vti medicamentis, collutionibus autem & gargarismatis lenioribus inflammationem concoquere, quale est ex pinguibus caricis decoctum, & lentiscinum oleum in duplici vase tepefactum: imo & ipsum stomaticum medicamentum in statu gargarizandum dare conuenit, si misceatur mulsæ aquosæ, aut calenti sapæ, horum penuria, aquæ calidæ. Præpollere enim tunc oportet, curationem mitigatoriam & concoctricem: sicut in declinatione digerentem, quæ ex valentioribus fit medicaminibus. Meum vero medicamentum, quod ex succo nucum constat, omnium sanè aliorum esse efficacissimum, re ipsa estis experti. Ad vos enim ò familiares sermo habetur, quibus potissimum gratificans ad hoc opus scribendum descendi. Quòd autem ad omnium sit emptu paratúque facillimum, nemo ignorat. Etenim hortulani nucum viridium cortices reijciunt cum eas excoriant, vt sportas grandeis gratis liceat nobis implere. Mel igitur solum ceu pauperibus medicis (etenim & illis communicare nos oportet quæ dicimus) relinquitur, cum penuria illius laborant, aliud autem nullum, nisi volueritis. subinde enim ita paratum medicamentum nihilo deterius eo quod ex moris fit apparet, in quod crocum & myrrham iniecimus. Verum si alumen ei adijcere cogitemus, non necesse est scissum indere: quippe abunde liquidum quoque astringit, quod nonnulli phorimon appellant, vilissimi pretij, & inuentu in omnibus regionibus facillimum. Vincitur autem tenuitate à scisso, atque eo minus proficit. Quinetiam si ipse hortulanus aut alius quispiam agricola medicamentum volet parare, gratis potest etiam mali punici flores siccos, contusos & cribratos inijcere: nominantur sic mala punica primogenea. nam quo tempore arbor florere desinit, fructus ipsius videtur in mali punici speciem figurari. Quod malum ablatum siccatúmque, ad nucum fructus tempus seruare licet. etenim in fine veris cytini, id est mali granati flores generantur: vbi autem æstas cessauerit, nuces ad absolutionem perueniunt. Quinetiam multi cytini humi decidunt, aut à vento conquassati, aut etiam alio modo, quos exceptos siccare integrum est, vt ne in hoc quidem pauperes medici aliquid insumere videantur. Nouistis nimirum & acidis acerbísque malis granatis, quorum fere fructus esui est, cytinos præstare. quare etiamsi ipsos arbore decerpseris, aut omnino nullus te prohibebit, aut vilissimum pretium postulabit. Balaustium aut dictũ, quod omnino esui non est, licet cuilibet colligere, sicut origanum, satureiã, thymũ, atque id genus alia. Itaque balaustium si quis crudũ cõtusum cribratúmq; volet inijcere, iuxta proportionẽ quã superius dixi, æquale omphacio, vtile reddet medicamentum. Iam & cortices mali granati res sunt ad comparandum facillimæ, astrictione insigni præditi, qui commemoratis statim per initia pos-

sunt immitti. Præstantissimum autem fiet medicamentum, si eo tempore mala punica accipiantur, quo nondum quidem adoleuerint, non tamen longe à perfectione absunt, sique inijcias succo quamprimum cocto. Verum contundere prius oportet in pila, vt tota ipsorum vis in medicamentum quod conficitur extendatur. Cæterum cum triplices malorum punicorum sint differentiæ, nōnulla enim austera sunt, alia acerba, quædam acida, austera sanè sola si inijcies, medicamentum magis astringens: si dulcia, suauius erit, quemadmodum si acida, vehementius.

*Quomodo medicamentum dia rhœon, hoc est ex malis granatis, & dia melon, quod est ex malis cotoneis, aliáque stomatica conficiantur.*

Ego æqualem vniuscuiusque generis partem miscere consueui: etenim ipsa etiam sola alioquin matura mala punica integra cum corticibus terens, deinde succum exprimens, coquénsque cum melle, non modo stomaticum habui medicamentum, sed etiam multis alijs vtile, vt postea dicetur. Fitque hic succus trium mali punici specierum, aut generum, aut differentiarum, aut quomodocunque libet appellare, ad omnia vtilior. Miscemus etiam rubi fructum, quem nonnulli à stirpe quæ græce batos, hoc est rubus dicitur, denominant, batina nuncupantes. Nonnulli autem composita dictione mora vocant, apponentes, à rubo decerpta. quorum succus similiter ei, quod sycaminis constat, præparatus, præstantius illo medicamentum efficitur: inferius autem eo, quod ex nucibus componitur. Iam vero malorum cotoneorum, pirorum syluestrium & mespilorum succus similiter præparatus, stomaticum fit medicamentum, & deglutiri idoneum, cum id quod nucibus constat hoc non habeat. noxium enim non est vt chalcanthum, haud tamen stomacho accommodum. Verum cuiuis liquet etiam quod ex malis granatis fit medicamentum, esse stomacho resoluto & fastidienti idoneum: inferius tamen est eo, quod ex malis constat. Batinorum autem succus si deuoretur innocuus est: quemadmodum & sycaminorum. Verum batinorum, vim quandam stomachum corroborandi habet, cum sycaminorum succus id præstare non possit. Cæterum mel non eadem omnibus succis proportione inditur. Etenim plurimo, succus nucum indiget, & cum eis batinorum sycaminorúmque: modico autem cotoneorum, granatorum, & pirorum syluestrium succus. in horum medio mespilorum consistit: item cornorū, brabylorum, & eorūque pruna apud nos appellantur. Cōficiuntur autem apud nos medicamenta stomatica, eodem modo quo initio dixi in moris, in quibus omnibus præparandi quādam rationem communem hanc explicabo. Vbi succus crassus apparuerit, mel statim miscere conuenit: si autem liquidior fuerit, præcoqui debet. Recipit id pirorum, cotoneorúmque succus: præterea plurimorum fructuum, æqualem sibi mellis portionem: astringentium autem insigniter, qualis est corni fructus, interim duplicatam, interim triplicatam. Omnia igitur hæc deglutire, periculo vacat: vbi verò chalcanthum mixtum fuerit, non deglutiri debet hoc præparatum medicamentum, nisi in stomacho aut ventriculo vlcerosam fieri dispositionem suspicemur. Quòd si in ipso ore maligna vlcera generentur, præ-

stantiora sunt quæ ex chalcãtho conficiuntur medicamina. cæterum drachma sufficit prædictæ compositioni mixta, in qua vna mellis libra iniici dicitur. ac plus vtique nonnunquam iniicietur recte ad vlcera putrida. singula autẽ quæ dixi licet nonnunquam etiam musto iniicere, quod ex vuis austeris, quas nominant aminæas, fuerit expressum. verum melius est extremum mustum ad huiusmodi. nam quod initio fluit, liquidius est & aquosius. porro iniicere oportet ex prædictis medicamentis acerbiora, sicut me subinde conspexistis vel malum granatum, vel balaustium, vel cytinos, vel spinæ ægyptiæ fructum, aut corni, aut aliquid ita astringens miscere. Cæterum rhus maximè idoneus est, siue masculino genere, siue fœminino ipsum velis nominare. est autem duplex, alter obsonijs imponitur, stomacho peridoneus, alter coriorũ tinctoribus vtilis. Vterque verò musto incoctus stomaticum efficit medicamentum, cui miscere etiam alia tibi licet, eadem proportione, qua medicamento diamoron. Iam citra mellis misturam solum ipsum mustum ad melleam perductum spissitudinem, abiectis ijs quæ indita erant, bonum fit medicamen ad initia, incrementa & status: ad declinationes autem, si tædas pingues admiscueris, vel etiam minutim tusas confractásq; musto cum rhu immittas: ac dein die vno post, cocta vsque dum qualitatem suam musto indiderint, tunc eximere illa & abiicere oportet, mustum vero coquere vsque ad idoneam spissitudinem, vt medicamentum fiat, quod possit illini. Porrò quæ prius ex astringentibus in medicamentum quod ex nucum succo paratur, mitti dixeram, omnia etiam nunc audiuisse credito, musto miscenda. Quòd si sumptuosius medicamentum efficere cogites, iniicies etiam casiæ corticem, aut nardum indicam, aut malabathri folium. Quemadmodum enim pauperibus, ita etiam diuitibus scribere nos medicamenta oportet, eadem verò prædictis medicamentis stomaticis miscentur. At singulorum trium drachma ad tantã medicamenti mensurã abunde est, qua mellis libra immittitur. Nihil autẽ peccabis, si vniuscuiusque drachmæ partem dimidiam apponas, vt vniuersæ fiant quatuor & semissis. Ad inflammationes indurescentes, quæ efficacius possunt digerere, immittuntur, contusa scilicet, & cribro increta. Tempus autem ea iniiciendi non initium est, sed cum omnino ferè coctum fuerit medicamentum: aut etiam absolutè coctum, vt vas humi ponatur. sunt autem hæc, costus, amomum, & quod vocatur macer. dicitur sic cortex quidam aromaticus, qui ex India affertur, admodum calefaciens & astringens. Iam & liquor cyrenæus ad inflammationes quæ indurantur discutiendas idoneus est. quemadmodum & Medicus, aut aliquis post ipsos. At pauperes iniicient loco sumptuosorum medicaminum digerentium aut dictamnum, aut acorum, aut meum, aut pyrethrum, aut cardamomi & sinapis æqualem portionem, ita vt moles simplicium trium drachmarum pondere compleatur, ad commemoratam initio stomaticorum medicaminum commoderationem, in quibus erat libra mellis. Quòd si nonnunquam quatuor aut quinque drachmarum voles efficere, id quod ex his absoluitur, magis digerens habiturus es medicamentum. conuenit enim pro portione affectuum augeri etiam & imminui medicaminum vehementiam.

¶*Quomodo paretur medicamentum diagleucu, hoc est ex musto, in quo etiam diuersa comparatu facilia recensentur.*

In medicamine ex musto, in decē musti heminas, tres rhus coriarij heminas inijcimus, aut eius quod obsonijs inspergitur. Cūm autem ambo simul indūtur, vtriusque heminam vnam & dimidiam, & paulo amplius immittimus. ad portionem autem, etiam digerentia ea addemus quorum facultas suppetit. At si vnum duntaxat habeamus, aut per initia, si est astringens, aut in fine, si digerens, illius totū immittemus, quod ex omnibus colligebatur. Prædicto itaque ex nucibus, & ei quod ex musto est, omnia immittere licet quæ sermone illorum comprehensa sunt, nempe vel gallam immaturam, vel surculos mollis rubi, vel canini rubi, & corni, cuius etiam fructū diximus oportere immitti, sicut & myrtum, tamaricem, & spinæ ægyptiæ fructum, omniaque astringentia, prҿter ea quҿ vim medicatam habent, ne deglutita noceant. Omnia autem quomodocunq; parata sint medicamenta stomatica, vtilia fiunt, quibusdam proprijs temporibus, si austeriora quidem fuerint, per initia, & vehementes influxus: si mediocria, per statum: si digerentia magis, per declinationem. Quapropter etiam si non confecerimus ipsi aliquod, neque commoderationē iniectorum viderimus, sed solum ipsum compositum medicamentum gustauerimus, cognoscemus quomodo sit eo vtendum. Horum igitur cum simus memores, vbi necessitas aliquando inuaserit, medicamentis multa experientia probatis destituti ipsimet medicamentum idoneum ex materia illius loci facili paratu componere poteritis, non solum autem ad hoc conducit horum meminisse, sed etiā ad aptum inuentorum vsum. si enim astrictoriam qualitatem præpollentem in ipsis reperiatis, per initia vti conuenit: sin mitigatoriam, laxantem & concoctricem in doloribus & statu inflammationum: si aliquid inflammationis in scirrhum durescens & solutu contumax relinquitur, in declinationibus. ita verò & intercedentibus temporibus, ea quæ media sunt ex prædictis medicamentis adducetis, digredientes à repulsorijs ad digerentia paulatim, & si vnum medicamentum excellens habeatis, exoluetis quidem ipsum mulsæ & aquҿ mistura, intendetis autem medicamentis quҿ facile comparātur admixtis. Conquiruntur autem facile ex astringentibus, rosæ, myrtus, lentiscus, rubus, caninus rubus, galla immatura, ægyptiæ spinæ fructus, & omnia alumina. Post hҿc facile comparatur rhus obsoniorum & coriarius, & succus qui à syria exportatur. Hic igitur ipse per se miscetur: rhus autem coriarius & obsoniorum prius aqua decocti, hanc præbent mixturҿ vtilitatem. Eiusdem generis est glaucium, omphacium, cytini, & balaustia. Ex digerentibus comparatu facilia, mediocria quidem sunt, caricarum decoctum, furfur, mulsa, cui incoctum sit origanum & hyssopus, aut thymus, aut calamintha, aut pulegium, aut mentha odorata, quam ideo Græci hediosmon vocant. fortiora autem eáque amplius cocta, sunt, nitri spuma, aut etiā ipsum combustum. valentius his est sulphur viuum.

¶*Stomaticorum medicaminum compositio, inter quæ etiam eius quod diamoron dicitur, confectura est, Hera authore.*

Vocantur sanè propriè stomatica, quæ ad vuas, paristhmia, omnésque oris

repentinas inflammationes conueniunt. Cæterum ex materia prius comprehensa componuntur, cuius particulares cõpositiones permultæ à medicis proditæ sunt, ego autem celebrium hic mentionem faciam.

¶ *Quomodo medicamentum diamoron Heras composuerit.*

Medicamentum diamoron stomaticum efficax ad paristhmia, vuas, aliásque oris inflammationes, tum si illinatur, tum si ex eo gargarizetur, vt prædictum est. præparat autem ipsum Heras hoc pacto. Mororum succi heminæ sex vsq; ad strigmenti crassitudinem coquuntur. deinde admixta læuis croci drachma vna, myrrhæ drachmis duabus, omphacij drachma vna, aluminis scissi ternis obolis, mellis hemina. ipse autem Heras ait etiam alio modo ipsum, nempe sic præparari. Croci drachmæ dimidium, cui inijciatur passi hemina, & vini marinæ expertis austeri tantundem. coquuntur vsq; ad melleam spissitudinem.

¶ *Andromachus de medicamento diamoron, ad verbum sic scribit.*

Mororum succi heminæ sex, quibus inijciuntur gallæ quinque, dulcis radiculæ drachmę viginti, vini chij hemina. insolatur vel coquũtur: deinde vbi spissitudinem acceperint, exemptas radices proijcito. gallis autem læuigatis myrrhæ drachmam vnam misceto, croci drachmam vnam, aluminis scissi tantundem, omphacij drachmas duas: nonnulli etiam aluminis drachmas duas, ponunt: mellis attici heminam vnam. Constat autem hoc medicamentum magis esse quàm prædictum astringens, præsertim si alumen receperit. Etenim gallæ & omphacium admodum astringens id possunt reddere. Quòd si alumen fuerit inditum, vires astrictoriæ in eo augebuntur. Pulchrè verò in confectione mixta est dulcis radicula, quæ asperitatem mitigat, & hac ratione ex astringentibus asperitatem lenire potest: at loco succi mororum, inditur etiam batinorum succus, alijs quomodocunque libet appositis, siue vt Heras, siue vt Andromachus tradidit. Porrò dictum à me prius est quomodo licet ipsum variare simplicium mistura: necnon exposui ex succo nucum alijs similiter inditis, medicamentum posse confici. imo etiam ex mali punici succo similiter pręparatur, & solo succo cum melle præparato, & ijs quæ modo diximus superiniectis. Ita vero & rubi fructus cum melle paratus abunde astringens fit medicamentum, sicut etiam ex nucum succo, quemadmodum prius comprehensum est. Quin & varia compositione medicamenta ex malorum granatorum succo medici tradiderunt, sicut & Andromachus hunc in modum.

¶ *Stomaticum ex malis granatis.*

Malorum granatorum dulcium nucleis exemptis partes duæ, acidorũ pars vna. succus in vas æneũ exprimitur congij mensura, deinde percolatũ, coquito super ignem lẽtum vsque ad tertias: sint autem lęuis myrrhæ amineæ, crocomagmatis, omphacij, iridis illyricæ, singulorum drachmæ octo, aluminis drachmæ quatuor, gallæ drachmę octo. his liquore affuso læuigato coquitóq; vt mellis habeat spissitudinem, deinde in pilam demissa læuigato, & vtitor nunc cum melle, nunc meraco. Hic mel cum succo malorum granatorum nõ decoquit, sed postquam præparatum fuerit vti iubet duplici medicamento, interim mero ad inflammationes scilicet, quæ astrictionem desiderant:

interim cum melle quādo etiam digeri postulant. Cæterū mēsuram succi congium esse iubet, hoc est, sextarios sex romanos. Nam Romæ medicatus, in totum vrbis huius mensuris vtitur. Adijcit autem ipsis myrrhę, crocomagmatis, gallæ, iridis illyricæ, quam illyridem nominare consueuit, præterea etiam omphacij, singulorum quinq; vnciam vnam, nam octo drachmæ tanti valent. Aluminis autem scissi semunciam. deinde Andromachus etiam ex musto stomaticum medicamentum hisce verbis conscripsit.

*Andromachi stomaticum ex musto, quo vtor.*

Gallæ triginta, rhus coriarij sextarij duo, musti sextarij sex. gallæ contusæ cum rhu, per diem & noctem in passo macerantur: deinde incoquuntur, donec quarta totius pars relinquatur, colata per linteolū & expressa agitatur in olla, donec mellea fiat spissitudo, deinde læuia adijciuntur, aluminis scissi drachma vna, croci drachma vna, myrrhæ tantūdem. commixta reponuntur in vsum. Nihil de musto indicauit ex quali ipsum vua capiendum sit, vtrum ex illa quę austerum vinum generat, an quæ dulce, an quæ medium. Nos igitur scire cōuenit medicamentum quod ex musto præparatum est, lenius & mediocre & minus efficax fore. In quibus autem astrictione vtendum est vehementiori, medicamentum quod ex vino austero confectum est, vehementius quidem astringit, sed mitigare non potest. Quod autē ex medio vino paratum est, mediam obtinere vim constat.

*Critonis stomatice ex malis granatis.*

Crito medicamentum ex mali granati succo hoc pacto ad verbum scripsit. Stomatice ex malis granatis ad vlcera & pustulas oris, quas aphthas appellāt. Malorum granatorum dulcium succi heminas sex coquito in vase æreo ad tertias: deinde lęuis cinnamomi drachmam vnam, casiæ drachmam vnam, myrrhæ drachmam vnam, omphacij obolos tres, croci tantundem, nardi indicæ obolos tres. his admisceto mellis heminam, atq; sic adiecto succo lento igne coquito, agitans dum in spissitudinem coeat, & vtitor. Iam verò tradit aliam medicamenti ex malis granatis compositionem his verbis. Malorum granatorū dulcium cum corticibus vstorum & expressorum sextarij sex, mellis boni sextarius vnus. coniecta in ollam coquuntur donec mellis habeant spissitudinē: deinde aluminis scissi vncia, myrrhæ semuncia. læuigata inijciuntur, mixtáque vsui reponuntur. hoc nimirum medicamētum astringens magis quàm superius Crito tradidit. Ridiculè igitur nōnulli faciūnt qui interrogant vtrum ipsorum altero sit præstantius: quippe vtrumque suo tempore altero præstat. Ad ea sanè quæ vehementiorem astrictionem desiderant, hoc secundum: ad ea vero quæ digestionem, prius: præsettim, quia & cinnamomum medicamen digerens ipsi indiderit. Insuper medicamentum ex musto Crito in eum modum prodidit. Stomatice ex musto. facit ad aurium & sedis vitia. Musti sextarios sex vsque ad duos coquito, deinde rhus coriarij drachmis quatuor (alij duabus) gallarum drachmis quatuor (alij gallis triginta) croci drachmis duabus (alij drachma vna) aluminis scissi drachmis duabus (nonnulli myrrhæ drachma vna) mellis sextario vno. mixtis vtitor. Multa alia quoque medicamenta ex prædictis succis plerique medici conscripserunt, ponderibus ac mensuris euariata, dum alij quidem omnia prędicta inijciunt, nonnulli etiam

adimunt alijs aliud, atq; hi plus, illi minus indunt. in quibus, vt dixi, conſiderandũ venit, quod copioſius inſit, vtrum aſtringens & repellens: an quod lenit & cõcoquit, an quod digerit: ita nanq; licebit probè ipſis vti. Quapropter etiã omittam particulares ſcriptorum differentias, ad alia medicamenta digreſſurus, quæ ſine cõmemoratis ſuccis præparantur.

*Stomatica quæ ſine ſuccis ex aceto & gallis componuntur.*

Stomaticum medicamẽtum & Andromachus & Crito eadẽ cõmoderatione tradiderunt. Quare abundè erit ſcripturam Andromachi apponere, quę ad verbũ ita ſonat. Stomaticũ Ariſtoclis ad anginas & reliqua oris vitia. hac vſus eſt etiam Antipater. Gallæ numero triginta, aceti albi ſeſquicyathus (alij cyathos nouem ponunt) myrrhæ drachmæ octo, nardi indicæ drachma vna, rhus obſoniorum cyathus vnus (alij cyathos nouẽ ponunt) aluminis ſciſſi drachmã vnam, piperis albi grana triginta, mellis attici cyathos duos (alij ſeſquicyathũ ſcribunt) gallæ aceto coquuntur donec tenereſcant, leuigatę melli miſcentur in vſu. quidam etiam mandragoræ ſeminis vnciam vnã addunt. Hęc quidẽ Andromachus tradidit. Forſan dubitauerit aliquis, cur cum aceti ſeſquicyathum poſuerit, adſcripſit, alij cyathos nouem. Nam menſura alteram menſurã multum ſuperat: quemadmodum rurſus cum dicit, rhus obſoniorũ cyathus vnus, alij cyathos nouem. Cũ igitur ſeorſim vtrunq; examinamus, dubitationẽ præbet: ſi vero inuicem coniungantur, congruè ſcriptum eſt. Si enim cyathos nouem aceti inijciamus, rhus quoq; obſoniorum eoſdem nouẽ indemus: ſin autẽ ſeſquicyathum aceti, ſufficiet etiam ſeſquicyathus rhus obſoniorum, vt in medicamento, quod plus aceti recipit, amplior fiat coctio: in quo autẽ minus aceti eſt, minor. Verũ præſtat multo amplior, hac enim gallæ emolleſcẽt. Cæterũ quod generoſum ſit medicamentũ ex contrarijs cõpoſitũ omnibus cõſtat. Etenim gallæ, acetum, & rhus magis aſtringent, repellẽntque vehementer, piper maxime digerit, nardus mixtæ facultatis eſt, myrrha digerit quidem, ſed citra roſionem, & lenit, & concoquit: mel digerendi vim obtinet, ſed ita, vt os nõ rodat, quãquam oculis mordax percipitur. De aceti facultate iam ſæpe verba fecimus, quòd incidat, digerat & repellat: adiectum autem eſt in ſcriptura albũ vt tenuium ſit partium. nonnulli aceti cyathos quinque & totidem rhus immittunt, in medio ordine conſiſtẽtes eorum qui plurimum immittunt, & eorũ qui pauciſſimum vtriuſque. Liquet igitur medium illorum facultate medicamentum eos parare, quemadmodum etiam ſymmetria.

*Stomatice, diabeſaſa, hoc eſt ex ruta ſylueſtri, quæ illini poſſit. celebre eſt & hoc medicamentum ab Andromacho ad verbum ita ſcriptum.*

Stomaticum diabeſaſa ad anginas & deſperata efficax, quo vtor. Aniſi ſeminis, apij ſeminis, ameos ſeminis, iunci odorati floris, aluminis ſciſſilis, iridis illyricæ, beſaſa, quod nonnulli harmala vocant, eſt autem ruta ſylueſtris, cinnamomi, myrrhæ troglodytidos, ariſtolochiæ longæ, ſingulorum vncia, coſti, hirundinũ cineris recentis, ſingulorũ vnciæ tres, croci ſeſquuncia, nardi indicæ, amomi, ſingulorũ ſemuncia, gallę octo. lęuibus cum melle vtitor. vbi vſus poſtulauerit, melle diluito. Hoc ipſum medicamentum Heras quoque fere totum eodem modo conſcripſit, ſolas enim roſas immutauit, qui non ipſas, ſed

florem ipsarum potius maluerit, & ad finem adijciat, nonnulli etiam casiæ rubentis vnciam vnam immittunt. Porrò de hirundinibus ambo obscure scripserunt, etsi alij manifestò, quanquam inter se dissentiant. alij siquidem nidum comburere præcipiunt ex stercoribus hirundinum potissimum compositum: alij ipsas hirundines: alij pullos ipsarum. Hi autem obscurius scripserunt. Andromachus sanè hirundinum cineris recentis tradidit, sed adiectum esse oportebat cóbustarum, tale enim, nomine cineris significatur, nisi fortè nidum læuigare iubeat. Heras, hirundinum cineris, neque ipse adijciens, combustarũ. Forte igitur neuter vult hirundinum stercus comburi, sicut alij cupiunt. In quibusdam vero exemplaribus ita perscriptum inuenitur. Hirundinum tenerarum vncia vna, quemadmodum in alijs, hirundinum, quæ à trabibus nidos suspendunt. Cæterum constat omnibus medicamentum esse acre & digerens hirundinum stercus, sicut & alia vniuersa omnium animalium, alia magis, alia minus sunt: quemadmodum & ipsorum animalium combustorum cinis. Diximus autem de besasa in opere de simplicibus medicamentis, tertij esse ipsum calefacientium ordinis, ac nunc ceu tale commixtũ est proposito medicamento, quod plurimum digerendi facultatis obtinet, sicuti alia nõnulla stomatica, * digerentē repellentémq;. Etenim comprehensa medicamina validissimè digerunt, & præterea cinnamomum supra omnia vim tenuem digerentémque possidet. deinde etiam semina anisi, apij & ameos digerunt. ad hæc iris, aristolochia, digerentiũ numero comprehenduntur, sicut & myrrha. Mixtã vim repræsentant, tum digerentem, tum astringentem, casia, crocus, nardus, amomus, & costus, præcellit autem in ipsis calefactoria & digerens, præsertim in costo. Iam iunci odorati flos mixtæ virtutis est, sed vtrobiq; imbecillis astringendo & calefaciendo: gallæ autem, nimirũ immaturas dico, astringentia admodum sunt medicamina, veluti & alumen scissile: rosæ econtrario astrictionem habent imbecillimam. Itaque propositum in oratione stomaticũ, contrarijs facultate constat medicamentis particularibus, & non solum contrarijs, sed validis quoque vtrisque, &, veluti antea dixi, multo valetioribus ijs quæ digerunt, quàm ijs quæ astringunt. Quoniam vero confectionem ipsius Heras clarè exposuit, iccirco etiam illius seriem communem ascribam, quæ hoc pacto sonat.

* Vetus legit, stipticã, hoc est astringentem.

*Heræ stomatice dia besasa.*

„ Stomatice anginis, inflammationibus paristhmiorum, & vlceribus oris efficax. conuenit etiã stomachicis & dysentericis, si ex frigida instar fabæ exhibeatur, iam arteriæ aspritudini bene facit, & dolorem sopit. Anisi, ameos, apij „ seminis, singulorum vncia, costi sesquuncia, iunci odorati floris, casiæ, iris illy„ ricæ, aluminis sciffi, singulorum vncia, gallæ immaturæ magnitudine medio„ cris octo, crocomagmatis vncia * vna, croci sesquuncia, myrrhæ semuncia, rosarum floris vnciæ duæ, aristolochiæ longæ, besasa, hoc est rutæ syluestris se„ minis, cinnamomi, singulorũ vncia, spicę nardi sesquuncia, vuæ, amomi, semũ„ cia (quidam & casiæ rufæ vnciam vnam ponunt) cineris hirundinum vncia. „ myrrham cum melle læuigato, reliqua omnia contusa incretáque in pilã mit„ tito, & permixta, pistillo agitato myrrham, cum melle modico, vt medicamẽtum melle crassius reddatur. cum vsus exigit dilutum melle illinito, datóque

* Vet9 habet, vncias duas.

gargarizandum ex aqua, aut hydromelite, aut cremore ptiſanæ. cæterum ſtanneo vaſe reponito.

*Aliud dia chelidonon, hoc eſt ex hirundinibus ſine ruta ſylueſtri. ſtomaticum quod illini poſſit, authore Aſclepiade, cuius verba hæc ſunt.*

Aliud. facit etiam ſynanchicis. Hirundinum ſylueſtrium vſtarum cineris drachmæ quatuor, croci drachma vna, nardi indicæ tantundem. melle excipito. miſtura ad ſubiectas diſpoſitiones valet. hirundines hoc pacto comburi debent. ſale conſpergentes pullos vnà cum pennis in vas fictile conijcimus, idque obſtructum prunis imponimus. Gratia habenda eſt Aſclepiadi, qui tam manifeſtò ſcripſerit, quomodo pullos hirundinum comburi iubeat, quódque animalia ipſa & non ſtercus ad medicamenti compoſitionem præparanda cenſeat. Scripſit & Andromachus ſtomaticum ex hirundinibus medicamentum, in hæc verba.

*Medicamentum dia chelidonon ad anginas vt Harpocras.*

*Forte deeſt, cinis.

Hirundinum combuſtorũ pullorũ vndecim *, mellis cyathus vnus (alij cyathos duos ponunt) myrti viridis ſucci cyathus vnus (alij cyathos duos) myrrhæ oboli tres. pullis combuſtis omnia miſceto & læuigatis vtitor. Hic quoq; manifeſto pullos comburi iubet, hæc duo prius commemorata ex hirundinibus conſtant ſine ruta ſylueſtri. Reliqua verò antea duo ſtomatica & ex hirundinibus & ruta ſylueſtri præparantur. Tertium aliud par eſt medicamentorum congenerum, in quo ſine hirundinibus, quæ ruta ſylueſtri conſtant, præparantur.

*Aliud ſtomaticum quod illini poſſit, Andromacho authore.*

Satius eſſe puto ne alia quidem relinquere, quæ medicamentorum experiẽtię ſtudioſi cõmendant: ſed hic aſcribere, præſertim cũ multorũ etiam ipſi experientiam habeamus, partim noſtro vſu, partim illorũ, qui nobiſcum medicinam exercent. incipiam autem ab iis, quæ Andromachus conſcripſit: ita ipſa componens, vt ille tradidit.

*Ad vuas laxatas.*

Mellis libram vnam, aluminis liquidi libram vnam, roſarum floris ſelibrã, hypociſtidis ſucci vncias tres. alumen melli incoquito, deinde arida, ac ſic vtitor. coquito autem paulatim. medicamentum hoc verè bonum eſt, ac tribus modis eo vti oportet, quemadmodum me plurimis ſtomaticis medicamentis vtentem conſpexiſtis. Vnus ſiquidẽ modus vtendi eſt, pręſertim per initia, diſſoluendo medicamentum, aut ex aqua calida, aut hydromelite, hoc eſt mulſa: & dare ad colluendum. Etenim hoc quoq; lenit, & quod res poſtulat abſoluit. Intra hunc vſum conuenit & mero vti medicamento, partim digitis illinendo: partim cochleari attingendo apprimendóque, & intrepide vuulam foras educere. Confert enim quàm maximè vt ad linguam ipſam repat, abſcedens à rectitudine, quam vt plurimum ad fauces obtinet.

*Alia ſtomatice eiuſdem Andromachi ad omnia oris vitia.*

Crocomagmatis drachmæ duæ, iridis drachmæ quatuor, ſandarachæ drachma ſemis, hoc eſt oboli tres, terebinthinæ drachmæ duæ, lycij indici drachma vna, vuæ paſſæ drachmæ octo, aloës drachma vna, omphacij tantundẽ, nucleorum pini torrefactorum tantundem, dulcis ſucci drachma vna, alumi-

nis scissi, balaustij, singulorum drachma vna, rosarum floris drachmę duæ, mellis heminæ duæ semis. in quibusdam verò exemplaribus scriptum est, hemina vna semis. Ipse quidem Andromachus ita tradidit, quomodo mel misceri conueniat, crudum ne an coctum, an solum despumatum: ego despumatum censeo miscendum. Iam alia stomatica quæ illini possunt omnia bona tradidit Andromachus, eóque mihi satius visum est non ea omittere, sed omnia ordine, quo ille posuit, subscribere.

¶ *Stomatice qua vti se dixit.*

Rosarum floris drachmæ duæ, baccarum piceæ drachma vna, croci tantundem. melle excipiuntur. *Alia, & hac vsum se esse ait.* Iridis illyricæ drachmæ octo, croci tantundem (alij drachmas quatuor ponūt) rosarum floris * cum melle. * Deest aliquid. *Alia.* Misyos cyprij drachmæ octo, irios illyricæ drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ octo, croci drachma vna. cum melle. *Alia odorata tenera, ad inflammationes & crustas efficax.* Nuclei pini drachmæ tres, amyli drachmę duæ, aluminis scissi drachma vna, rosarum floris tantundem, croci tres oboli. cum melle. Hæc ex Cratippi Narthece esse dicit. *Aliud stomaticum, Menecratis.* Croci drachmæ quatuor, balaustij drachmæ tres, rosarum floris drachma vna (alij drachmam semisse ponūt) ericæ seminis drachma vna, malabathri drachma vna, nardi indicæ drachma vna, nuclei pini viginti. mel additur. *Aliud, quod ex scriptis Meliti esse dicit.* Rhus rubri drachmę duæ, rosarum floris drachma vna, costi, croci, vtriusque tres oboli. cū melle. Hoc etiā gargarizandum, cū passo aut mulsa dicit. haud scio quomodo hoc ascripserit, ex omnibus enim gargarizari possumus. *Aliud stomaticum, quod & ipse commendat.* Iunci odorati floris, myrrhæ, croci, casiæ, aluminis scissi, iridis illyricæ, singulorum drachmę quatuor, nardi indicæ drachma vna. cum melle cocto assumuntur. Hic igitur adiecit cocto: in superioribus simpliciter dixit, melle: concedens nobis quomodocunq; velimus parare: ego autem, vti dixi, despumato vtor.

¶ *Alia, quæ illini possint stomatica, authore Asclepiade, vt subscriptum est.*

Stomatica quę illini possint, ad oris putredines, Asclepiadis. Rhus rubri drachmæ quatuor, acaciæ drachma vna, medullæ drachmæ quatuor, vino pramnio dissoluta, melle cocto excipito, & vtitor illinens. Haud noui quomodo omiserit ascribere medullæ, vtrum ceruinę aut vitulinæ inijci velit: quoniā igitur nō apposuit, tutius est ceruinā immittere. Validū enim medicamentū esse vult, ac medulla ceruina valentior vitulina existit. *Aliud.* Hypocistidis succi drachmæ duæ, balaustij drachma vna, lycij drachma vna, acaciæ tantundem. oliuæ immaturę succo excipito, & in melle conspersis vtitor.

¶ *Quæ illinantur stomatica, iis qui ægrè medicamentosas qualitates ferunt idonea.*

Quid opus est dicere de mulieribus, præsertim opulentis, quòd præ delicijs medicamentosa stomatica difficulter ferunt. iam verò & viri nonnulli, non solum præ delicijs, sed malo natura stomacho præditi, huiusmodi medicamenta non tolerant. Quinetiam cum subinde in stomachum influxerint, non solum insuauia, sed etiā nociua sunt. Mitissima igitur ipsorū crocum recipiunt, myrrham & alumen. satius igitur est nonnulla stomatica sine his præparata habere. in moderatis sanè inflāmationibus, aut paristhmiorū, aut vuæ, aut alterius

cuiusdam partis, soli succi prędictorum nuper fructuũ sufficiunt, ruborum & mororũ, ipsáque mala punica, & cotonea. Quinetiam nucum succus, vbi cũ melle solum fuerit, gustum peculiarem representat, ac mustum ex vuis acerbioribus expressum, vnde vinum aminæum conficitur, rhu in id iniecto. Hoc vt præscripsit præstantissimum fit medicamentum si coctum fuerit in modũ iam dictum. Quòd si inflãmationes magis astringi desideret, stomatica eiusmodi quæ illini possint composui. Malorum granatorum austerorum succũ, aut cotoneorum austerorum, aut etiam amborum, secundũ prius dictã proportionem melli miscui, ac abunde erat. At sycaminorũ succus imbecille est medicamentũ, sed huius & cõmemoratorũ, medius est astrictione ruborũ succus: nihilo autẽ minus efficax est etiam qui ex nucum corticibus exprimitur: etsi gustu non sit acerbus. Licet autem singulis his vuas immaturas expressas immiscere. Quòd si vehementius voles efficere, pari mensura: sin autẽ non omnino, dimidiã. Vehementissimus ipsorũ est, si ex malis granatis integris cõtusis cũ corticibus exprimas succũ, magísq; si fuerint acerba. Præterea acerbissimũ inter hæc etit si malorũ punicorũ austerorũ succo omphaciũ admisceatur, vnà cum mellis modico. præstiterit si mala punica integra contusa passo incocta percolaueris. Licebit autẽ tibi medicamentũ ex solis dulcibus malis punicis præparanti, quẽadmodũ imbecillius, ita suauius efficere, magísque si ex solo succo sine malicorijs ipsum cõponas. Ego verò subinde miscui tria malorũ punicorũ genera, austerorũ, acidorũ, & dulciũ. Ne autẽ valde exasperet, glycyrrizę succũ miscens medicamentũ, reddes præstantissimũ: itẽ ex fructibus tẽpestiuis genetatũ, ipsum per se solũ optimũ est remediũ, siue ex eo gatgatizari, siue oris inflmamationes illini velis. Est hoc partim austerius, partim moderatius asttictione: ac dicetur de eius cõpositione paulo postea. Quoniã vero non solũ tepellens vos habere medicamentũ oportet, sed etiã digerẽs si in scirrhũ durescere aliquid appareat, hoc pacto ipsum parabis, medijs facultate prædictorũ aliquid inijcias cũ coquuntur, pulegiũ, aut thymũ, aut origanum, aut hyssopũ, aut mentham, aut calamintham, deinde vbi percolaueris, optimũ habebis medicamẽtũ. Quòd si calidius esse voles, piper inijcere oportet. Præparaui autẽ nonnunquã & sine pulegio, aut thymo, aut aliquo huiusmodi, id quod ex succis cõparatur, solo ei pipere adiecto. Vetũ omnibus ipsis glycyrrizæ succũ miscens, præstãtius efficies medicamentũ. si diuitibus pares, etiã amomi aliquid miscebis. quantitas horũ eadẽ tibi erir cũ ijs quæ crocum, alumen, & myrrhã recipiunt, vt prius cõprehensum est. Nam illorũ vice, amomũ adhibebis. mastichen autẽ chiam nonnunquã inieci, postquã percolassem nimirum, & incocta huiusmodi iam exemissem.

*De crustis os infestantibus.*

In humidis validísque corporis regionibus, quale os existit, putredo statim oboritur ex quacunque causa exulcerari contigerit. Confert huc etiã quòd nullũ medicamentũ possit perpetuo, vt in alijs vlceribus adhęrete, siquidẽ omnia eluũtur à saliua. Quapropter etiam validissimis medicamentis subinde in ipsis vti cogimur. Validissima sunt, quæ crustam similiter ferris candentibus excitanr. In exterioribus igitur, cũ particula quę curatur crustã acceperit, à validis digredimur medicamẽtis, ad ea quæ ctustas auferunt veniẽtes, quæ quòd

abstersoriæ qualitatis, facultatísque sunt, nemo ignorat. In oris autem vitijs propter loci naturam tutum mihi esse videtur abstersorijs medicamentis, nonnulla valida miscere, quæ seorsim applicata crustas excitant. Propter hanc igitur causam melli maximè abstergenti miscemus medicamina quæ crustas efficiunt: quẽadmodũ in sordidis vlceribus cutem infestantibus diximus admiscenda esse melli quæ modicè abstergunt, thus, eruum, irim, aristolochiã, atq; id genus alia: eadem ratione contraria apponentes, quẽadmodũ Hippocrates dixerit. Nam in vtrisque ratio vna est, vt mediocriter ad dispositionem habeat medicamentũ abstersoriũ, quod offertur. Habebis autẽ cõmoderatũ, si mel sordibus vlcerum imbecillibus abstersorijs admisceas. in quibus autem propter loci naturam recidiua putredinis timetur, valentius aliquod assumito. Bona igitur ratione, arida medicamẽta, quibus crustas excitamus, melli miscuerunt. Quæ igitur huiusmodi medicamenta sint, superius vbi ad oris nomas scriptũ est, comprehendi. Hæc etiam ipsa ad crustas conuenire dicebam, melle ipsis mixto: ac nunc deindè omnia conscribam, quanuis quædam iterum dici videantur. Itaque ab Andromacho prodita paulo antea, reuocare me in memoriam oportet, solum in quibus docuit nonnulla ad oris nomas medicamenta. Apponam autem solum ipsarum initia. vnum itaque medicamentum hoc pacto scripsit.

¶ *Andromachi stomaticum odorum tenerúmque, ad inflammationes & crustas efficax.*

Composuit ipsum ex nucleo oliuæ, amylo, alumine scisso, rosarum flore & croco melli admixto. *Aliud tale tradidit.* Pastillus ad oris dispositiones, crustas, nomas, quo ipse cum melle vsus est: aliáque omnia ad nomas ab eo prodita, etiam crustis conueniunt cum melle.

¶ *Quæ Crito tradidit ad crustas ad verbum ita habent.*

Misy crudũ protinus tollit (in alio habetur cum melle tostum) ad oris autẽ crustas aquato & modico vtitor. Misyos tosti drachmis tribus, mellis boni cyathis sex vtitor. similiter facit & chalcitis tosta cum melle, vt sordium sit spissitudo.

¶ *Archigenes de ipsis ad hunc modum scripsit.*

Crustis peculiariter conuenit stercus caninum, cum melle illitum. aut chalcanthum operculo purpuræ marinæ inuolutum, comburito, deinde læuigatũ cũ melle illinito. aut picem liquidã, cum pari melle momento cedrini liquoris admixto vtitor. aut rhus coriarium abundè in aqua maceratum vsque ad sordium spissitudinem coctũ, melli misceto, & vtitor. Idem facit syriacus liquor cum melle. aut hirundinum combustarum & humani stercoris æqualem partem, cum melle illinito. aut lupi iecoris sicci cochlearia duo læuigata potui exhibeto. Horum medicamentorum alia quidem omnia cõmendo, quod autẽ ex rhu paratur astringenti facultate præditũ damno: vt quæ crustis nequaquã conueniat. de lupi iecore non habeo quod dicã. Nam ad iecorarias dispositiones noui ipsum medicamentũ potari per se, & misceri ei quod eupatorio constat. An verò ad oris crustas potũ conducat, secundũ aliquam totius substantiæ proprietatem, experientia probare solũ oportet, de qua nihil possum pronuntiare, vt qui eo in talibus non sim vsus. Caninum stercus, cum canes ossa vo-

rauerint, optimũ in omnibus existit, & tanquam strenuè adiuuãs & quod nullam ei cui adhibetur insuauitatem repræsentet. Humanum tanquam abominabile semper repudiaui. vsus igitur eo aliquis est, qui non ædere nomen suum, sed latere conatus sit. accipiebat autẽ non quodlibet, sed pueris plurimũ alimenti, panẽ cũ leguminibus, quæ vocantur lupini exhibebat, atque ita siccans, habebat repositũ ad quæcunq; vti vellet. Iam Musa plurimũ vsus est primus stercore canino, albũ semper deligens. scribit itaque in proposito affectu ad eum modum, similiter eodem stercore canino albo vtens. quinetiam hæc ad verbum ipse Musa tradidit.

*Musa ad anginam.*

Ad anginã, caninũ stercus albũ siccato, læuigatũmq; cribro medicinali incernito. habeto autẽ paratũ in lance. cũ vsus poscit, melle subigito, atque tunc perlinito vt cõbibat. Cũ hæc Musa scripserit, æquũ est ab eo testimonium sumere, valentius enim hoc medicamine nullũ nouimus. neque in anginis, neq; in magna paristhmiorum inflammatione, aut tõsillarum adeo vt suffocationis sit periculum.

*Sorani.*

Item medicamenta à Sorano prodita, experti sumus efficacia, in hæc verba scripsit. Chalcitidis tostæ, mellis attici quod satis est. chalcitidẽ terito cũ melle vt sordium capiat spissitudinem & vtitor. *Aliud ad crustas faciens, item ad putrida & fœtida*. Misyos combusti drachmæ octo, iridis illyricæ drachmæ quatuor, croci drachma. hæc læuia facta mixtáque lignea pyxide reponito, & vtitor priuatim vel cum melle. Quinetiam post hæc, ordine sic scripsit.

*Aliud medicamentum Anthera ad similia faciens.*

Iridis illyricæ, sandarachæ, cyperi, singulorum drachmæ quatuor, aluminis scissi, croci, crocomagmatis, singulorum drachmæ duæ. his læuigatis mixtísque vtitor. nõnulli etiam rosarum floris & gallæ, singulorum drachmas duas adiiciunt. vtitor ad putredines & gingiuas abscedentes cruentásque, arido vtitor: ad crustas autem, cum melle.

*Quæ Heraclides Tarentinus ad oris crustas prodiderit.*

Heraclides Tarentinus in commentarijs ad Antiochidem ad verbum sic scripsit de oris putredinibus. benefacit etiam Anthera attactu. quòd si contumacior fuerit putredo, hæc medicina rectè accommodatur. Bdellij vsti partes tres, arsenici pars vna. læuibus mixtis vtitor, & super linimentum carptum rosaceo intinctum, expressúmque imponito. nonnulli bdellij partes octo iniiciunt.

*Aliud, ad validas putredines, & aliarum corporis partium.*

Chalcitidis pars vna, lixiuij, calcis viuæ, æquales partes, arsenici pars semis. mixtis læuibus vtitor.

*Aliud, ad oris putredines, & gingiuas in abscessum venientes.*

Rosarum floris drachmæ quatuor, aluminis scissi drachmæ duæ, gallę tantundem, myrrhæ drachma vna. lęuigatis mellíque mixtis vtitor. Verum ad vlcera leuiter crustosa iniicito aluminis drachmas quatuor, gallarum drachmã vnam, myrrhæ tres obolos. *Aliud.* Aceti acerrimi heminã vnã. tantum salis iniicito, vt non colliquescat, deinde coquito vsque dum inaruerit. cum ex hoc su-

mis aceti cyathum vnum apponito, datóque ore continendum diutius: deinde iterum hoc facito ter quatérve die, ad ea quæ subiacent respiciens. In pueris autem specillo lana inuoluto locum attingens ita figuratum ne ipsum cõbibat. nonnulli arido sale vtuntur cum aceto trito siccatóque. facit & alumẽ rotundum æquali portione & sori. verum locus decocto lenticulæ mellis momento addito collui debet, aut rosarum diluto cum melle. Quòd si putredo non coerceatur, vrere iubeto ambientes locos ferro candenti iniecto, quousq; nullus humor defluat, & locus videatur euictus. post hæc ex prædictis colluere, & Anthera facultate vti ex melle conuenit, donec crustæ ruptæ decidant, atque tunc melle vtitor.

*Aliud odoratum tenerum ad inflammationes & crustas.*

Nuclei oliuæ drachmæ tres, amyli drachmæ duæ, aluminis scissi drachmæ tres, rosarum floris tantundem, croci oboli tres. cum melle. hoc ex Cratippi Narthece esse scribit.

*De gargarione.*

Carnosa quædam particula in summa oris parte suspensa apparet, si quis toto ore latissimè adaperto, linguam deprimat: hæc caruncula duobus nominibus à veteribus græcis nominatur, gargareo & columna: his posteriores medici propè omnes non ita, sed columellam ipsam nominant. Nam eorum qui vuam vocitant, satius est nullo pacto meminisse, non enim particulam, sed vnũ aliquem ipsius affectum vuam nuncupamus. Raro igitur hic affectus in columna generatur, sed inflammationem sæpe admodum experitur: ac nimirum vt in alijs omnibus, in quibus ex humorum influxu morbus existit, ita & in hac prima præsidia fluorẽ reprimunt. Astringentis itaque facultatis hæc esse oportet. si mediocris sit influxus, mediocriter astringentis, quam austeram propriè appellamus: cũ autem vehemẽtior cõstiterit, acerbæ, ambæ siquidẽ astringunt: sed imbecillius quidẽ austera, vehementius autẽ acerba. Porro expositæ à me sunt amborum sæpius materiæ, attamen etiam nunc repetere eas satius est: vt in exiguis inflãmationibus, imbecilles astrictiones: in magnis vehementes assumamus. Collutiones itaque moderatæ sunt, quæ ex palmulis, aut palmarum glandibus, aut quomodocũq; lubet appellare, constãt decoctis, interim aqua sola: interim etiam exiguo mellis indito. Similiter cõuenit collutio ex rosis, capreolis vitis, rubi, rubi canini, aspalathi, cyperi, cytini, siliquarum, mori radicum, hypocistidos, malorum austerorum, aut acerborũ, pirorum, sorborúmq;. his valentiora sunt decoctiones myrti myrtorúmque: item acerborum malorum cotoneorum, surculorúmque mollium ilicis, comari, smilacis, fagi, & glandium ipsarum, mespilorum, cornorũ, & memęcyli fructus. Generosissimè autem parantur ex gallis, rhu obsoniorum & coriario, myricæ fructu, spina ægyptia dicta. similiter fructu horum singulorum per se, & cum alijs decoctorum colluere os ex aqua oportet, mirũ enim est quanto ipsorum misturæ vtiliores simplicium vsu subinde fiant. Aridis autẽ læuigatis attingere columellam sensim ad superiorem regionem exterioremque, ceu ad linguam reducendo. inijciantur autem cochleario lęuia sicca medicamina, ac satius est si iuxta extremum in trãsuersam lineam, quàm in rectam cochlear desinat. Atq; horũ ipsorum mediocria quidem sunt rosæ siccæ, ipsarúmque flos, surculíque sic-

cati quarum paulò antè recensui stirpium, hypocistis, rhœon, coriariorum lapis, quo mulierum crepidas illustrant, vocatur autem ageratus, aloë, cyperus, lentisci flos, radix nardi indicæ, & apud nos montanæ. Verùm his valentius, sed ita, vt non exasperet, manifesto astringit, ægyptiæ spinæ fructus, rhœon, & quod diphryes appellatur: item rhus, qui obsonijs inijcitur: adhæc acerba, balaustium, cytini, malicorium, galla, magísq; cum immatura fuerit. Astringunt exactè etiam alumina omnia: verum inter ipsa scissum tenuius est vtiliúsque. chalcanthum verò vehementissimam obtinet astrictionem, caloris non expers, atque ideo putridis vlceribus congruit: attamen gurgulionem irritat, licet iam sit scirrho obductus. Cæterum succi omnium prædictorum stirpium & fructuum ipsarum similiter astringunt. dictum autem prius de ijs est inter stomatica quæ illinuntur, quorum alia ex musto, alia ex mellis mistura præparantur. Nam succi sine melle repositi plurimum corrumpuntur: aut rursus diutius incocti desiccantur. nonnulli autem succi etiam si in sole æstiuo vsque ad mediocrem crassitudinem siccati fuerint, temporis spatio sicce scunt, & si plurium annorum spatio durauerint, eo siccitatis perueniunt, vt cytinis & balaustijs similiter possint læuigari. huiusmodi sunt succus hypocistidos, vuæ immaturæ, glycyrrizæ, centaurij, & summatim omnes succi. Et si citra mel diutius coquantur, non corrumpuntur quidem, sed temporis spatio redduntur aridi, nonnulli sanè, vt dixi, vt læuigari possint: nonnulli verò qui viscositatem quandam natura obtinent, dilatantur magis quàm læuigentur. Simplicia itaque hæc vtilia sunt: composita autem ex ipsis triplici vsu fiunt: vno quidem ex congeneribus, vbi vehementi molle miscemus, medio indigentes, rosarum florem, aut ipsas rosas, cum galla, aut alumine læuigantes, singuláque prædicta prius lenia medicamina vehementi cōmiscentes: erit enim numerus non exiguus ex tali variatione. Quin etiā pro ipsa duorū quorundam mistura plura erunt medicamenta, dum ea alio aliud pondere miscentur, veluti si rosarum flos, aluminis duplicatam habeat portionē, vel econtrario, si alumen rosarum floris duplicatam obtineat. poterit autem duplicatū aliquid imò etiā triplicatum, aut quadruplum alterū, alteri misceri: constátq; autē cuiuis etiam æquale æquali posse coniungi. hoc itaq; mediū erit extremorum: reliqua omnia quædam propiora molliori sunt, quæ ex rosis maiorem partē recipiunt: quædā vehementissima, quæ plus aluminis assumunt, vtriusque autē haud obscura est maioris minorísque ratio. Cum enim duo sint medicamenta, validū sanè, in quo copiosius est alumen, quam rosæ: validissimū autē est, in quo alumen triplicatā rosarū portionē continet illius medicamenti, quod duplicatā obtinet. Quod igitur semper me dicentē auditis, nunc quoque dicam. desipiunt qui perscrutantur quale sit præstantius in duobus congeneribus medicamentis, aut omniū ipsorum præstantissimū, quemadmodū si quæras num præstet halicam an ptisanam ægrotantibus exhibere: vel vtrum vinum an oxymel, vel inter medicamenta purgantia num veratrum album præstantius sit, an nigrū. vel summatim de omnibus præsidijs quæ sint præstātissima: vniuersa enim respectu ad aliquid iuuant, nocéntque, atque hoc Hippocrates dixit, quem noui omnium primum posteriores secutos esse. Verùm nonnulli ex recentioribus medicis, sicut alia multa nugantur, ita & huiusmodi. Vidistis autem fre-

quenter re ipsa eius quod dicitur veritatem. Intempestiuè igitur quidam medicamentis quæ habebant vsi, ideo quòd affectus his excandesceret, ad alia citra methodum digressi sunt, & cum nihil his proficerent, tertiò deinceps ad alia, nonnunquam etiam quarto citra rationem ad alia se contulerunt, ac arbitrati affectum esse malignum, vocarunt me, vt aliquid eis cõsulerem. ego cum iussissem medicamenta quæ haberent mihi ostendere, id quod præsenti constitutioni conueniebat consului. At cum dicerent ipsi ægrotantem medicamento, quod consuluerim irritari, atque ideo vti se veritos, certò nunc adhortatus vt meo suasu vterentur, indicaui & illis & vobis vtrunque id quod dicebat Herophilus, verum esse. siue enim dicas nihil esse medicamẽta sola per se, cõgruè dices, nihil enim sunt, nisi rectè vtentẽ habeãt: siue contrà, veluti deorũ manus esse medicamenta pronunties, etiam hoc rectè dixeris, proficiunt enim plurimum vbi eum qui ipsis vtitur in rationali methodo exercitatum, necnon industrium, ac natura prudentem habeant. Quidam enim non solũ non præstatiores cum sint, de sapientia cum prudentissimis disputant. Itaq; congenerũ medicamentorum mistura, mediorum vsus gratia efficitur, atq; ideo semper duo vos habere facultatibus diuersa in vnoquoq; affectu præcipio. Nam cum ea mi sceatis, permulta media medicamenta suppetent. vna igitur cõgenerũ medicamentorũ misturæ causa hæc, etiã nunc exposita est: alia autẽ vna diuersi generis medicaminũ mistura, ex huiusmodi fit ratiocinatione, quòd rarò dispositionem inuenias, quæ vel sola digerẽtia vel astringentia desideret: siquidẽ paruæ, de quibus ne dispositionis quidem nomen medici proferunt, statim subsidũt. cum autẽ affectus qui generatur maiorẽ habet hypothesin, fieri nequit vt per repellentia exactè curetur: præsertim cum ægrotãtis corpus multis fuerit humoribus preditum, aut particula affecta imbecillis natura. Huius igitur gratia cogimur sæpe quidẽ statim ab initio, sæpe paulo post aliquod digerẽs miscere. quòd si dolor vnà affligat vehemẽs, etiã mitigatoriũ. Vsus igitur est tunc, prædictorũ medicaminũ vnicuiq; digerentia miscere. Cũ autẽ hęc sint permulta, à mollioribus auspicãdũ est: nã quę inflãmationem experiuntur, acribus excandescunt: idcirco cõposita medicamẽta facta sunt tum ad aliarũ partiũ, tum ad vuę inflãmationes: vtpote cũ alumini miscemus iridẽ illyricã, aut erui farinã, aut thus, aut myrrhã. Cum vero etiã multa sint astringẽtia, & ea quæ citra rorsionẽ digerũt haud pauca, varietas eorũ quę ad columellas cõgruũt, merito magna facta est. Tu autẽ intuitus quã habeat magnitudinẽ caliditatẽmq; inflãmatio, cõtẽplatúsq; id. qđ ab ea defluit q̃tũ existat, præterea copia humorũ in ore per coniecturã deprehẽsã, medicamẽto, aut quod prępollet astringentibus, aut quod digerẽtibus, vtere. Ascribã iam rursus hic quoq; medicamẽta à peritissimis prodita, quędã simul cũ proprijs distinctionibus: nõ pauca etiã citra distinctiones, in quibus ego, sicut in alijs quæ antea cõprehẽdi, proprias distinctiones apponam.

*Quæ Archigenes ad vuæ inflammationem tradiderit.*

De proposito affectu ita Archigenes primum medicamentum conscripsit.
" Vua laxata liquore læui, aut galla læui cũ sale attingito, aut ipso sale dissoluto, aut lycei radice læui, aut omphacio cum melle. Quòd si valide voles reprimere, chalcanthi, æris squamæ, aluminis scissi, misyos, myrrhæ, gallæ, singulorum pares portiones, læues vino exceptas inungito. Si hæc sola Archigenes

persecutus cessasset omnino, reprehenderem vtique, quòd medicamenta facultatis maximè contrariæ citra distinctionem scripserit. Quoniam verò ijs quæ deinceps tradidit corrigit etiam indistinctam horum scripturam, rectè fecit: quòd autem hæc indistinctè prolata sint, inde licet condiscere. Vua, inquit, laxata liquore læui attingito: conueniebat igitur hic quoq; adiecisse, qualinam dicat liquore. Sed quia omnibus iam persuasum est cyrenaicum optimè ad columellæ inflammationes facere, non addidit cyrenæi. hac itaque ratione quis ipsum accusauerit. quatenus autem acerrimum & maximè calefaciens medicamentum cyrenaicum liquorem cum contrarijs scripserit, non adiecta distinctione, neq; indicato tẽpore, quãdo liquore vti conueniat, quãdo autẽ medicamentis astrictorijs, hac parte malè se gessit. chalcanthum enim & æris squamã, aluménque scissum, misy & gallam, omnia paria læuigare in vino iubens, admiscénsque eis & myrrhæ æqualem modum, medicamento composito vuã oblinit, nimirum adstrictione validissimo. Mitigauit autem scripturæ incertitudinẽ, cum ascriberet sermoni de medicamento, hæc verba, si autem validè voles. Nam veluti scientibus nobis quando validis vtendum sit, ita hoc quoque scripsit. Mixtum verò medicamentum inter ea quæ enumerauit existit, galla cum sale, ipsa quidem astringens vehementer: sal autem cum exigua astrictione digerens: priuatim verò sale non per initia, sicut neque liquore vtetur aliquis, sed in vuæ inflammatione quæ in scirrhum indurescit iam & inueterascit. ipse autem non columella, sed vua laxata scripsit, similiter vulgaribus existimãs columellę inflãmationẽ vuã appellari. Et quid mirũ est cũ etiã nostri temporis quidam ob atticismum se ostentet, vt particulam ipsam vuam nominet. magis enim ipse quam Archigenes ignorauit, etsi apud alios veteres vsum appellationis, necnon apud Hippocratem in prognostico hisce verbis facile inuenerit. Gargareones non sine periculo præciduntur, peruruntur, & scarificantur, donec rubicundi coloris & magni fuerint. Etenim inflammatio talibus oboritur & sanguinis perfluuiũ. Verũ huiusmodi alijs instrumentis conandũ est hoc tẽpore scarificare. Hæc prefatus Hippocrates deinceps ait. Cũ autẽ in totũ fuerit excretũ, quod vuã vocãt, & summa gargareonis pars maior & liuida eua serit, superior autẽ tenuior, hoc tẽpore aggredi securũ est. prestat autẽ vẽtre subinanito, chirurgica vti, si tẽpus permittat, & homo nõ suffocetur. Preterea manifestius Diocles interpretatus est, q̃lis affectus sit vua dicta: & post hũc Praxagoras, Mãtiásq;, & qui ea quæ affectibus adsũt cõscripsere. Nõnulli verò etiã propterea vuã affectũ appellatũ esse dixerũt, quoniã summa gargareonis portio acino vuæ respõdet. Quæ postea Archigenes prodidit recte dicta sunt, qui distinctiones vsus ipsorũ apposuerit. Verba ipsius ita sonant. Cõmune medicamentũ columellę, & paristhmiorũ. Cõmuniter paristhmiorũ, aut columellę inflãmatiõibus, aut exulcerationũ initijs, statim cõuenit quies, inedia, cõgrua victus ratio: gargarismata autẽ lęuiter astringẽtia, posca aquosa, tepida, aut mulsa, aut palmę glandium, aut pampinorum vitis, aut malorum cotoneorum, aut mespilorum, aut pirorum syluestrium, aut rosarum decoctum mellis momento cum austeris decoctis mixto. Porrò antea quòd per se mulsa per inflammationũ initia vti iusserit, nõ rectè factitauit. Mulsa enim nihil habet astrictoriũ, sed principalissimum quidem ipsum, aliquis abstersoriũ dixerit, cum hoc si

digerens addiderit, non peccauerit. Quæ igitur deinceps ab eo scripta sunt benè habent, ad verbum ita sonant. Bene facit etiam acaciæ succus aqua dilutus. perlinere autē oportet cū similibus stomaticis, nempe Lite diamoron & rhus syriaci coriariíq; diluto, cocto vsq; ad cōsistētiam, melle admixto vtitor. Aut malorū punicorū dulcium & acidorū succo decocto vsq; ad mellis spissitudinē vtitor. Aut vuę immaturę expressione præparata vtitor, aut rubo, aut lētisco, aut terebinthina, aut myrrha, aut rosarum succo, cū melle vtitor. & post hæc applicare extrinsecus alumē scissile, cū aloës dimidio, & exiguo acaciæ, cū solani succo cōsulens, ita ad verbum infert. Quòd si inflāmatio perseueret, aceto tepido priuatim gargarizato, aut galla læui admixta, aut rubi, aut syluestris oleæ radicis, aut cyperi cum melle decocto, vel passo cum aqua, aut cucumere calido, aut maluæ decocto. Constat autē cuilibet communia hæc remedia, sicut prædixi, columellæ, & paristhmiorum esse. Verum non recte mihi videtur passo cum aqua fidere, medicamento ad huiusmodi imbecilli, quemadmodum cucumerino maluæ'q; decocto, priusquam affectus ad suppurationē deueniat. conueniebat autem hoc ipsum indicasse. Cæterum connectens subsequentia superioribus, Archigenes hoc pacto disseruit, Illinito etiam superioribus ad faucium vlcuscula transpositis: proprie autem pice cum oleo, aut melle, aut crocomagmate cum momento gallæ ex melle, aut alumine rotundo cum rosarum flore læuigato: aut rosas aridas, aut florem ipsarum læuem inspergito, aut in paristhmia, & vuam inspirato, aut cyperi radicem, aut myrtū, aut lentiscū, aut rubū, aut gallā, aut salem tenuē similiter inspergito, aut omphaciū, aut lentiscum cū melle illinito, aut rosarum florem, aut crocum cum mali punici succo. Hic rursus astrictotiam medicinam digerenti citra distinctionem miscuit, nihil enim simile inspergere salem tenuem, aut rosas aridas earúmque florem, aut pice cum oleo calefacienti digerentíque medicamenro vti: aut galla & alumine, medicamentis maxime astrictorijs. Etenim cum inflāmatio in vetustatem incidit & scirrho indurescit, pulchre aliquis picem liquidam adferet, aut aridam oleo liquefactam. tunc & sal vtilis, corpote nimirum prius euacuato. Cum autem affectus incipit, aut augescit, & cum multo calore viget, maxime contrarium est auxilium oleum & pix, eadem ratione & sal. Deinceps porrò bene scripsit Archigenes in vigenti affectu pręsidia, innuit autem hinc augeri, & nihil à propositis adiuuari. habent ipsius verba hunc in modum. Quòd si affectus vigeat, venter subducatur, aut gargarizet ex furfurum lotione calida, aut ptisanę succo, aut passo tepido, aut dulcis radiculę decocto, cum passo & hyssopo, aut ficubus vino incoctis, aut ptisanæ cremore in quo decoctę sint vuæ passæ. Cęterum permultum iuuatur si amygdalinum oleum in aures instillauetis, & extrinsecus foueri debent spongijs expressis, & cataplasma ex farina ordeacea imponi debet, aut ex lini semine, aut fœnugræco, vel etiam smegma ex his parabitur. Si igitur paristhmia ad suppurationem spectant, adiuuari debent ficuum decocto continuè, ac ferè sine interuallo gargarizandum dando, vel mulsa calida similiter. Quòd si nihil tale appareat, intendantur autem, & difficulter per initia deglutire possint, vt strangulatus suspicio sit, venter validè clystere, aut glande subducēdus est, aut sanguis ex cubito mittendus, cucurbitulæ ceruici, & mento, cum scarificatu

m.ij.

agglutinādę sunt, fotibus, & cataplasmatis frequētius validiúsq; vtemur, & gargarismatis continuè. Quòd si his remedijs nō cedat malū, sed intēdatur, venę sub lingua incidi debēt, aut quæ angulos oculi perreptāt, aut etiā quæ in frōte habētur. Cæterū crebro perlini debēt taurino & elaterio simul cū melle, aut sale cū oleo veteri ex melle & aceto, aut centaurio cū melle, aut absynthio cū nitro & melle. aut hirundines totas cū pēnis combustas læuigatásq;, cum melle illinito. Affirmant nōnulli etiam summè facere hirundinis pullos, pingues, admodum recentes, salsos, tostos, esuíq; ipsis exhibitos. statim enim suffocatum leuant. At si pueri aut senes fuerint, sulphur & iridem, cum melle dato linctu, quòd hæc cōmunia sunt amborū, sicut initio dixit, vuæ & paristhmiorū remedia, clarū reddidit etiam dictis subsequētibus ita inferēs. Nonnulli synāchicis, aut cynāchicis, elaterij, aut fellis taurini, vtriusq; obolos duos cū tepida mulsa potui exhibēt: qdā verò asellos, qui sub aquarijs latitāt, cū aqua ꝓpināt, aut linctu exhibēt, aut dolētibus partibus illinunt. iam admodū testātur adiuuari etiā si vapore locus hic intrinsecus foueatur, origano, aut hyssopo, aut satureia vnà cū aceto abundè feruefacto in olla diligēter oblita. operculū autem habeat in medio foramine, deinde fistula operculi foramini vsq; ad affectū adaptata sinito foueri. Quòd si os feruētis fistulę cōburatur, ouū vacuū perforatū vtrobiq; in ore cōtineāt, ac per ipsum fistula deducatur. mollior autē fotus efficitur, si loco aceti aqua adhibeatur. nōnulli nitrum, origanū, nastuttij semē, & oleū cōtrita in posca miscēt, ac similiter fouēt. aut cinere pullorū hirundinis nōdū pēnatorū oblinito: aut solani succū & butyri ęqualē modū, cū rosaceo cerato mēto imponito. ijs qui suffocātur pissariō cū aqua & nitro ꝓpinato. Hæc sanè Archigenes conscripsit, ego verò nunq̃ aggressus sum vlli in huiusmodi dispositionibus medicamenta potui dare, qualiū tum ipse, tum alij quidā meminerūt.

Hoc igitur quod ad calcē superioris orationis scriptum est hisce verbis, ijs qui suffocātur pissarion cum aqua & nitro propina, qua ratione dictū sit, cum nō possim mihi persuadere, imò cum neq; præceptorē vllū, neq; aliū vti viderim, nec ipse vti sum aggressus. Etenim sanguinem ijs qui suffocātur detrahere, & clysterē acrem indere & purgātia exhibere, quò totū euacuetur corpus, & humores qui ad affectas parteis impetū faciunt deorsum reuellātur, rationi cōsentaneū est, & lōga experiētia cōprobatū. similiter etiā post totius corporis inanitionē, & reuulsionē ad inferiora factā, acribus vti medicamentis, abunde digerētibus bona est ratio, simul & vsu approbata. picē autē cū aqua & nitro propinare, cum neq; alium quempiam viderim, neq; ratione ducar, abstinui.

¶ *Apollonius in primo paratu facilium ad verbum ita scriptum reliquit.*

Apollonius in primo de paratu facilibus remedijs ad verbū ita cōtra columellę inflāmationis medicamēta, quę illini possunt cōscripsit. Sale lęui & melle perlinēs columellā reprimes, pice oblinēs digito reprimito, liquore cyrenaico aqua soluto columellā attingito, chalcitide lęui similiter, omphacio lęui cū melle vtitor. Hæc qdē Apollonius. Licet vobis in ijs, quæ citra distinctionē scripta sunt cōtueri, nisi quis vires vniuscuiusq; indistincte proditas cognouerit, vt cōuenieti tēpore vtatur, maximā noxā afferre. Scriptū enī indidē primū omniū, vt sale lęui cū melle vtamur, postremū verò omphacio cū melle: cōtraria facultas est omphacio, cū sale. Quapropter si quis ꝓinitia sale vtat, pręserti vbi cor-

pus est plethoricum, vel ea quæ in capite habentur, extremam laboráti læsionē cōciliat. omphacium per initia vtilissimū est, vt quod non attrahat neq; alliciat ad se id quod in alto latet, quēadmodū sal cum melle, verum repellat. Sal autem cum melle digerētem vim obtinet, q mel vbi cum sale mixtum est, exiguæ admodum astrictionis particeps sit. cum autē mel mixtum fuerit, etiam illud absolute obscurat. Atq; id quod pice constat inueteratis inflāmationibus, & vt ita dicā, scirrho iam indurascētibus idoneū est, quēadmodū etiā cyrenaicus liquor nō incipiētibus, sed postq̄ id quod influit astringētibus fuerit repulsum. Chalcitis neutiquam idonea est, nisi dispositio vehementer inueterata & ad curationē cōtumax fuerit: quippe cruda cū assumitur mordax est medicamentū, atq; ideo cū vim ipsius imminuere cogitamus, sæpe ea cōbusta vtimur. Deinde post cōmemorata, Apollonius hæc ad verbū tradidit. Gargarismata ad columellā relaxatā ac pēdulā. Origanū tritum aceto & aquę mixtū subferuefacito, & caricarū succo mixtis vtitor, ex eis gargarizandū dato. Aut hyssopo trito & caricarū coctarum succo mixto vtitor. *Aliud.* Origanū similiter, mētham, rutam, & coriandrum tritum lacte asinino ad gargarizandū exhibeto, apio & lauri folijs in lęuorem tritis, vinóq; subactis, aut lenticulæ decocto vtitor. Noui quendā qui omnibus ab eo confectis indistinctè vteretur, initio inflāmationis gurgulionis horum aliquo vsum, extremè nocuisse. Nam preter alia ignorauit quidnam esset, quando columella deorsum penderet, cū Apollonius velit gurgulionis dispositionē admodū relaxatā citra inflāmationē indicare, quā etiā præcidere cōsueuimus, & reuera cōducūt in ea medicamenta, quæ pituitā educunt calefaciúntq;. Etenim magna ex parte subalbida fit & exanguis. Deinde ad verbū ita scripsit. Vrina asini copiosa & calidissima potui datur. idē facit etiā ad anginā. In huiusmodi præsidijs scriptores demiror. Noui enim ego omnes homines paucis exceptis citius mori velle, quam asini vrinam bibere. Hic [copiosa] adiecit, alioquin, vt prius dixi, absurdissimum est eum, qui oris inflammationem curat, medicamentum dare potui, quod non sit ex genere purgantium. hæc enim alterius vsus gratia exhibentur. Aliorum vero abunde est etiā, quæ licet non potentur, auxiliari possunt. Iam quod post hoc scriptum est, similem habet absurditatem. scribit itaq; sic de eo, Lauri folia trita ex vino & aqua potui dato.

¶*Heras igitur multo melius Apollonio hunc in modum ad columellas laxatas scripsit.*

Gallæ immaturæ, salis ammoniaci, singulorum pars vna. læuigatis singulis & priuatim, & simul pleno cochleario vuam attingito, lapidem ageraton dictum, quo coriarij illustrandis mulierum calciamentis vtuntur, derasum pleno cochleari vuæ admoueto. Ex his duobus medicamētis alterum, nempe posterius lenissimum est, neque ad nocendum quicquā, neque ad vehementer iuuandum efficax, quocunque tempore quis eo vtatur. Valētius autem primum est. itaque cum incipit affectus, aut vehementer rubet, idoneum non est. At si toto corpore prius euacuato, & vbi nos repellentibus vsi fuerimus medicamētis, postea applicetur gurgulioni haud admodum rubenti, iuuare potest. Nam ex contrarijs validis facultatibus constat, repellenti & digerenti. Parum igitur rectè fecit Heras, qui citra distinctionem ea prodiderit.

*¶Heraclides Tarentinus in commentariis ad Antiochidem & ipse hoc pacto scriptum reliquit ad columellas inflammatas.*

Omphacium aridum, misceto mellis quod satis est & attingito, aut galla læui cū melle, aut alumine scissili similiter, vel liquore cyrenaico cū melle, vel creta sutoria, vel Andronij medicamento, quod inter vulneraria exponam, cū vino. oportet autem postea lentis decocto gargarizare. Recte hoc fini apposuit: nam vehemētia sunt omnia ab ipso prodita medicamenta, acerba qualitatibus eoq; exasperātia: lenire igitur aspritudinē ab ipsis cōtractā lenticularum decocto instituit. Si autē mediocriter inflāmationē experiātur, non necesse est his vti, quemadmodum nec cum rubent vehementer, & calidam sustinent inflāmationē columellæ: imo nec cū declināt. prepollere enim tunc digerentium medicaminum facultatem conuenit.

*¶Asclepiades autē de ipsis hoc pacto conscripsit, aridū ad columellas laxatas.*

Anethi cum semine & radicibus quantū satis est, conijcito in vas fictile ore obstructo & argilla circūlito in foco torrefacito, vt vas incādescat: deinde exempto a foco cōbustū anethum terito, ac excipiens reponito, cum vsus exigit duas anethi partes acceptas, & iridis illyricæ in puluerem redactæ partem vnā, mixta per fistulā inspirato. Rosarum siccarū sextarium vnū, nardi gallicæ cū radicibus & terra circundata fasciculum vnum, hirundinum syluestrium pulli siccati drachmas tres, myrrhę drachmas octo, gallas omphacitidas, hoc est immaturas numero quadragintaquinque. contusa cribratáque inspirato, & digitis applicato. Horū duorū medicaminū prius sanè, nihil prsus habet ex repellentibus, sed totū est digerēs, alterū vero mixtū est ex contrarijs, digerenti sanè admodū, syluestriū hirundinū pullo: astringēti autē, gallis: media virtute, myrrha: mixta, nardo gallica, habet enim & astringens & digerens, ambo mediocria. Atqui per fistulam huiusmodi medicamēta admodū damno. Nam multa ipsorum portio etiam in asperam arteriā & stomachum delabitur. præstat igitur in cochleariū coniectis ipsam reprimere: quemadmodum me vidistis factitare. Iam aliud tertium medicamentum Asclepiades post duo commemorata his verbis conscripsit, Aridū ad vuam relaxatam tumidámq; Neapolitæ. Piperis albi drachma vna, myrrhæ tantundem, aluminis scissi drachmæ duæ, gallæ immaturæ tantundem. læuibus attingito. Hoc medicamētum post initium perpetuo vtile esse potest, nisi in vehementer rubidis: in illis siquidem cauendum est acria miscere & mordacia vehementer, quale est indidem piper. Iam aliud eiusdem facultatis ordine ad pretumidas vuas conscripsit, quod hæc recipit. Lapidis agerati, lapidis asij floris, terræ samiæ, singulorū drachmæ quatuor, aluminis scissi, croci torrefacti, gallarum immaturarum, singulorum drachmæ duę. læuibus vtitor. Hoc etiam nos vsi sumus sæpe, vt quod præstantissimum sit, & quouis tempore iuuare possit, preterquam, vt in primo a me dictum est, neque per initia statim, neque cum rubet calidúsque inflammationis tumor est. At in vetustis iam & corpore vacuo post vnum vsum statim maximum præsidium indicat. Etenim vehementer astringentia digerentiáque, & ea quæ mediæ materiæ sunt, temperatè in ea sunt mixta.

*¶Critonis medicamentum hoc pacto ad columellas scriptum.*

Ad idem tempus præparato palmularum ossium & nucum tenerarum rau-

cidarum, ficcarúmque, vtriúſque drachmas quatuor. combuſtis & in puluerē contritis vtitor, ſiccō attingens. Atq; in hoc medicamento combuſtorum oſſium palmę facultas abunde digerit. etenim in alijs ipſius affectibus experientiam habemus talem exiſtere: item nucum tenerarum ſiccatarum cinis digerendi vim obtinet cum aſtringenti.

*Soranus medicamentum indiſtinctè prodidit, non adiiciens, quibus propriè ſit efficax. habet ipſius dictio hunc in modum.*

Glycyrrizæ contuſæ mel affundito, & aquam dulcem pari menſura, deinde ex ſucco cocto gargarizato. Errauit quod nō aſcripſerit medicamentum hoc eſſe leuiſſimum, in ſtatu inflammationum vehementer efficax. fit huius vſus cum ab acerbis medicamentis vuam immoderatius quis irritauerit exaſperarítque, nam hoc medicamentum ipſam mitigat.

*De medicamentis ad aphthas.*

Superficiaria oris vlcera aphthas vocant, quæ etiam caloris ignei nonnihil obtinent. oboriuntur autē hæ plurimum infantibus, cum aut lac nutricis fuerit vitioſum, aut non probè adeo infans ipſum concoquit. Cæterum magna ex parte facilem curationem recipiunt, vt quæ mediocriter aſtringētibus ſubſidant, interim ſanè etiam in vetuſtatem incidunt, & ægre ſoluuntur, temporiſq; ſpatio putridum illud, quod Græcis medicis à depaſcendo Nome dicitur, experiūtur. ſcripſit itaq; etiam aduerſus hæc, medicamina, mediocria ſanè, ad eas quæ nihil maligni habent: valida autem, ad eas quæ iam depaſcens aliquid, & putridum ſentiūt. Ego autem eorum meminero, quæ recētiores collegerunt, quandoquidem & veterum medicorū optima ſcripſerunt, deligentes ea, longo vſu & experientia: ac nonnulla, quę poſterius inuenta ſunt, appoſuerunt. Inuenies poſt veteres Mantiam & Heraclidem Tarentinum plurima conſcripſiſſe medicamenta: ſimiliter etiam Menecrates librum optimorum medicaminum inſcripſit, quorum plurima ipſe inuenit, ſicut & Heras Capadox. Andromachi duo tertium quoq;, in quo oculorum medicamina tradita ſunt. Plures autē libros cōpoſuerūt Petronius Muſa, & poſt ipſum Aſclepiades duo: deinde Crito. Verū hi quidē tres poſt Andromachū extiterūt. Heras autē ante Andromachum, & poſt eum Muſa & Menecrates. multo his prius Heraclides eiúſq; præceptor Mantias. Sed hic quidē vt ab initio erat ſacrorū ſtudioſus, ita etiā perpetuo permāſit. Heraclides autē ad empiricorū medēdi rationē deſciuit, inter medicos tum alia artis parte optimè inſtructus, tum plurimorū medicamētorū peritus. Cū igitur aphthæ, de his enim dicere inſtitui, ad malignū conuertūtur, validioribus indigent remedijs, qualia etiā aliàs in pariſthmijs & ore diſpoſitiones medicātur. proinde cū iam cōpoſitionis illorū ſcopos prius expoſuerim, nihil adhuc vt de his dicā opus habeo. Verū ad eorū quę prius cognita ſunt, perueniā, auſpicatus ab Andromachi medicamentis, vt conſueui ad verbum ea ſcribere.

*Quæ Andromachus ad aphthas tradiderit.*

Non ſolum Andromachus, verū alij quoq; duplicia medicamentorū generà ad aphthas cōſcripſerūt. in ijs ſanè quæ nōdū malignū experiūtur, mediocria facultate medicamēta cōponētes: in malignis autē, fortiora. Cæterū inter hæc ipſi adſcribūt aliàs ipſū ad aphthas, & vlcera cōuenire, aliàs ad putres aphthas,

cum autẽ simpliciter ascripserint ad aphthas simplices indicant & nihil habẽtes maligni. Andromachus igitur ad malignas aphthas ita scriptum reliquit.
„ *Ad oris aphthas & vlcera.* Aluminis scissi combusti drachmæ duæ, ericæ seminis
„ drachma vna. cum oleo locum digito extergito. *Aliud ad eadem.* Aeruginis dra-
„ chmæ duæ, aluminis scissi partes duæ, gallæ in puluerem redactæ pars vna.
„ læuigata per linteolum in puluerem redigito, deinde oleo digitum imbuens
„ excipiénsque aridum applicato, plurimum tonsillas, & palatum extergens.
„ Aufert autem pelliculam, & oris asperitates tollit, & callum excoriat, vlcera
„ ad cicatricẽ perducit. Ad superficiales aphthas hoc pacto scripsit. Ad aphthas,
„ Lycium indicum cũ vino læuigatũ circumlitũ facit etiã ericæ semen læue, aut
„ rosæ siccę cũ melle. hæc præfatus infert. Quòd si nigræ fuerint & prauæ, vuæ
„ purgatæ partes tres, anisi parẽ modũ, læuia cum melle illinito, deinde colluito.

¶*Ad aphthas Critonis.*

„ Crito ad aphthas hoc pacto scripsit. Portulacã in mel tinctã mandet. Aut oleæ
„ folijs vino incoctis colluat. Aut myrti albæ foliorum decocto cum vino. Aut
„ æruginis vermicularis obolos tres in vini heminis quatuor læuigatis colluat.
„ Item galla trita acetóque * incocta illinito. Iam & amygdala amara cũ mel-
„ le benefaciunt. Ad aphthas nigrescentes, vua passa acinis purgata & aniso læ-
„ uibus cum melle illinito. Item Heraclides Tarentinus, Erui farina cum melle,
„ & galla cum melle attingito: conuenit autem & rhus obsoniorum cum men-
„ thę surculis. Esto autem rhus mensura quantum tribus digitis prẽhẽdi potest,
„ mẽthæ autem surculi tres, & rosarum folia septem, nuclei pinei septẽ. his om-
„ nibus cum melle læuigatis vtitor, aut lycio cum aqua, conuenit & fæx vini
„ dulcis cum melle illita, aut alumen & corticem mali punici dulcis ex æquo tri
„ ta, & adipe anserino mixto perlinito, aqua calida frequentius colluito, & pri-
„ us cum adipe anserino coquito. *Aliud Musæ.* Tamaricis seminis drachmæ sex,
„ aluminis scissi drachmæ duæ. vnguntur ex oleo. *Aliud pueris potissimum efficax.*
„ Rhus rubrum læue cum melle mixtum perlinito. Aut adipem suillum cũ mel
„ le. dato ipsis lac asininum ad colluẽdum. Quòd si plurima saliua efferatur, gal
„ lam & solanum aceto subacta fac colluat. violas albas aridas tritas cum melle
„ perlinito. Iure aliquis damnauerit Critonem, qui hęc prodiderit, quod in alijs semper reprehendo, dum indistinctè auxilia ordine enumerant, non apponentes affectu incipiente, aut increscente, aut decrescente, aut vigente, aut declinante, nec quod exiguus sit, mitis, aut prauus adeo vt putridum aliquid ei sit coniunctum. Ex his enim medicamẽtis nonnulla sanè simplicissima pueris cõueniunt potissimum, cum nullam habẽt dispositionem, veluti cum adipem suillum & mel liquefacta assumit, multóque magis, cum ex lacte asinino collui præcipit. Est autem simplicissimum medicamentum etiam portulaca si melli intincta fuerit & mãdatur: itẽ collutio quę fit ex oleę folijs, necnõ quæ ex alba myrto præparatur similiter. Validissimũ quod ex ærugine & vino confit, sicut & galla aceto acri trita & illita: siquidẽ valẽs hoc admodũ medicamẽtũ est, veluti etiã, & quod ęrugine cõstat. Verũ in illo sane paucissimũ ęruginis est, tres enim obolos dixit, in vino heminę quartario læuigatũ & colluendo imbecille redditur vini misturæ copia solutum. Galla verò in aceto acri læuigata crassa adeò vt perlini possit, admodũ vehemens est medicamentum: sicut etiã quod

* Vetus addit, acri

ex alumine, corticibus mali granati dulcis componitur. Quòd si nō adipi anserino mixtum fuisset, ad putredines vtique validas conueniret. Iam etiam validum est, quod ex myricæ semine constat & alumine. Verum nō adeo vt quod gallam & acetum recipit. At semel duntaxat recte se gessit, qui ad verbum ita apposuerit. Quòd si copiosius saliua efferatur, fac vt ex galla & solano aceto maceratis colluant: nam copiosius efferre saliuam, indicat dispositionem esse majorem. præstaret autem aperte dixisse, quòd si dispositio depascere inceperit, aut vlcera profunda euaserint, aut eiusmodi aliquid ascripserit.

*¶ Quæ Asclepiades ad aphthas prodiderit.*

Recte igitur Asclepiades factitauit etiam si nō multa adeo medicamenta ad aphthas cōscripserit. verū quū duo per initia hoc pacto posuisset, Ad aphthas citra depastionē, deinde post duo rursus adiecisset, Ad aphthas depastas, lenia enim & rosionis expertia duo hæc sunt medicamenta, alterū sanè prius tradit in quo ait. Medullam bouillam melli mixtam tepefactámque illinito: maxime autem vtile est infantibus. deinceps subdit, adipe suilla melli mixta vtitor. Ad aphthas depastas, cum iussisset gallarum decocti cyathum vnum & mellis parem mensuram misceri & feruefactis vti. Ego & hoc & alia tria post ipsum paulo superius prodita, inter medicamēta ad nomas conscripsi. Etenim nihil puto interesse siue ex aphtha, siue ex alio quodam in Nomen, hoc est depastionem transitus fiat.

*¶ Quæ Apollonius ad aphthas scripserit.*

Apollonius Herophillus in primo de medicamentis paratu facilibus hoc modo ad verbum scriptum reliquit. *Ad albas aphthas.* Chalcitidem oleo tritam pinna illinito. hoc statim finit morbū. Vbi verò puræ euaserint, myricæ semē læuigatū & mulsa solutū, aut vino, illinito quàm maximè pueris. Deinde aliud profert potissimū ad aphthas nigras, Vua passa acinis exemptis, & aniso, læuibus cū melle perlinito. Ac rursus aliud deinde, Chalcātho cremato læui cum melle vtitor. Quippe apparet in malignis his vti medicamētis iubere. Scripsit itaque in primo, medicamēta ad aphthas albas: in secundo, ad nigras, indicans colorem preter naturā & affectus magnitudinem. Deinde cū ad aphthas collutiones apposuisset, ita ad verbū adijcit, Vino nigro austero & læuiter astringenti colluito: oleæ folijs in vino decoctis abluito: myrti albæ foliorū decocto cū vino similiter vtitor. Hæ collutiones citra distinctionem scriptę nullā noxā inferunt. Etenim in mediocribus & maioribus maximísq; dispositionibus cōueniunt. Probe autem deinceps aliud vehementer efficax conscripsit. Aeruginis vermicularis obolos tres tritos in vini heminæ quartario dato colluēdum, deinde ita vino colluito. Hoc enim in validioribus congruit, quēadmodum & quod deinceps ita proditū est. Muriam oliuarum & acetū pari modo mixta dato ad colluendū: deinde sic vino perluito, postea mulsa, deinde rursus aqua vtitor. in omnibus autem oleo colluito. Post hæc duo scribit medicamēta diuersis aphtharum speciebus congrua: etenim hyssopum tritum calidis & rosionem expertibus dispositionibus purísque maxime aduersum est. Conuenit autem sordidis & inflammatione tentatis aphthis: omphacium vero cum vino, puris idoneum est, & ijs quæ mordentur roduntúrque. Verum iubet ex omphacio cum vino trito collui, hyssopo cum vino trito aut mulsa. Validum ad-

modum estquod post hæc ponitur medicamẽtum, ceu iam etiam depascentibus aphthis conueniens, quod conficit, myricæ semen cum aceto decoquens. Iam valens est quod hoc sequitur, in quo ait, galla trita in aceto acri datur ad colluẽdũ. Iam post hæc scriptum, in quo ait, liquoris silphij subacto similiter vtitor, postea oleo eluito: etenim id acre & mordax est digerénsq;, non astringens. Itaq; parum recte mixta sunt astringentia, acerba, & repellentia, digerentibus & acribus, citra distinctionẽ conscripta. Quod hæc subsequitur, quoniam ex aceto pręparatur, generosum est: quoniã vero non adiecit aceto, acre, & quia ex lini semine, moderatius fit. adiecit autem ei etiam lolium, digerens admodum medicamentum. Idcirco & ad linguæ tumores laxos, quę œdemata dicuntur, conuenire pronuntiat. Ascribam totam ipsius seriem. Lini semine & folio pari pondere tritis ex aceto eluito. Hoc autem ipsum facit etiam ad linguæ œdemata. At mitius multo his omnibus medicamentum ordine tradidit his verbis. Folijs pruni contusis & lacti mixtis ex vino eluito. Cum enim appositum sit eluito, constat quod multo lacti pauca folia misceat: nam si folia cum lacte lęuigata medicamentũ iussisset esse quod illini posset, constaret vtique multa quidem folia, lac autem paucum esse præcepisse. deinde vero cum adscripsisset quę mandi possunt ad aphthas, infert, oliuæ muria conspersæ, quæ halmades dicuntur, mandere oportet. Nullum vero latet, medicamentum esse mitissimum: deinde rursus portulaca melli intincta mandi debet atque hoc similiter lene est. Differunt inuicẽ hæc duo, quòd halmades astringant & digerant plurimúmq; contineant facultatis astrictoriæ: portulaca vero cum melle, imbecillius sit medicamentũ. Deinde recte factitauit qui pueris conuenire dixerit quæ enumeraturus est medicamina. scribit autem de his ad verbum hoc pacto. Cum puer aphthas experitur, similaginem, medullam bouinam, & farinam cocta inducito. Quòd si sugere nequeat, lienẽ bouillum incoctum vino tritúmque cum melle illinito. Hoc sanè medicamentum est superuacuum: deinceps autem recte scripsit abstinendum esse in victu acribus, salsis acidísque cibis & potu. Deinde haud noui quomodo post id in hæc verba scribat, Chalcanthum lęue cum melle oblinito: hoc conueniebat superius inter valida medicamina scriptum esse.

*Quæ Archigenes ad aphthas prodiderit.*

Nõnullis sanè etiam ex ijs quæ Archigenes ad aphthas scripserit, eadem cũ prædictis existunt: sed visum mihi est omnem ipsius seriem ordine persequi, ita vt nihil relinquatur. Scribit itaque sic, Ad aphthas, collutiones quidem facito, oleæ foliorum decoctum, aut myrti albæ foliorum. similiter oliuæ colymbadis aquam, Benefacit etiã amurca & marrubij succus, aut lenticulæ decoctum, aut rubi, aut cyperi, aut æruginis vermicularis tresoboli in vini gnidij heminis quatuor, & perluat. Iam plura ex stomaticis vt dicũtur ad illitum vtiles, benefaciunt. hæc autẽ peculiarius congruunt. Lentisci, rosarum floris, ęqualibus ponderibus, myricæ seminis duplicato. aridis vtitor. aut thus, glycyrrizæ succum ęquali pondere: gallæ, myrrhæ, anisi, singulorum exiguum cum sapa illinito. *Aliud.* Manna & sale æquali pondere aridis per pinnam attingito. *Aliud.* Fęce vini dulcis cum melle illinito. *Aliud.* Misy, alumen & rhu cum melle illinito. *Aliud.* Aut chalcitidem cũ oleo pinna illinito. admodũ salutare

est medicamentum. Aut oleæ folia cũ oleo perlinito. vbi vero purgatæ fuerint, myricæ semine cum mulsa aut vino illinito, aut abstersas erui farina & melle galla cum melle attingito, aut myricæ semen & aluminis tertiam partem cum oleo inungito. hoc etiam ad nomas facit. aut adipi suillo porcinóve mannam inspergito illinitóq; aut gallam læuem cum oleo, aut alumen liquidum resolutum. Folia cyperi mandent. aut licij radice arida attingito, aut oleę surculis leuibus cũ melle, aut galla cũ sale. Quòd si intendatur serpántq; depascendo putrium modo, collutionibus quidem & gargarismatis vtendum est ad aphthas validioribus, priuatim autẽ muria frequẽtius, aut ex herba sacra, aquę aut vino incocta, dato colluẽdum aut gargarizandũ. Inunctionibus quidem validioribus vtitor, seorsim autem cornu ceruino læuigato attingito, aut chalcátho tosto læui cum melle, aut ærugine æris aut squama cũ melle. Summe facit ad nomas fœniculi radicis combustæ cinis. Hæc ad aphthas tradidit Archigenes in primo de medicamentis fere omnia, & ab alijs conscripta. Quur igitur hæc bis scribere volui cum id facere caueam? quoniam & Archigenem cũ alijs scirem præstantiorem in scribendo communia cum proprijs distinctionibus, videbam & ipsum in multis huiusmodi disciplinã negligere, nũc igitur deinceps omnia fere abstergũt præsidia post cõtinua serie enarrata, & mitissima & acerrima. Quid enim simile ærugo habet cum lentis rubi & cyperi decocto? quid galla cum adipe anserino & suillo? etenim ærugo medicamentum est acre, erodens & vehementer desiccans: rubus autem & cyperus & lenticula minimam obtinent astrictionem, ita verò & galla validissime astringens, vim habet contrariam adipi suillo & anserino. Iam scripta sunt mutuo se subsequentia, quẽadmodum priora: alia vero quorum meminit, eandem inordinationem obtinent. Præstaret quemadmodum semel in oratione dixit, hoc etiam ad nomas valet, eodem modo de alijs distinguere, adiecto, hoc infantibus aut pueris cõgruit, hoc adultis: & hoc quidem incipientibus aut mediocribus aphthis, illud vigẽtibus aut validis. multo autẽ magis vel igneis vel calidis vel frigidioribus potius, & inter igneas, hoc quidem rubicundioribus: illud verò, flauescẽtibus. siquidem aliæ inflammationis naturam, aliæ erysipelatis imitantur: quemadmodum rursus quæ non igneę apparent, pituitosę omnino sunt, sicut ex inueteratis nonnullæ melancholici humoris malitiam acquirunt. At dignoscentur omnes facile & visu simul & tactu: visu sanè per colores sicut modo à me comprehensum est. siquidem rubentiores, sanguineum prepollere humorem indicant, flauæ magis biliosum: queadmodum rursus quę albescũt, pituitosiorem: quæ liuent nigricántque, melancholicum. Qui enim hæc distinxerit, sciátq; vniuscuiusq; simplicis medicamenti vim, vt in ipsorum doctrina scriptum est, in singulis aphthæ speciebus vti nouerit & simplicibus, & compositis medicamentis, vti frequenter iam à me declaratum est. Iam etiam simul inspiciet corporum naturas, num molles sint & humidæ, vt in pueris, eunuchis, & mulieribus: an duræ & siccæ, sicut in messoribus, nautis, venatoribus & agricolis. nam validioribus corporibus validiora adhibebis medicamenta, imbecillioribus molliora. Ego sanè in infantibus quos nutrices educant lentem cũ exiguo pane & medulla ceruina aut vitulina exhibeo: cibo autem misceo etiam mala cotonea, aut alia quæ astringunt, quemadmodum Romæ cestiana

dicta, & huiusmodi pira, sorba, mespila, & corna: nonnunquam lactucam, serim, solanum & portulacam cibo misceo, cum aphtha igneo feruore vrit. Si autem edere nondum queant, alimentum in huiusmodi instituo, cum proba coctione nimirum. Quin etiam infantes medicamentis perlino: si aphthas per rubras videam: initio sane ijs quæ leuissime astringunt & refrigerant: deinde autem ijs, quę citra rosionē digerūt. Quòd si subflauas, ijsdem quidē, sed magis refrigerātibus: si pituitosiores, astringentibus: si nigrescentes, ijs quæ generosius discutiunt. At in maioribus pueris, similibus genere medicamentorum facultatibus vtens vim ipsorum augeo, sicut & in adultis durisque corporibus, singulis, quæ dixi, validissimis. Satis autem mihi est perpetuò in his vti misy cū vino astringente, vim ipsius intendendo & remittendo. Quòd verò magis aut minus vinum astringit, & quòd crassius aut liquidius medicamentum euadit, ex misyos & vini mistura fit. At si sordida aphtha appareat, cum mulso misy contero. ijs quæ validiora quàm quæ ex misy fiunt medicamenta requirunt, ærugo similiter & cum vino & cum mulso similiter vtilis existit. illini autem debent eiusmodi medicamentis nimirum particulæ oris affectæ. bonum verò ad hæc remedium est chalcitis oleo læuigata. huiusmodi quidem sunt efficacia: mediocria autem & præsertim ad incipientes dispositiones, omphacium cum vino & mulso: item rhus similiter. In pueris sufficit etiam rosarum flos ipsæq; rosæ siccæ, & collutiones ex mediocriter astringentibus: in ætate & natura huiusmodi corporum. Breuiter, moderatæ quidem aphthæ præsertim in teneris corporibus, mediocria desiderant medicamēta. Validæ & in duris potissimum corporibus, validioribus curātur: valida nimirum dico medicamina quæ validè astringunt, & vehementer mordent. Cæterum fiunt in his, sicut in alijs affectibus antea dictum est, composita medicamenta, & frequenter ex contrarijs: quale est etiam quod ex oleo & chalcitide præparatur. ipsum etenim per se oleum maximè aphthæ dispositioni aduersatur, sicut & chalcitis: quoniam illud sanè humectat, sordésque parit, chalcitis autem vehementer rodit. At mistura ipsorum cum moderata euaserit optimū reddit medicamentum. Quemadmodum igitur ex cerato & ærugine carnē generandæ aptum medicamentum fieri ostendebatur, cum ambæ sint carnis generationi contraria, eadem ratione ex oleo & chalcitide idoneum fit medicamentum. Quòd si ad putridum degenerauerit, exulcerationes pariet, neque aphtham adhuc affectum nominare conuenit, neque huiusmodi dispositiones curantia medicamina ijs quæ aphthis conducunt annumerare, sicut nec ijs quæ erysipelata curant illa quæ strennue digerunt particulas quæ ex refrigerantium medicaminum applicatione liuidæ euaserunt, & duræ ex erysipilacea dispositione ad scirrhosam delapsæ. Quapropter etiam nonnulli indistincta huiusmodi scriptura decepti, erysipelatis calida, & quæ digerunt medicamenta, atq; aphthis ea quæ ad putredines congruunt adhibentes, nō exiguas offensas inferūt.

# CLAVDII GALENI

## PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER SEPTIMUS, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

*De affectibus, qui instrumentis respirationi dicatis accidunt.*



Olent recẽtiores medici nominare arteriacas, non adijcientes, vtrum antidotos dicãt, an alio significatu: nõnulli ea eclecta, ab eo quòd lingi possunt, nuncupant, non addẽtes medicamenta: quidam in totum nullam distinctionem ipsis ascripserunt: nonnulli rarò apposuerunt, hi ad abscisam vocem, illi generalius adhuc ad vocem oblæsam. sunt qui ad arteriã exasperatam, & ad exulceratam scripserunt. Quamobrem bona ratione qui arteriacis medicamentis nominatis indistinctè vtuntur, interim sanè voti cõpotes fiunt: interim vero nihil omnino ægrotantes iuuant, sed plurimum offendunt. Clarum autem omnibus est, quòd in huiusmodi affectibus asperam arteriam causentur. Olim igitur quando non appellabant arterias, quæ cordi similiter pulsant, de sola quæ ex pulmone in laryngem emergit, arteriæ nomen protulerunt, venas omnino appellantes, quemadmodum alias quæ non pulsant, ita & pulsantes. Postea verò vbi appellatio de pulsantibus dici cõsueuisset, propter æquiuocationem, asperæ, nomen adijcientes, arteriam, quæ ex larynge in pulmonem pertinet, nominarunt, sic vt etiam bronchum eam vocitent, quoniam corpora cartilaginosa, quæ magna ipsius substantię portio est, bronchia nuncupant. Cæterum arteriam ipsam crassa membrana intus succingit, quam nonnulli ob crassitiem, tunicam appellant. Cum igitur affectus aliquis, vel in hac, vel in musculis, qui in larynge habentur, prouenerit, arteriacas vocant, quę ipsis medentur, non adijcientes, vt dixi, antidotos. Cęterum dissimilia specie facultatibus sunt, quæ ab ipsis scribuntur, ideóque accidit, vt qui citra distinctionẽ ipsis vtantur, à scopo frequẽter aberrent. Quòd autem multa quædam sit differentia eorum quæ medici in libris medicatorijs tradiderunt, ex tribus exemplis licet tibi condiscere: quorum aliud sanè minimè mordax est, & exactè obstruit, aspritudines lęuigans: aliud huic cõtrariũ, acrimoniæ mordacis nõ mediocriter particeps, vt si particulæ ad amussim sanè adhibeatur, eam exasperet: medium verò amborum dictorum est aliud genus medicaminum arteriacorum, facultatis citra rosionem abstergentis. Itaq; emplastieum est, quod ex passo cretico, gummi, tragacãtho & glycyrriza pręparatur: acre autem ex pipere, casia, cinnamomo, galbano, & resina terebinthina. Medium amborum est ex ptisanæ cremore, amygdalis, & fabarum lomento, alijsque id genus. Intra medium & extrema vtriusque plura sunt medicamẽta, alia magis, alia minus à medio digressa, de quibus deinceps diffiniã, eos qui distinctionem aliquam apposuerint cõmendans: illos qui absoluto sermone scripserunt, non recipiens. In medio amborum cõsistunt, qui distinctiones parum integras moliti sunt, qualis est etiam eorum, qui scripserunt: Arteriacæ ad vocẽ abscisam, aut contra, Arteriacæ ad eos quæ raucam vocẽ ædũt.

Nam vocem esse abscisam, quod est non posse loqui, plures causas comitatur: partim sane distillationes ex capite inueteratas: partim purulentos, tabidos, & eos qui ex magna voce & multa affecti sunt, deinde non probè curati, vel etiã qui nascentem adhuc dispositionem obtinent. Pari modo & rauca vox efficitur, tum ex eisdem causis, tum ex frigidi spiritus inspiratione. Itaq; dispositio finitima est vocis inopiæ & raucitati: magnitudine autem affectus hi inter se differunt. Cum sanè vehementius & difficilius vocis instrumenta humiditate irrigãtur, vox aboletur: cum moderatius humescunt, rauca efficitur. Cum autem vocalia instrumenta dico, arteriam intelligite, laryngem & pharyngem. Quibus igitur ex vehementi clamore vox magis vitiata est, similis quispiam accidit affectus ei qui subinde oboritur manibus, cruribus, lũbis, spinæ, & musculis plurimum dolentibus. Vocant autẽ nonnulli gymnastæ, huiusmodi musculorum dispositionem, in quibus consistit, lassitudinem inflammatoriam. In arteria igitur interior eius mẽbrana, aut tunica, aut quomodocunq; nominare quis velit, à spiritu qui per magnas voces foras effertur percussa, ad dispositionem inflãmatoriam peruenit: multo magis si præter vocis magnitudinem, acuties quædam adhuc accesserit. In larynge autem præter hanc percussionem, etiam actio ipsius maiorem dispositionem efficit. Curationis verò genus in qualibet particula materijs euariat. oleo siquidem infricare crura, manus, & spinam facile est, facultate ipsius per cutẽ in musculos ei connexos peruenientes: in aspera autem arteria, cartilagines post cutem sitæ, emollientium vnguinum facultatis transitũ in subiectam membranam prohibent. Quẽadmodum enim oleum, sic alia multa cõposita medicamenta idem afferunt præsidij, & quæ initio acopa dicta sunt, sola hæc paulatim appellationem à seipsis ad similia cõsistentijs extenderunt, etsi calefaciendi vehementer gratia adhibeantur. Communis autem materia auxiliorum instrumentis vocalibus cum alijs existit, quæ ex balneis petitur. Constat autem omnibus, quòd ex aquis dulcibus materiam putem: nam marinæ, sulphureæ, aluminosæ, chalcanthũ & bitumen referentes, eo quòd valide exiccent, non sunt idoneæ. Quin etiã ita factitant qui vocem exercent, cum contendendo illam cõfregerint. Sunt autem hi citharœdi, & præcones, tum qui tragœdiam, comœdiamque exhibẽt: balneis enim copiosis vtuntur, & cibos rosionis expertes laxantésque comedunt. At si etiam asperitatem persentiant, eos qui particulis obtingentibus inhærescant, assumunt. vna siquidem est tunica sibi continua, quæ pharyngi, laryngi, stomacho, & asperę arteriæ per interiora exporrecta est. Quòd si dispositio in vocalibus oborta instrumentis, victus ratione & balneis non subsidat, ad arteriacas proficiscuntur, cibis vtentes per totum hoc tempus qui ex lacte, amylo, chondro, ouis, & placentis constant. Quòd si his non curetur, inuenta sunt à medicis remedia quę, quòd sub lingua teneantur, hypoglottides nominantur. sunt autem hæ medicamenta eiusdem cum arteriacis, quæ inflãmationem arcent, facultatis, ex vino theræo, gũmi, tragacantha, & glycyrriza composita, quæ, vt dixi, læuigant simul & asperitates repellunt. Quantum igitur in partibus relinquitur ex inflammatione, id & concoquunt, & cito persanant. At industrium esse oportet eum qui medicamentum linguæ subijcit, vt paulatim eo liquescente larynx id quod in eã defluit excipiat, tussi oboriẽti

resistens. nam continentes se vt non tussiant, concedent vt aliquid medicamẽti in laryngem & arteriam defluat. Vt autem claram vocem habeant, qui ita sunt curati, fieri nõ potest, nisi rursus medicamentis citra rosionem abstergẽtibus vtantur. quale est lomentum, ptisana, & lini semen torrefactum, quippe huiusmodi medium ordinem possident inter medicamenta facultate mediocria, & emplastica. His autem magis abstergũt, resina terebinthina, thus, mel despumatum, amygdalæ amaræ: sicut rursus valentior his est, erui farina, hormini semen, iridis radix, & panacis. omnibus his vina cõueniũt & mollia, & dulce creticum, theræum, & scybelites: præterea haud [illegible] modo neglectum, quod à nostræ Asiæ Græcis hepsema, id est sapa, vocatur. qui magis attico sermone vtuntur, siræũ appellant, dicũtque, quemadmodum alij, caricarum decoctũ, ac certant inter se, vtrum ipsorum siræum nuncupare oporteat. Est autẽ & hoc ipsum siræum, quod pinguibus caricis in aqua decoctis efficitur, mediæ facultatis, quam abstersoriam & rosionis expertem nominauimus. itaque mustum quod coquitur maximè emplasticum est, & minimè rodens. verum ex caricis decoctum magis digerit abstergítque. Quemadmodum igitur in superioribus dixi, omniũ simplicium medicamentorum facultates exactè cognitas habere oportet eum qui compositum aliquod volet efficere: is autem ipse etiam illis quæ alij composuerũt rectè vtetur, præsertim cum indistincte scripta fuerint, sicut etiam plurimæ arteriacæ. Porrò cuilibet notum est his quoq; quę distinctè prodita sunt, hunc ipsum melius vsurum. etenim secundum exactã rationem, quatenus affectuũ constitutio degenerat, etiã vtile huic medicamentum immutare oportet. hoc autem solus rectè, qui vniuscuiusq; simplicis medicamenti facultatem cognitam habet, adamussim nouit, adijciens priori medicamento exiguum quiddam ex proximo ordine. Exempli gratia in tesiuis lassitudinibus cũ in pharyngis musculis prouenerint, per initia sanè cõueniũt mitissimi cibi: medicamẽta autẽ emplastica. vbi iam subsederit inflammatio, exiguũ ex abstersorijs quiddam apponi debet, deinde postea amplius: hinc aliud rursum illo generosius, vt paulatim compositio ad medium abstersorium perueniat. eodémq; rursus modo in hoc magis digerens & abstergens. postea sic ad vehementissimum, cum diutius veluti schirrhosa quædam dispositio in vocalibus instrumentis perseuerat. Primi igitur ordinis est tragacanthum, gũmi, samius aster, amylon, & sorbitio ex chondro & trago, probè coctis: itẽ lac ipsis idoneũ est, placẽta, oua sorbilia, & nuclei pini, quos nũc omnes vocant strobylos, olim vero apud atticos vocabãtur coni: item sesama huius generis existũt. Post hæc quod vocatur butyrum, aut si tibi libet masculino genere appellasse butyros, decoctúmq; dulcis radiculæ in mellis attici liquidi crassitiem redactum. dulcis autem radicis, quam glycyrrizam nominãt, satius est quũ primũ datur occasio, vt dixi, ex aqua decoctum miscere sapę ex musto præparatæ, quæ à nobis in Asia vocatur hepsema. miscere dein hoc passo cretensi, & rursus coquere post misturam, siue sapæ fuerit commixtũ, siue passo cretẽsi. Hæc igitur in dispositionibus inflammatorijs, quę arteriam & laryngem infestant, vtilia per initia sunt, quousq; inflãmatio moderata extiterit, & ante omnia à vini potu per hoc tempus abstineatur. Vbi vero moderatior inflammatio reddita fuerit, passum theræũ, aut scybelites, aut quod ex nostra Asia apportatur,

bibere licet:præsertim caryinum,deinde theræum nominatum. post etiã dulce vinum tmolites.quo tempore butyrum accõmodum est,& sorbitio ex amygdalis quæq; ex lacte paratur & melle diutius coctis, amylo iniecto: & si amylon desideretur,siligine apud Romanos dicta. Constat autem omnibus ex hac victus ratione inflammationem quidem membranarum & musculorum qui in larynge & arteria habẽtur cessare, humiditatem vero copiosam relinqui, quæ claram vocem reddere nequit. digredi ergo tunc cõuenit à cibis ad ea omnia quæ ex melle coquuntur:quinetiam ad fabaceam farinam, ptisanã,brassicam, & porra probè cocta. Medicamentorum vsus idoneus est,quo tempore vel inflammatio vel asperitudo superant,eorum quæ linguæ subijciuntur,de quorũ compositione tractabo:post hæc quæ magis abstergunt desiccántque: deinde his rursum ipsis magis abstergentia, siccantiáque, vsque dum ad ea perueniamus,quæ nonnihil acrimoniç obtinẽt.atq; inter hæc ipsa à moderatioribus auspicati,ad vehementiora paulatim descendimus. Qualẽ igitur victus ratio formam habitura est,antea comprehendimus:sicut etiam simplicium medicamẽtorum species. Porrò cõposita ex ipsis medicamina, multifariam alij alijs mensuris scripserunt, & quibusdam sanè abundè fuit ex tribus aut quatuor simplicibus medicamentum componere: nonnulli in maiorem numerum extenderunt. Et quidam,vt traditum est, ex mollissima lenissimáque materia compositionem arteriarum facultatum moliti sunt: nonnulli vero secus,ex acri, calida, abstersoria, & siccante admodum. Sunt qui etiam tertiam speciem,quæ ambarum media est,& post hos,alij inter mediam & mollissimam: alij inter acerrimam & mediam. ac ex ipsis rursus alij magis, alij minus à medijs facultate medicamentis diuersas compositiones moliti sunt. His omnibus rectè vtetur solus,qui vniuscuiusq; simplicis vim pernouit,ipse enim sciet & ordinem medicamenti,& quantum à medijs recedit. Scripserunt itaq; qui ante Mantiã & Heraclidem fuerunt huiusmodi medicamenta. multo autem meliora cõmemorati viri, vel ipsi cõponentes,vel ab alijs desumpta scriptis mandarunt,quç nobis reliquere, medicatoriam artis partem augentes. Temporis autẽ spatio & hçc,& priora, exactè & longo vsũ comperta viri delegerunt, collegerúntq;, de quibus frequenter in hoc opere verba feci. Hi verò sunt Asclepiades, Musa, Andromachus, Heras, Crito, & Menecrates. multa verò alia medicamẽta & Archigenes, & Philippus tradiderunt, vt nullius adhuc vetustioris indigeamus. hi enim, vt dixi, quæ vetustiores inuenerunt, optimè omnia literis mandarunt.

*Quas Andromachus arteriacas conscripserit.*

Plurimas arteriacas facultates Andromachus conscripsit, vt is qui differentiam ipsarum nosse potest, ab imbecillimis ad vehemẽtissimas per media paulatim procedat: ipse enim Andromachus minus distinctè eas tradidit, verũ ego distinctiones apponam, in memoriam reducens ea, quæ nuper prædixi. Porrò quòd eum, qui dicta intellectu assequuturus est, prius in simplicium medicamẽtorum opere exercitatum esse conueniat, frequenter à me expositũ est. nisi enim vniuscuiusq; simplicis vim exactè noscat, & distinctè, haud poterit cõpositũ nosse, ex quali cõgenerum ordine existat. vtrũ ex mollissimo, an vehemẽtissimo, vel medio, vel aliquo eorũ quæ inter hæc cõsistunt, aut etiam ex alijs.

Primam igitur facultatem arteriacam non multo post libri initium tradidit, vbi affectuum intra corpus oborientium curationem tractat in hæc verba.

*Arteriace, qua vtor.*

Thuris drachma vna (in alio quatuor) myrrhæ drachma vna (in alio quatuor) croci drachma vna (in alio quatuor) scyllæ drachmæ duæ, passi cretensis sextarij tres. scylla passo incoquitur, donec in spissitudinem coeat, deinde scylla abijcitur, reliqua verò insperguntur. Hoc medicamentum, nisi scyllam haberet, esset vtiq; longè mollissimum, in tres passi cretensis sextarios paucissimo thure, myrrha, & croco iniectis, vt ferè totum ipsum sit passum cretense. Cōstat autem omnibus medicamentum fieri, quod ad ipsos à linctu eclecton appellatur. Iam & Atticè ea vocant, medicinas eclectas. Post supra scriptam facultatem, alteram his verbis Andromachus tradidit.

*Arteriace diacodyon.*

Papaueris capita viridia mille ducenta, mellis attici * libræ quatuor, croci cilicij drachmæ quatuor (secundū alios drachmæ decem) hypocistidos succi drachmę decem, acaciæ tantundem. aqua pluuialis papaueris capitibus immittitur. Aqua igitur pluuia inditur, vt medicamētum putredini minus sit obnoxium, habet enim hæc aqua nimirum aliquid in se astringens. cæterum huc in proposito medicamento consilium dirigitur, vt dispositio in arteria concoquatur, quod vtique fiet somno & medicamentis, quæ simul cum astrictione haud multa concoquant. itaq; simplex medicamentum diacodyon, vt ego facere cōsueui, papaueris capita sola habet aquę indita, ac vbi intabuerint, ipsa eijcimus, aquam ipsorum attico melli soli miscemus: ac deinde vbi ex coctione spissitudo medicamenti quod lingi possit facta fuerit, vtimur. Quantum vero aquæ quanto melli miscendum sit in huiusmodi medicamentorum confectionibus, posterius exponam in eo loco vbi talem scripturam proponam, arteriace diacodyon. Tertiam facultatem post prædictas hanc conscripsit Andromachus.

*Forte, cōgij. lit. g.

*Arteriace Blasti qua vtor ad eos qui phthisi laborant admodum bona.*

Nardi gallicæ drachmas quatuor, amomi drachmas octo, cinnamomi drachmas decem, malabathri drachmas quatuor, nardi indicæ drachmas tres, iūci odorati floris drachmas duas, casiæ drachmas octo, thuris drachmas tres, myrrhę drachmam vnam, costi drachmas quatuor, magmatis malabathri drachmas sex. palmulas in mulso aut passo incoquens, deinde nucleorum pini viginti in decoctum inijce, & dissoluito, deinde medicamēto hoc nucis auellanæ aut paulo minoris instar ad aliquos dies vtitor, deinde mitiori medicamento. rursum post duos tresve dies, vtitor ex aloë hiera cochlearis magnitudine cū aqua ad diem vnum. vtere autem medicamento, & cum lacte in arteriæ affectibus, gargarizare iubens, & rursus interiecto spatio vtere medicamento dolorem arcenti, instar fabæ ægyptiæ. Cum autem valida fuerit defluxio, adijcimus antidoto opiū & castoriū modicum vtriusque: in ijs quæ stomachum offendunt, ipso medicamento. Notum autem est ex ipso vsu, quæ scripserit An-

dromachus in iis qui defluxum in thoracem, pulmonem & arteriam experiuntur, cum ſuperiorem medicinam idoneè compoſuerit. dixit enim ipſe, cũ valida fuerit defluxio, admiſcemus antidoto opiũ & caſtoriũ, modicũ vtriuſq;, nimirum ſiccare defluxum & ſanum reddere cupientes. varium enim eſt, & multæ miſturæ, vt ad omnes conueniat diſpoſitiones, quæ & diuturnæ, & malignæ ſunt, & curatu difficiles: & ſi vlcus aliquod ſit circa arteriã aut laryngem, & potiſſimum circa pulmonem: nam huiuſmodi validis ſanè medicamentis indigent, vt diutius ſufficere poſſint qui tabidam experiuntur diſpoſitionem. Cum enim occupauerint locum ſiccum, & victus ratione conuenienti & medicamentis vtentes, diutius reſiſtunt, conſueta munia mediocriter obeuntes. ipſam enim facultatem non cenſeo admiſcendam iis quæ proprie vocantur arteriacæ. Quartum poſt prædicta Andromachus conſcripſit medicamentum in hæc verba. *Aliud eiuſdem*. dicit autem nimirum Blaſti, de quo in ſuperiori arteriace ſcripſerat. Arteriaca Blaſti qua vtor. compoſitionem vero eius

„ huiuſmodi facit. Aloës vncias duas, croci vnciam vnam, maſtichæ tantundem.

Conſtat autem omnibus medicamentum hoc eſſe ex iis quæ ab aluo ſubducenda eccoprotica dicuntur, necnon concoquens quiddam croci nomine habere: cum autem dico concoquens, intelligere oportet diſpoſitionis, cuius gratia admouetur. Quintum poſt ſupra commemorata Andromachus tradidit

„ medicamentum hoc. *Dolorem arcens eiuſdem*. Opii vncias tres, croci vnciã vnam,
„ myrrhæ vncias duas, acaciæ vnciam ſemis, dulcis radiculæ ſucci drachmas
„ quatuor. cum melle excipiuntur. Hæc ſanè Andromachus, ego verò non admodum probo huiuſmodi medicamentorum compoſitionem, niſi diſpoſitio indicetur, in qua ipſis vtendum ſit. Nouimus enim in anodynis huc ſpectare compoſitionem, vt ſomnum conciliemus, & dolorem magnum ſtupore obtundamus. Acaciæ autem mixtura ratione vlceris eſt, quemadmodũ & dulcis radiculæ ſuccus, ad leniendum exaſperata: crocum verò & opium in anodynis miſcere plurimis placuit, quandoquidem videtur ipſis omnes ſatis concoquere diſpoſitiones. Sextam deinceps ſcripſit Andromachus facultatem hu-

„ iuſmodi. *Arteriace eiuſdem*. Thuris vnciam vnam, ſucci glycyrrizæ tantun-
„ dem, myrrhæ drachmas quatuor, tragacanthę drachmas ſex, nardi drachmã
„ vnam, amomi drachmas quatuor, croci tantundem, mellis attici quod ſatis
„ eſt. Atque hanc conſtat componi ad eaſdem reſpirationis inſtrumentorum diſpoſitiones ex concoquentibus, mitigatoriis, aſtringentibus & abſterſoriis. Etenim thus, myrrha, & crocus, concoquentium diſpoſitiones ſunt: dulcis autem radiculæ ſuccus ex his quæ læuigant aſperitates, quemadmodum & tragacantha. Amomum vero valide ſiccat, necnon modicè aſtringit. Mel autem facultatis eſt calefacientis & abſtergentis. Septimam à prædictis tradidit Andromachus ex multis adeo medicamentis compoſitam, quæ omnes fere facultates obtinent. etenim aſtringentia, rodentia, extenuantia, mitigantia & læuigantia. item ſomnum concilians, digerens & abſtergens in ſe continet, de quibus omnibus multæ miſturæ facultatibus, communis etiam antea à me habita eſt diſputatio, vt ex omnibus medicamentis aliquis ſi volet componere hac ſpe, vt vnum medicamentum ad omnes congene-

res dispositiones faciat: ex ipsis nonnulla quidem per experientiam inuenta sunt praua, eóque reprobata: nonnulla quidem prosperum successum habuerũt, prout author eorum euenire sperauerat. Cæterum scripsit Andromachus compositionem ipsius, non adeò id facere solitus. quod autem ex medicamentis varias facultates, quas dixi, habentibus componitur, satius est meminisse eos qui hos libros legunt. si autem promptam non habuerint memoriam, saltem eo ipso tempore in quo eiusmodi medicamenta discunt, legant diligenter sextum, septimum & octauum de simplicium medicamentorum facultate. In illis enim omnem medicamentorum materiam conscripsi quæ sunt radices, folia, flores, semina, fructus, liquores, & succi eorum quæ ex terra nascuntur, aut stirpium omnium. Cum igitur hæc audieris, aduerte iam mentem ijs quæ Andromachus de hoc medicamento conscripserit.

*Arteriace quatuor.*

Piperis radices quàm maxime proceræ eluũtur, donec admodum puræ reddantur, & terrenum dimiserint, deinde refrigerantur ad diem vnũ, & inciduntur ad tres digitos, comminuuntúrque, ex eis libræ decem, inijciuntur in ollam recentem, & dulcis aquæ sextarij decem, coquuntúrq; ad sextarios quinq;, exprimuntúrque, atque liquor in duplex vas mittitur. aromata autem integra. Nardi indicæ drachmæ quatuor, cinnamomi drachmæ sex, dulcis radicule tantundem, casiæ, rheu pontici, singulorum drachmæ quatuor, balaustij drachmæ sex, rosarum siccarum drachmæ quatuor (alij vero drachmæ sex) hæc coquuntur similiter ad dimidias, deinde exprimuntur, adijcitúrque decocto, mellis attici sextarius vnus. vbi coctum fuerit, & in spissitudiné redactum, seorsim in duplici vase donec manus nō inquinet, adijciuntur terebinthinæ pellucidæ drachmæ tres, galbani drachmæ duæ, croci drachmæ quinque, alterci succi, hypocistidos succi, singulorum drachma vna, succi mandragoræ oboli tres, piperis albi drachmæ octo. Octauum post cōmemorata cóscripsit medicamentum, eius facultatis summam indicans, quod oportuit in omnibus ipsum fecisse. habet autem sic ad verbum.

*Arteriace laudata ad humores in thorace collectos, expurgat, & læuigat.*

Erysimi torrefacti drachma vna, in quibusdam vero exemplaribus lomenti scriptum est, ambo abstergétis sunt facultatis, lini seminis torrefacti drachmæ viginti, & hoc abstergentis est facultatis, nuclei pini drachmæ octo, hoc nimirũ læuigat, vuæ passæ acinis exemptis drachmæ quatuor, & hæc eo quòd nō nihil astringit, ac simul alimentum vtile est corpori, congrue mixtá est. habet autẽ & dulcem facultaté, quam in quarto de simplicium medicamentorũ diximus, croci oboli duo. Minimum nimirum adiecit croci author medicamenti, vt ferè nihil relatione aliorum esse videatur: diximus autem crocũ concoctoriæ esse facultatis, necnon astringere. Iam vero docui astrictioné contrahere, stringere & corroborare corpora. Adiecit præterea heminæ mellis quartá parté, abstinés à dulci vino & sapa. purgare enim humores vult, qui in thorace resident, medicamentum, quod præparatur quemadmodum prædictum est. in huiusmodi vero medicamentis, eductionem crassiorum humorum vetat. admiscuit autẽ his tragacanthæ drachmas quatuor, medicamenti exasperata læuigãtis. Iam verò ante docui velle ipsum propositum medicamẽtum, ea quæ circa thoracẽ

ſunt purgare & læuigare. Scopus enim in huiuſmodi eſt, vt ea quæ in thorace hæreſcunt, extenuent, expurgent, & ad eductionem idonea reddant: doloris autem ſopiendi gratia, vt particulas exaſperatas non adeò afficiant, læuigantia apponunt. maximum verò hoc eſt, & in omnibus meminiſſe oportet eius, quòd vnum ſæpe ſcopum habet, propter quem medicamentum componunt. ne autem aliquo modo ipſum moleſtum ſit, ambo miſcentur primũ ſcopũ auxilij habentia. Nonam arteriacen ab his tradidit Andromachus in hæc verba.

,, *Arteriace Marini.* Croci vncia vna, gummi vnciæ duæ, tragacanthæ vncia vna,

,, mellis attici ſextarius vnus. coquito vſq; dum ab igne ſublatum manus nõ inquinet. Hoc medicamentum medium facultate eſt. eſſet autem exacte mitigatorium, & doloribus arcendis idoneum, niſi crocum & mellis ſextarium haberet, ſed eius loco vinum theræum aut creticum aut quod ex muſto cocto cõponitur, quod nos, vt dixi, vocamus hepſema, id eſt ſapã immittimus. Adiecta ſunt in oratione, ad prædicta intẽpeſtiue fortiora medicamẽta, quę & purulẽtis & his qui tabe vexentur cõueniũt. Decimã ordine poſtea ſcribens, adducit inter exacte mitigatorium & medium, qualem eſſe dixi modo cõprehenſam. ex gummi enim, paſſo cretico & aqua compoſuit, miſcens melli, gũmi quidem inijciens vncias octo, paſſi ſextarium vnum, mellis vero libram vnam. gummi aqua lauare iubens, non adijciens quantum. itaq; propter gummi, paſſum, & aquam plane nihil habet abſterſorium, propter mel verò, à maxime mitigatorio & læuigãte receſſit. Nouimus enim mel aſtrictoriũ eſſe. coqui autẽ ipſum oportere ſuper carbones dixit, hoc eſt ſuper lentum ignem fumi expertẽ. recte quidẽ feciſſet ſi in omnibus arteriacis hoc adſcripſiſſet. Ego autẽ ſic ipſum præparo, neq; ſuper carbones adhuc ardentes concoctionẽ molior, ne fumoſum & acre quod ab ipſis ſurſum fertur, medicamento acrimonias non neceſſarias inſinuet. mellis enim acrimoniam ſuſtinemus, etſi etiam ipſa non ſit vehemens, propter alium ipſius vſum. fumi vero nullus vſus, eóq; vitari ipſe debet, quantum poterit, in omnibus huiuſmodi medicamentis. præſtaret autem etiam in emplaſticis omnibus vti aridis lignis. Vndecimũ medicamentum hoc

,, pacto tradidit. *Arteriace alia bona.* Cinnamomi, thuris, ſucci dulcis radiculæ, ſin-

,, gulorũ vncia vna, myrrhæ drachmæ quatuor, tragacanthæ drachmæ ſex, nar-

,, di indicę drachmę quatuor, amomi totidẽ, croci drachma vna. melle attico excipiuntur. Verè dixit bonam eſſe arteriacen hanc, ſed deeſt ſermoni ad quaſnam diſpoſitiones ipſam bonã eſſe pronũtiet, quippe traditum eſt in initio ex clamore & diſtillatione arteriam affici, & eo quòd vlcus habeat, aut inflãmationem in ſcirrhum indureſcentem. Cuius autem nunc cõpoſitionem Andrõmachus tradidit, etiam ad eos qui tabe laborãt, idoneum eſt medicamentũ, & omnes ſummatim inueteratas thoracis & pulmonis diſpoſitiones. Nam cinnamomi natura cũ ſit tenuis & ſiccatoria, diſpoſitionibus etiã ſcirrho induratis mederi ſolet, poſt id amomi facultas eſt, quæ nonnihil etiam aſtrictorium obtinet. Porrò ob horum actionem, cum ſit vehemens, bona ratione mixta ſunt thus, dulcis radiculæ ſuccus, & tragacanthũ, medicamẽta quę exaſperata lenire poſſunt. De croco & myrrha ſubinde diximus, quòd huiuſmodi diſpoſitiones concoquant, & mediocriter ſiccent. Duodecimam arteriacen Andromachus in hunc modum ſcripſit.

*Alia ex cõmentariis Galli, ad arteriæ affectus, vlcera pulmonis, puris eductiones & sanguinis, distillationes in thoracē: item ad ea quæ ægrè educi possunt plurimum valet.*

Resinæ terebinthinæ drachmæ quatuor, croci cylicij drachmæ quatuor, thuris tantũdem, myrrhæ trogloditidis drachmæ quatuor, cinnamomi drachmæ quatuor, amomi drachmæ tres, pini nuclei drachmæ quatuor, dulcis radiculæ exenteratæ drachmæ quatuor, nardi syriacæ drachmæ duæ semis, casiæ nigræ drachmæ duæ, tragacanthi drachmæ tres, palmularum syriacarum carnis drachmæ tres, terræ samiæ drachmæ quatuor, galbani puri oboli tres, costi drachmæ quatuor (in alio drachma vna) mellis attici heminæ quatuor. coquitur in vase duplici mel, & resina: vbi verò in spissitudinem cœperint coalescere, galbanum miscetur, vsque dum manus non inquinet, deinde refrigerato læuia reliqua misceto, atque sic vtitor. Rectè fecit in hoc medicamento, qui & contra quos affectus conueniat, & quomodo ipsum præparare oporteat scripserit: methodus autem compositionis ex superioribus manifesta est. Decimamtertiam arteriacen Andromachus in hæc verba tradidit. *Arteriace Galli,* Hæc etiam antidotus ad eadem efficax est. Nardi syriacæ, myrrhæ, croci, singulorum drachmæ quatuor, costi drachmæ quatuor (alij drachma vna,) piperis albi grana triginta, dulcis radiculæ drachma vna, nuclei pini centum, styracis drachma vna, tragacanthæ, cinnamomi, amomi; singulorum drachma vna, thuris drachma vna oboli quatuor, casiæ fistulæ drachma vna, balaustij drachmæ tres oboli tres, mellis attici, aut passi cretensis heminæ duæ. passum in duplici vase coquito, vsque dum mellis accipiat spissitudinem, deinde sic læuia siccis superfundito. tragancanthũ, styrax postridie abunde in passo macerentur, atque hoc pacto reliquis misceto, deinde in pyxide argentea, aut plumbea sic reponantur. Recte quidem fecit, qui ascripserit ad quid valeat, & compositionem ipsius, eóque ego omnes arteriacas ab eo conscriptas, tradidi, vt nullus alio scriptore opus habeat, omnis enim species in ipsis est, & mollium, & fortium, & mediorum. Decimaquarta arteriace est, de qua hoc pacto scripsit. *Arteriace vehemens Moschionis.* Est autẽ ipsius facultas supra medias non modicum egressa ad fortiores. habet enim vim incidentem, extenuantémque & calida multa medicamenta, quibus miscuit & quædam mitigatoria, quorum causam dixi, compositio autẽ ipsius est huiusmodi. Minij lemnij, thuris, myrrhæ, nardi, amomi, casiæ rufæ, croci, iridis illyricæ, iunci odorati floris, singulorum drachmæ duæ, cinnamomi, resinæ terebinthinæ, rosarum floris, singulorum drachmæ quatuor, opobalsami drachmæ duæ, mellis hemina vna, aut passi cretensis heminæ dimidiæ quarta pars. liquorem & resinam coquito, donec rufum acceperint colorem; deinde ablatis ab igne reliqua adijcito, & conterens dato ijs qui thoracis & arteriæ affectibus laborant fabæ græcanicæ instar cum aquæ heminę quarta parte, reliquis verò, linctu exhibeto. Decimũquintum medicamentum in hunc modum conscripsit.

*Arteriace ad asperitates gutturis, & vocis abscisione, & ægrè glutinosa reiicientes, quatuor, ex scriptis Apollonii & Alcimionis.*

Tragacanthę, gummi, singulorum drachmæ sex, thuris drachma vna obolus vnus, myrrhæ drachma vna oboli duo, croci tantundem, glycyrrizæ succi drachma vna oboli tres, aut radicis drachma vna semis, piperis albi grana vi-

gintiquinque, glandium palmæ pinguium carnis drachmæ tres (nonnulli vero palmulas sex aut tres ponunt) tragacanthum passo macerans læuigánsque excipito, reliqua vero læuiga, & catapotia fingens fabæ magnitudine, iube sub lingua continere. Huiusmodi facultates medici, eo quòd sub lingua contineantur, hypoglottides vocant, iubéntq; medicaméto dissoluto, id quod defluit, sensim in laryngem excipere, resistétes, si tussis vrgeat. Decimamsextam compositionem ad verbum ita tradidit.

*Arteriace linctu idonea ad omnes affectus internos, potissimum vero ad phthisicos, purulentos, & ad hydropas incipientes, tussésque veteres, exhibita per diem & noctem cochlearis magnitudine.*

Scillæ succi sextarij quatuor, passi cretici sextarij tres, vini falerni sextarij octo, mellis attici sextarij tres, myrrhæ vnciæ quatuor, croci vnciæ duæ, thuris tãtundem, aristolochiæ dactylidis mina vna semis, glycyrrizæ mina vna, eryngij radicis vnciæ duæ, casiæ vncia vna, nardi gallicæ vncia vna, xylobalsami vnciæ octo. aristolochiã, eryngium, glycyrrizam, xylobalsamũ, & casiam, nardúmq; & iuncum odoratum contusa crassius sextarijs octo vini macerato per tres dies, deinde in lento igni ad tertias decoquito, & sic expressis & sordibus abiectis, passum, mel & scillæ succum adijcito, coquitóque vsq; dum mellis accipiat spissitudinem. Crocum vero, thus & myrrham deinceps læuiga cum vino, atque vbi bene se habuerit medicamentum, addito: & vbi modicè liquefeceris, ab igne remoueto, atque sic reponens vtitor. Recte fecit Andromachus, qui ad quid valeat, & compositionem medicamenti ascripsit. Decimaseptima facultas ab ipsa tradita huiusmodi est.

*Arteriace alia Euclidis Palantini.*

Scillæ succi sextarij tres, passi cretici sextarij tres, vini falerni tantũdẽ, mellis attici hemina vna, croci vnciæ tres (alij verò vnciæ duæ) myrrhæ vnciæ tres, tragacãthi vncia vna, dulcis radiculæ succi vnciæ duæ, thuris vncia vna, opobalsami vncia semis. preparato ac vtitor. In hac cõpositione, neq; ad quid valeat, neq; preparationem ascripsit, ceu qui legat, sententiã ipsius iam possit intelligere. Cum enim dicit alia arteriace, similia superiori ipsam promittere nobis cogitandũ, compositio autẽ ex prius dictis colligenda est. Decimãoctauã compositionem hoc modo tradidit. Arteriace ex scriptis Perigenis, ad omnes arteriæ dispositiones. Croci drachma vna, vuæ passæ acinis exẽptis drachma vna, amygdalarum drachmæ octo, myrrhæ oboli quatuor, tragacanthi drachmæ quatuor, piperis albi oboli tres. mel coctum, & vua passa frigentur, amygdala excoriantur. tragacanthum verò in aqua maceratur, læuigatúrq; diem vnum, atq; sic miscentur vnà. Et in hac recte fecit, quod ad quid vtile sit medicamentũ, & compositionem eius ascribat. Ceterum facultatis est mediæ, quare & ad omnia ipsum vtile esse dicit, huiusmodi nanq; mediorum medicamentorum natura existit, vnde & ipsis medijs facultatibus propriè & principaliter cõuenit: ijs autem quæ mollia aut fortia requirunt medicamenta, nullum neq; bonum, neq; malum magnum conciliat. Postremam omnium arteriacen in hunc modum conscripsit. Mulsi veteris sextarij tres. coquito ad tertias, deinde nucleorũ pini torrefactorum adijcito heminã, piperis albi vncias duas, & vtitor. Esset vti-

que hoc medicamentum mollissimum, nisi piperis albi accepisset aliquid. Hoc enim assumpto, ad mediorum facultatem peruenit, quare etiã cum id cõgenerum suprascripto putaret, subscripsit.

*Arteriacæ quatuor numero à Critone proditæ.*

Iam & arteriacarum à Critone proditarum quatuor numero meminisse conuenit. Scribit itaq; de prima ad verbum hoc pacto. Ad voces abscisas exercitij vitio. Ficus & eryngium coquito probè, decoctioni adde gummi, vt fiat melle spissius, & da sub noctem bibere. Benefacit & ammoniacum, eóque facultatis eius mentionem feci, quoniam per initia prædictum medicamentum si ex eryngio præparetur, idoneum est: ammoniacũ verò, in diuturnis vtile est, cũ validũ existat medicamentũ. malè itaq; fecit Crito, qui indistinctè validissimũ cũ mediocri simul conscripserit. si enim in duri vsum ipsum permutaueris, non solũ hominẽ non iuuabis, sed etiã lædes. Alterã arteriacen tradidit Crito, mediam facultate, digerentem & rosionis expertem, in hæc verba. Alia, confert potissimum ad vocem oblæsam, asperam arteriam, tussis irritationes, dolores aurium, vlcera in auribus & testiculis, item & distillationes cõcoquit. Thurisoboli quatuor, myrrhæ drachmæ duæ, passi cyathi tres. passum vsque dum mellis acceperit crassitiem incoquito, deinde myrrham, thúsque adijcito & cũ passo semicocto ab ipso exempto, probè facit dysentericis & cœliacis. quidam croci drachmam vnam miscent, fitque medicamentum ad aures & oculorum inflammationes idoneum. Hæc sanè & manifestè & rectè conscripsit Crito. Me vero expositionem huiusmodi medicamentorum adijcere non oportet, cum subinde eorum mentionem fecerim. reliquas vero duas persimiles prædictæ, sed moderatiores facultate & simplicissimas in hæc verba scripsit. Linctus, Faustianum dictus. Vini falerni sextarius vnus, mellis attici libra vna. coquito in duplici vase, rutæ ramis circumagens. Alterum medicamẽtorum hoc pacto habet. Linctus ex vini scybelite, quo vtor. Vini scybelitis sextarius vnus, gummi vnciæ tres, mellis vnciæ nouem. coquito in duplici vase gummi, quod prius maceraueris, leuigaueris q;. Sic quidem inibi adiecit solum hoc, in duplici vase, optime autem quis omnes arteriacas componit, quæ vim mitigandi, digerendi, & leniendi promittũt, si in dyplomate, hoc est in duplici vase coquãtur, quemadmodum vnguentarij dum eiusmodi medicamenta conficiunt, in magno aliquo lebete aqua calida infusa, alterum vas collocant, quod medicamentum in se coquendum contineat. deinde carbonibus aut lignis perustis aridis, coquunt.

*Diacodyon secundum veteres.*

Et in huius compositione indistincta veterum fuit discordia. quidam enim ipsorum in centum viginti papauerum capita aquæ sextarios viginti immittere præcipiunt, vt vniuscuiusque sextarij mensura habeat sex capitum mistuturam: nonnulli autem octoginta sextarijs, octingenta papauerum capita inijciunt, vt singuli sextarij capita decem accipiãt. Quidam verò sic, vt sextarius octo capita recipiat: nonnulli in sextarios tres, haud scio quomodo, octoginta papauerum capita immittunt: quidam vero centum & viginti, sextarijs tribus aquę inijciunt. mihi quidem apparet paucam admodum aquam in tot capita papauerum iniectam esse.

*Diacodyon Andromachi.*

Andromachus igitur vt in arteriacis superius traditum est, secundam præparans, hoc pacto conscripsit. Capita viridia mille ducenta, deinde in fine addidit aquam pluuialem, non adijciens quantum.

*Diacodyon, vt Crito.*

Crito in hæc verba tradidit. Diacodyon Lite, papauerum syluestrium capita octingenta, aquæ sextarios octoginta. decoquito ad tertias, & exprimés, mellis libras decem adijcito. sin autem variam ipsam velis efficere, adijcito croci, myrrhę, hypocistidos succi, singulorum drachmas duodecim, thuris drachmas sex, acaciæ drachmas duodecim. Recte quidem mihi videtur singulis sextarijs capita decem adijcere, sic enim accidit, vt cum ille sic scripserit, octingenta capita sextarijs octoginta immittantur. ego vero & hoc pacto preparo, neq; crocum, neq; myrrham, neq; aliud quippiã addens. optimũ enim est simplicissimũ.

*Diacodyon Heræ.*

Heras sanè centum viginti capitibus, aquæ pluuialis sextarios tres superfundit, omnino exiguam mensuram: etsi in quibusdam exemplaribus nõ numerus capitum centum & viginti, sed drachmarum scriptũ sit. Ascribam itaq; totam ipsius seriem, quæ in hæc verba sonat. Capita papaueris viridia centum & viginti in vas fictile conijcito, cum aquæ pluuialis sextarijs tribus, ac sinito macerari ad dies tres, deinde ad tertias decoquito, postea ab igne remouẽs exprimito, & vbi percolaueris, adijcito mellis sextarium vnum, coquitóq; in duplici vase. vbi verò in spissitudinem coierit medicamentum, adijcito acaciæ ruffæ, succi hypocistidos, singulorum drachmam vnam. Cum vero papauerum capita in aqua decoquis, croci drachmam vnam in linteolum indito, & sinito vnà coqui. Sunt qui myrrhę drachmam vnam adijciant, & in læuorem ex modico passo redigant, coquũt autem vsq; dum aliquo modo inspissescat. Quòd si medicatam ipsam voles reddere, cum decocto capitum vbi ad tertias peruenerit, mel incoquito, reliqua verò non coniungens.

*Diacodyon Damocratis.*

Præparatum est hoc medicamentum à Themisone primo, ait Damocrates, scribens hunc in modum in libro cui titulum fecit, Damocratis Philiatri Nouimus autem versibus conscriptum esse. Cæterum dicit hoc medicamentum primũ à Themisone præparatum fuisse ad tusses humidas, arteriæ pharyngisq; labores. Benefacit ad species defluxionum vniuersim omnium quæ circa thoracem sunt, Item ad vigilias, quórum illæ sunt causæ.

Meconis, quod agricultores appellitant
Syluaticum papauer, neq; enim seritur,
Capita viridia adhuc, quæ vocant codyas,
Rubens habentia semen, non adhuc nigrum,
Ter quadraginta iustæ magnitudinis,
Ollæ recenti latique oris indito,
Et pluuialis affusis sextarijs
Ternis aquę, macera noctem atque vnum diem.
Deinde vt igne leni multum coxeris
Aquam exprimito totam ex ipsis in fictile,

Ternísque mellis attici additis libris,
Rursus coquito igne leniori, vsque attici
Mellis non liquidi spissitudinem indicet.
Refrigeratum vitreo vase reponito.
Nos sic quidem, verum Themison addidit,
Exorsus vti, myrrham, atque acaciam, crocum,
Hypocistidos succum. sed nunc non inditur,
Nam simplicior plus multo conducit, satísque
Est blanda. mystri mensura parua datur,
In noctem aliquando, minus interim die.
In ore continere paululum iube,
Vt eliquescat: deinde hanc sensim deuoret.
At si voles vt aluum sistat fluidam,
Fluxus in stomachum pulmonémque, sanguinis
Eruptionem ex partibus septum supra
Transuersum positis, eupatoricæ, aut ponticæ
Quod satius est, rhus succi ceu drachmas duas,
Tot acaciæ bonæ & nouæ denarios.
At cum feres medicamen, addito
Passo super hæc duo medicamina iungito
In fictile paulatim feruentibus simul
Inferuefacta: post frigida reponito.

*Diacodyon vt Soranus.*

Soranus vero ipsum in hunc modum confici præcipit. Papauerum capita centum quinquaginta, cum aquæ sextarijs viginti, in lebete hotum conijcito, coquitóq; ad dimidias, deindè vbi extraxeris capita, mellis sextarium vnũ adijcito, & vbi in linteolo illigaueris, myrrhæ, croci, hypocistidos, acaciæ succi, singulorum drachmam vnam obolos tres, in lebetem suspẽdas, vt simul cum melle incoquantur. cum verò ad consistentiam peruenerint, ligaculum tollito, & in pilam demissa, terito ex dulcis vini cyathis tribus, deindè in lebetem coniecta, molliter incoquas donec spissitudinem acceperint. mitius enim est quod ex solo melle & diluto capitis papauerum constat. efficacius efficitur, si in linteoli deligatura melilotum loco astringentium, & glycyrrizæ radicem acceperit.

*Diacodyon Galeni.*

Vt ego medicamentum diacodyon conficio, ita vtendum censeo. Quippe experto mihi prædicta medicamenta, præstantior esse compositio videtur, in qua capita decem in sextarium vnum conijciuntur, quemadmodum Crito memoriæ prodidit, aut in sextarios duos capita quindecim, vtpote Soranus fecit. in medio autem horum limitum subsistit confectio eorum qui octo, vel nouem capita papauerum immittunt. Cæterum macero ea non per triduum, quemadmodum Heras, sed neque mox exempta coquo, verum si humidiora mollioráque fuerint, ad diem vnum, ita vt intelligatur in huiusmodi omnibus dictionibus & nox, queadmodũ & homines annum, tercentũ sexagintaquinq; dies habere dicunt. Quòd si duriora siccioráq; extiterint, diutius vno die ipsa

macero: præſtaret autem dura nõ accipere. Porrò conſtat molliora reijcienda eſſe, ſicciora enim modicum ſucci habent, humidiora verò multum quidẽ, ſed crudum, præterea aquoſum inualidúmq́; quare etiam quæ ex humidis, & paludinoſis locis capiuntur, repudianda ſunt. Quem autem numerum dixi capitum inijci oportere ſecundum proportionem aquæ, de medijs intelligere conuenit, quædam enim grandiora ſunt moderatis, quædam item minora, quædã media, quemadmodum cõſueuit vt plurimum fieri. Omnium deinceps prædictum numerum ſextario inijcias. finis concoctionis tibi ſit, non tertiam aut quartã, aut omnino talem aliquam aquæ partem relinqui, ſed cum primũ intabuerint. Volumus ſiquidem ipſorum ſuccum exprimere: id quod abunde fiet, vbi omnino intabuerint, ſuperfluum enim eſt amplius incoquere. miſcendam autem huic cenſeo mellis attici menſuram dimidiã, incoquendúmq́; medicamen ſupra ignem fumi expertem, vſque ad mellis attici conſiſtentiam. Nonnulli in aqua pluuiatili capitum concoctionem moliuntur, eo quòd non in aliam qualitatem putridam permutetur. Tibi abundè ſit & fontana, cum pluuialis deſit. ſufficit autem ipſam puram, & ſynceram eſſe ab omni permixtione. Quapropter etiam quæ per plumbeos canales deriuatur, fugienda eſt, fæces enim aliquæ plumbi in ipſa reſident. Vnde & qui ſedimentum ipſius biberint, dyſenterici efficiuntur.

¶*De vſu medicamenti diacodyon.*

Vſus eius eſt in his qui ſomno indigẽt, quibus & ſubinde dare cogimur quæ ex opio conſtant. conueniunt autem potiſſimum huiuſmodi medicamẽta his, quibus à capite in aſperam arteriam facilis eſt defluxus, non permittens dormire, propter tuſſes ſubſequentes. in huiuſmodi ego confectionem ex ſapa molliri conſueui. Dictum à me eſt antea, hepſema vocari muſtum coctum, quod & à nonnullis medicis ſiræum, à latinis ſapa appellatur. Cæterum ſatis huiuſmodi cocta ſunt, cũ aqua ad dimidias puenerit, aut in vino dulci. ſatius autẽ eſt vino theræo cretenſi, q̃ cum melle incoqui, quãdo fluxio admodum tenuis extiterit: conſtat enim mel extenuantis eſſe facultatis: fugere igitur ipſum tunc oportet, nam tenues defluxus intendit. miſcere autẽ huiuſmodi medicamento conuenit dulcem radiculam, huius penuria, ſuccum eius qui ex Creta adfertur. Quòd ſi copioſa ex capite in pulmonem fuerit defluxio, prẽſtat medicamentum quod ex melle conficitur. Quemadmodum enim his qui ſomno indigent, medicamentum quod ex ſapa conſtat vtile eſt, ſic qui ſpuere deſiderant, id quod ex melle præparatum eſt. itaque ei quod vrget inſiſtens, ſi ægrotus in ſomnum inciderit, vel id quod ex melle, vel quod abſque eo paratur, dabis medicamentum. Interim ambo miſceo, huc dirigens conſiliũ in mixtura, vt plus ex altero inijciatur, eo quòd vrget poſtulante. Voco vrgẽs, quod maiori auxilio opus habet. Cæterum menſura mediocris ſit duorum cochliariorum iuſtæ magnitudinis. augebis autem ipſum aut minues reſpiciens corporis magnitudinem cui adhibes, ætatem, tempus anni, & regionẽ. in omnibus enim his, ſiquidem ad frigidius accedant, minus exhibebis: ſi verò ad calidius, plus. Quòd etiã ad defluxionis quãtitatem qualitatémque reſpiciens, aut plus, aut minus exhibebis, manifeſtum eſt omnibus. Hoc enim in omnibus præſidijs eſt commune. abunde igitur erant etiam ſuperius comprehẽſæ arteriacæ. Verum

mihi ab Asclepiade etiam proditas in secũdo interiorum libro, adijcere visum est. nonnullæ siquidem eædem omnino sunt: nonnullæ prædictas proximè accedunt, vt hinc quoque scripturæ firmari possint. præterea quòd confectiones ipsarum, & vsus, accuratius ab Asclepiade sunt prodita.

*Arteriacæ quas Asclepiades tradidit in secundo interiorum, quæ Mnasonis inscribit. Antonii Musæ ad vocis abscisionem.*

Brassicæ viridis caules purgatos mandendos exhibeto, crassiorem ipsorum partẽ expuere adhortator, succum vero deglutire. *Alia.* Brassicæ succum cum melle coctũ in linctu exhibeto. hoc protinus opitulatur. *Alia.* Eryngij in aqua cocti succi heminas duas, ficuum in aqua decoctarum succi tantundẽ. his adijcito gummi læuissimi drachmas octo. coquito diligenter, vt arteriacæ habeat spissitudinem, ex hoc dato in linctu ijs qui somno se accommodant vsque ad cyathum vnum.

*Alia arteriace Charixenis. facit ad sonitus, raucedinẽ, vocem abscisam, & grauitatem: item & ad abscisiones ex interuallo oborientes.*

Croci drachmæ duæ, liquoris cyrenaici drachma vna, mellis attici cyathi sex. coquito mel, & vbi constiterit adijcito reliqua, vtitórq; vt prædictum est, fingẽs orbiculos, & dato vt sub lingua teneatur. *Alia.* Galbani drachmæ sex, piperis drachma vna, nitri tantundem, mellis attici cyathi sex. coquito mel & galbanum, & vbi crassitiem acceperint, reliqua adijciẽs vtitor, vt prædictũ est.

*Alia Charixenis ad arteriam exulceratam.*

Probè facit & declamatoribus ante certamen & post exhibita. valet & ad oculorum dolores exterius imposita lana madente. cõducit etiam internis dispositionibus linctu exhibita. Gummi, tragacanthæ, singulorum drachmę sex, thuris, myrrhæ, singulorum drachma vna oboli tres, croci, hypocistidos, singulorum drachma vna, passi scybelitis aut theræi sextarij sex. macerato gũmi, tragacanthã, myrrham, & thus, hypocistidis succo. his passi partem adijciens, cum dissoluta fuerint, diligenter tundito, & passo miscens coquito continuè circũagens: crocum autem in lebetem qui superiores ansas habeat proijciens, incoquito cum medicamento, excipiens vtitor. *Alia.* Glycyrrizæ succi, tragacanthę, singulorum drachmæ tres, croci, myrrhę, singulæ drachmæ, thuris, spicæ nardi, singulorum oboli tres, passi sextarij tres. vtitor.

*Alia Lysii ad easdem dispositiones.*

Croci, myrrhę, glycyrrizę succi, thuris, casię, singulorum drachma vna, piperis grana vigintiquatuor, passi cretici sextarij tres, mellis attici cyathi tres. vtitor.

*Alia Charixenis.*

Croci drachmæ tres, myrrhę drachma vna semis, thuris, glycyrrizæ, singulorum drachma vna, passi cretici sextarij tres. Benè facit ad sonitus, gutturis raucedinem, vocem abscisam, & tonsillarum inflammationem. probe confert, & declamatoribus ante & post certamen exhibita, iuuat etiam perfrigeratos. Cõfert & ad tusses recentes inueteratásque, sanguinem spuentes, eos qui ægre glutinosa reijciunt, & cœliacos. Vtilis est & ad spiritus grauem odorem.

*Alia, Hypoglossis dicta.*

Facit ad arteriã exasperatã, & vocẽ abscisam, reliquásq; dispositiones. Tra-

gacãthæ, gũmi thebaici, ſingulorũ drachmæ tres, myrrhę, thuris inſecti, ſingulorũ drachma vna oboli tres, croci drachma vna, dulcis radiculæ ſucci oboli tres, glandiũ palmulæ triũ caro, muſti recẽtis, aut vini theræi, quãtũ ſufficit ad excipiẽdum. incoquito autẽ vſq; dũ mellis habeat ſpiſſitudinẽ. dato fabæ ægyptiacæ inſtar ſub linguæ continendum. vbi diſſoluta fuerint, deglutire iubeto. *Alia*, Hypogloſſis Dioſcoridis. Croci, myrrhæ, tragacanthæ, glycyrrizę ſucci, ſingulorũ drachma vna, nuclei pini combuſti numero ſexaginta, amygdalarũ purgatarum æquali numero. melle cocto excipito, datur nucis auellanę inſtar, vt ſub lingua contineatur. *Alia Scribonii Largi.* Hypogloſſis. confert ad vocẽ abſciſam. Dulcis radiculę drachmę octo, myrrhæ drachmæ vigintiquatuor, terebinthinæ drachmæ trigintaduæ, tragacanthæ drachmæ trigintaocto. ſingula ſicca ſeorſim tundito, & cribello incernito: reſinam in pilam conijciens tundito, fingens arida. Vbi in vnitatem coierint, in formulas digerito, quæ ægyptiæ fabę magnitudinem æquet, & in vmbra ſiccato. cum vſus poſcet dato vnam, aut alteram ſub lingua tenendam, & quod liqueſcit deglutiendum. oportet autem medicamentum celeriter effingere, ſiquidẽ confeſtim exiccari ſolet, quapropter in promptu terere conuenit medicamenta, cum in paſtillos coges.

¶ *Alia aromatica mithridatios. facit ad arteriæ diſpoſitiones, ad vlcera pulmonis, ſanguinem expuentes, phthiſicos, purulentos, & peripneumonicos.*

Croci drachmæ duæ ſemis, myrrhæ, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum drachmę duę; thuris ſeſquidrachma, nardi, cinnamomi, caſię, tragacãthæ, ſingulorum drachma vna, mellis attici hemina vna: terebinthinam melli incoquito, vt validum & fibroſum reddatur, manúſque non inquinans in aquam frigidã inſtillatũ, & aridis ſuperfundito, & vbi diligenter contuderis, excipito, vtitor nucis auellanæ inſtar, datóq; ſub lingua tenendum, vt prædictum eſt.

¶ *Alia mithridatios.*

Myrrhæ, croci, ſingulorum drachmæ quatuor, nardi indicæ, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum drachmæ duæ, thuris, caſiæ, cinnamomi, ſingulorũ drachma vna, paſſi cretici heminę tres. terebinthinam melli incoquẽs vſque dum ſpiſſeſcat, aridis ſuperfundito, excipiens dato nucis auellanæ inſtar ſub lingua tenendum.

¶ *Alia dia pterios, id eſt ex filice Andromachi aromatice. confert expuentibus ſanguinem, pleuriticis, phthiſicis, ſpleneticis, hepaticis, ictericis. Facit & ad vterum & veſicam.*

Radices filicis quàm craſſiſſimę eluuntur diligenter donec quod terrenum ineſt, recedat, deinde refrigerantur per diem vnum, ſecantúrque in digitalem longitudinem, & ſecundo confringimus. ex his capimus libras decem, & inijcientes in vas fictile, adijcimus ipſis dulcis aquæ ſextarios decem, ignique ſuperponentes incoquimus: Vbi ad dimidias peruenerit, tollimus, & in duplex vas vnguentarium transfundimus: radices verò exprimentes, abijcimus. Cæterum in aquã conijcimus craſſius contuſa, balauſtij drachmas ſex, nardi indicæ, roſarum ſiccarum, ſingulorum drachmas quatuor, cinnamomi drachmas tres, glycyrrizæ drachmas ſex, caſię, drachmas quatuor, rheu põtici drachmas quatuor. deinde rurſus igni imponentes coquimus, & poſtquam

ad dimidias, incocta fuerint, rurſus in aliud vas vnguentarium paruum traijcimus, ſicca quidē expreſſa abijcimus: aquæ autē addimus mellis attici ſextarios quatuor, & diligēter mixta igni ſuperponimus, rurſum incoquētes, atq; vbi inſtillatū medicamētū in aquā frigidā, manus nō coinquinauerit, prędictis adijcimus reſinę terebinthinę drachmas tres, galbani expertis ligni tantundem. His liquefactis ſubſcripta immittimus. ſunt autem hęc, croci, alterci ſucci, mādragoræ ſucci, piperis albi, hypociſtidos ſucci, ſingulorum drachma vna. Habeto hæc omnia læuia primo filicis ſucco in vnitatem coacta, vt ſordium habeant ſpiſſitudinem. percolata autem hæc & contuſa diligēter in vas vitreum vel argenteum traijcimus. datur medicamētum cochlearis inſtar. potiſſimum autem facit ad eos qui vocis abſciſionem experiuntur.

¶*Alia panacia mithridatios, declamatoribus ante certamē & poſtea vtilis.*

Benefacit ad tonſillarum inflammationes, vuam relaxatam, gingiuas humentes, oriſque nomas & mobiles dētes. Confert etiam ad diſtillationes, tuſſes diuturnas recentéſque, item ad ſanguinem ſpuentes, & eos qui glutinoſa difficulter teijciunt. Vtor autem medicamento interdum puro, interdum diſſoluto paſſo, aut vino ſcybelite, vel aqua calida. ad inflammationes enim tōſillarum, & huiuſmodi diſpoſitiones, vtēdum medicamēto diluto, ad altas verò diſpoſitiones, mero. Cuius hęc eſt cōfectio. Papaueris ſylueſtris capita numero centum quinquaginta, filicis elotæ libræ tres, cōſolidæ purgatæ, corticis mandragorę, rheu pontici, roſarum ſiccarum, iridis chalcidonicę, glycyrrizę ponticæ, balauſtij, ſingulorum vnciæ tres, cinnamomi drachmæ duæ, nardi gallicæ ſeſquidrachma, aquæ pluuialis ſextarij quindecim. prædicta craſſius inciduntur, & macerātur in duplici vnguētario vaſe per dies tres: poſtridie incoquito ad tertias, deinde in pilam conijcientes ſuccum exprimemus in alterum vnguentarium vas, cocta verò abijciemus. expreſſi autem ſucci excipientes quantum conuenit, diſſoluimus ſubſcriptas confectiones. Sunt hæ euiuſmodi. Gūmi, tragacanthæ albę, ſingulorum libra vna, myrrhę, ſucci glycyrrizæ, hypociſtidos ſucci, ſingulorum vncię duę, croci, maſtiches, ſingulorū vncia vna. His diſſolutis, læuigamus diligēter paulatim, adijciētes expreſſum ſuccū: deinde vtimur ad medicamēti cōfectionē vino ſcybelite, aut thereo, aut pramnio. Sin autē ſextarij vigintiquatuor: & paſſum in vas fictile inijcimus. vbi mellis habuerit ſpiſſitudinē, ea quæ diſſoluta ſunt, & cōtrita medicamenta adijcimus, rurſūmq; incoquimus vſq; ad cōſiſtentiam, deinde excipiētes vaſe vitreo aut argenteo vtimur vt prædictum eſt.

¶*Alia ad diſtillationes, ad omnéſque tuſſis affectus, Aſclepiades in primo interiorum ita ſcriptum reliquit. Ad diſtillationes medicamen quo Comon philoſophus vſus eſt. iuuat ſtatim.*

Pyrethri, coſti, ſingulorū drachmæ duę, piperis albi drachma vna. trita incretáq; repoſito, vbi vſus exigit, naribus applicari iubeto medicamentum, vt attrahatur. *Alia.* Piperis albi drachma vna, vrticæ ſeminis tantundē, coſti, myrrhæ, croci, ſingulorū oboli tres. præparato, & vtitor vt prædictum eſt.

¶*Alia, dolorem ſtatim ſedans, Antonii Muſæ. Benefacit ad diſtillationes, & vocis abſciſionem.*

Opij, myrrhæ, alterci ſeminis, ſingulorum drachmæ duę. ſingula macerato

cicutæ decocto,& vbi diligenter læuigaueris,miscuerísque, fingito catapotia erui magnitudine,& dato bina dormituro.

¶ *Alia. Confert sanguinem expuentibus.*

Alterci albi seminis drachmæ octo, nardi indicæ drachmæ sex, croci drachmæ quatuor, opij, amyli, anisi, singulorum drachmæ duæ, minij lemnij drachma vna. ex aqua in formulas cogito, & fac catapotia erui magnitudine, vtitor secundum prædictum modum.

¶ *Alia quæ lingitur. Facit ad tusses summas & inueteratas.*

Vini falerni sextarius vnus, mellis attici libra vna: coquito, continue surculis rutæ circumagens, & dato mystrum. Benefacit & stomachicis.

¶ *Alia Petini ad vlcera profunda, & suppurationes.*

Mulsi veteris sextarius vnus, axungiæ veteris vnciæ duæ, (nōnulli vero vncia vna.) tundito diligēter ex mulso, & vbi dissolueris, in vas fictile cōiecta coquito supra carbones, rutæ surculis agitans. Vbi vero in crassitiem coierint, reponito vase vitreo, datóq; lingere mystrum in modum prędictum. *Alia Origeniæ.* Glycyrrizæ ponticæ drachmæ duæ, vrticæ seminis torrefacti, lini seminis torrefacti, singulorum drachma vna, myrrhæ, croci, singulorum obolus vnus, mellis attici, aquæ, vtriusque cyathi sex. glycyrrizam aquæ incoquito, deinde vbi succum expresseris, reliqua terito, exceptáq; melle cocto, linctu exhibeto. *Alia.* Ari tostę drachma vna, ameos torrefacti, nucleorum pini torrefactorum, erysimi torrefacti, singulorum drachma vna. melle cocto excipiuntur.

¶ *Aliud, Coptarium tussientibus prodest.*

Lini seminis torrefacti, combusti, cribratíque, vuæ purgatæ acinis, singulorum sextarius vnus, nucleorum pini torrefactorum, nucū auellanarum purgatarum, singulorum hemina vna, piperis albi vnciæ duę, myrrhę, croci, singulorum vncia vna, mellis attici librę quatuor. contundito, vt par est, vbi læuigaueris, reponito. Lini semen melli incoquito. Vbi in spissitudinem coctum fuerit, adijcito reliquis, ac mixta rursus contundito, dato nucis auellanæ instar.

¶ *Aliud, probe facit ad affectus thoracis.*

Farinæ fabaceæ quàm leuissimæ torrefactę hemina vna, iridis illyricæ combustæ vnciæ tres, nucleorum pini torrefactorum vncię duæ, pulegij sicci combusti sesquidrachma, vrticæ seminis drachma vna, piperis vncia semis; mellis optimi sextarij duo. coquito farinam cum melle vsque ad consistentiam. habeto etiam & lini seminis combusti, torrefacti, cribratiq; heminam vnam, & adijcito. *Aliud* Ad tusses & * sanguinis excretionem, admodum bene expurgans. Hyssopi, pulegij, singulorū vnciæ duę, ireos, sinapi seminis, cardamomi, singulorum vncia vna, anisi, piperis, singulorum vncia vna. Tusa, incretáque melli discocto excipito. datur cochlearij magni instar. Per hyemē, & si febris nō adsit, piperis vncias duas sumito, & anisi loco marathrum, aut cuminum, in vicē cardamomi, sinapis duplicatam portionem.

*In Græco est πνεύματος, qđ est spiritus.

¶ *Catapotium bechicum, ad recentes affectus, Panatia, medicamentum anodynon id est dolorem leniens, & somnū concilians: facit & sanguinem spuentibus.*

Styracis drachmæ octo, opij, myrrhæ, singulorum drachmæ quatuor. passo dissoluta in pilulas conformato, datóq; erui magnitudine dormituris. In alijs scripturis habetur, paria pondera.

*Aliud Platoni aſcriptum, mox iuuat.*

Styracis, myrrhæ, opij, galbani, ſingulorum partes æquales. Paſſo diſſolues, fingito catapotia.

*Aliud medicamentum quod ad Baſſum authorem refertur, probatum.*

Iuuat ſtatim, bene facit ſanguinem ſpuētibus, & ijs qui glutinoſa ægrè reijciũt, ac purulentis. Galbani, ſtyracis, iridis illyricæ, piceæ corticis, ſingulorum drachmæ duæ, helenij, opij, ſingulorum drachma vna. melle coĉto excipito, datóq; inſtar erui, ex mulſa cyathis tribus.

*Medicamentum diapraſiou, hoc eſt ex marrubio, Platonis.*

Myrrhę, ſtyracis, opij, marrubij ſucci, galbani, croci, paria pondera. prępa rato, & vtitor melle diſcoĉto excipiens.

*Catapotium anodynon probatum, ad diuturnos affectus, deſtillationes, capitis dolores, ſpirandi difficultatem & peripneumoniam. item ad veſicæ & vteri diſpoſitiones inſcriptum. Probata Panatia. Apud quoſdam hac ſerie eſt.*

Myrrhæ, piperis, opij, ſtyracis, caſtorei, galbani, paria pondera. paſſo excipiens in pilulas redigito, ac vtitor.

*Aliud medicamen valde bonum, quod Harmonia inſcribitur. facit ad deſtillationes & inſuperabiles ex capite defluxus.*

Styracis, caſtorei, piperis, cardamomi, ſingulorum drachmę tres, opij, myrrhæ, alterci albi ſeminis, ſingulorum drachmæ quatuor. paſſo excipens fingito catapotia fabæ ægyptiacæ magnitudinis, in noĉtem exhibeto. Aliud. Croci, ſulphuris ignem nõ experti, myrrhæ, opij, ſingulorũ drachmæ quatuor, alterci albi ſeminis, cardamomi, piperis albi, ſingulorum drachmæ oĉto, mellis coĉti vnciæ quinque, aut quantũ ſatis eſt. vtendũ eſt, vt antea expoſui, in noĉtẽ.

*Proxeni ad tuſſes inueteratas, & nimis diuturnas diſpoſitiones humidas, Symphonis diĉta. Eſt & febrium efficax remedium. quo vſus eſt Antonius Muſa.*

Piperis albi, opij, cardamomi, ſingulorum drachmæ oĉto, croci, ſulphuris ignem non experti, myrrhæ, alterci albi ſeminis, ſingulorum drachmæ quatuor, mellis coĉti vnciæ ſex. datur inſtar nucis auellanæ, cũ mulſæ cyathis tribus.

*Confeĉtiones ad tuſſim ab Andromacho conſcriptæ in libro interiorum facultatum.*

Cum Andromachus multas bechicas cõfeĉtiones tradidiſſet, deinceps omnes, quæ torporem cõciliant, adſcripſit, ac inde ὑπνωτικὰ diĉtę ſunt, quòd ſomnum inducant. hę tenues humorum fluxus incraſſare ſolent, ſiccare, & refrigerare. Quapropter nonnullæ ex his non ſolum opium recipiunt, verumetiam & mandragoræ ſuccum, & radicis eius corticem, vel alterci ſemen: quędam verò duo vel tria aut omnia hæc continent: quemadmodum & aliæ ſtyracem, & crocum. Bona igitur ratione his admiſcuerunt reliqua, alia quidem calefacientia, alia verò cum modica aſtriĉtione odorifera ſiccantiaque. Item & quædam conſueta ſemina, nempe aniſi, petroſelini, apij, dauci, & ſeſeleos, quæ medicamentorum inſuauitatem, & vires obtundunt, vrinámque prouocant: quędam verò, & aſperitates læuigant, qualia ſunt, tragacantha, glycyrriza, & dulcia vina. Quęcunque igitur horum minus recipiunt medicamentorum ſopo-

rem conciliantium, has etiam phthisicis exhibemus.

*Bechica ad tussim diapipereon.*

Cinnamomi drachma vna, liquoris papaueris tantundem, myrrhæ, piperis nigri, castorei, piperis albi, galbani, singulorum oboli tres, croci eius dimidiũ. formato pastillos, datóque ex melle aut passo.

*Alia ad tussim eximiè efficax, eadem ipsa & febrem finit.*

Alterci seminis vncia semis (in alio exẽplari, vncia vna) cardamomi, liquoris papaueris, singulorũ vncia vna, myrrhę, sulphuris ignẽ nõ experti, croci, singulorũ vncia semis, piperis albi, vt Heras, vncia vna semis, mellis attici quod satis est. *Alia ad tussim siccam.*

Styracis pars vna, papaueris tãtũdẽ, croci dimidia pars. vbi simul cõtuderis, dato catapotia. *Compositio ad tussim, Ierēos, efficax, quo vtor.*

Liquoris papaueris drachmę decẽ, lactucę seminis drachmę viginti, castorei drachmę octo decim (q̃dã verò sedecim ponũt) rutę domesticę siccæ drachmæ quatuordecĩ, croci, drachmę septẽ (quidã vnciã vnã statuũt) melle excipiunt. datur ꝑ viriũ ratione ægyptię fabę instar, febricitãtibus, ex aq̃: ijs q̃ febre carẽt, ex vino in noctẽ. *Catapotium ad tussim, quo vtor.*

Styracis, myrrhę, opij, singulorũ drachmę quatuor, opobalsami, croci, singulorũ drachmæ duæ. simul læuigans excipito, & vtitor.

*Confectio ad tussim siccam.*

Dulcis radiculę succi drachmę duę, styracis drachma vna, opij, croci, myrrhę, singulorũ oboli tres. excipito dulci aqua nucis græcanicæ magnitudine, vtitor.

*Phthisicis accommodata potio, qua vtor, ex Ripali scriptis in multis vtilis, Menodorios, ambrosia: item ad febrium circuitus.*

Nardi, croci, myrrhę, costi, casiæ, cinnamomi, iunci odorati, piperis nigri & albi, castorei, galbani, resinæ terebinthinæ, styracis, liquoris papaueris, alterci seminis, singulorum drachma vna, tragacãthæ drachmæ sex, mellis quod satis est, vini falerni hemina vna. tragacanthũ vino, vt cõuenit, macerato, & reliquũ melli misceto. Datur febricitãtibus ex mulsę sesquidrachma, ijs qui febre carẽt ex mellis vncia semis, aut aceti cochleario vno, itẽ vini falerni cyathis duobus.

*Apollonii medicamentũ efficax ad multa, præsertim tussi summè facit.*

Cardamomi drachmæ octodecim, myrrhæ drachmę duodecim, alterci tãtundem, opij drachmæ decem (nonnulli verò duodecim,) petroselini seminis drachmæ duodecim, croci drachmæ quindecim, malorum mandragoræ drachmæ decẽ, gingiberis drachmę octo, sulphuris ignẽ nõ experti drachmæ sex, ari, thuris, costi, piperis albi, singulorũ drachmę sex, mellis attici quod satis est.

*Aliud medicamentum ad interiores abscessus, probe purgans.*

Sagapeni, myrrhę, singulorũ drachmæ duæ, cardamomi drachmæ quatuor, (in alijs drachma vna) castorei drachma vna, piperis albi oboli tres, opij drachmæ duæ. ex aq̃ formato pastillos, singulos pẽdẽtes obolos duos: dãtur ex aq̃.

*Isotheos ad tussim, & phthisim, omnésque interiores dispositiones, benefacit & ad febrium circuitus.*

Nardi drachmæ duæ, myrrhæ drachma vna, croci drachma vna semis, costi drachma vna, piperis albi drachma vna, opobalsami fęcis drachmę duę, cinnamomi drachmæ duæ, mandragorę succi drachmæ duæ, castorei drachmæ

duæ, dauci seminis sesquidrachma, opij drachmæ duæ, amomi sesquidrachma, casiæ nigræ sesquidrachma. mel coctum additur. Facit ad labores stomachi, iocinoris, pulmonis, & oculorum: item ad sanguinis eductiones, abscessus, dysentericos, iliosos, nephriticos, ischiadicos, ægrè spirantes, vrinæ difficultatem, laterum dolores, præcordiorum, fluorem muliebrem, ictus. mirabile siquidem antidotum ad lethalia, tum à cibo, tum ante cibum: necnon ad omnē sanguinis eruptionem, cum frigida ad viperæ morsus, & phalangiorum percussus ex vini cyathis tribus. quartanis hora ante accessionem exhibeto obolos duos, cum ternis vini cyathis, vbi prius se lauerint.

*Potio ad tusses, & spirandi difficultatem, item alia multa Antipatri, quo vtor.*

Styracis drachmæ sex, resinæ terebinthinæ drachmæ quatuor, opopanacis drachmæ duæ, galbani drachmæ duæ, iridis illyricæ, myrrhæ, singulorum tantundē, alterci seminis albi oboli tres, aphronitri, piperis albi, singulorum oboli quatuor, opij oboli quinq;. Dato quod ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet, dormituro. nonnulli opij ponunt drachmam, alij obolos tres.

*Confectio ad tussim, quæ linctui exhibetur.*

Nucleorum pini drachmæ duodecim, lini seminis torrefacti drachmę octo, tragacāthæ drachmæ duodecim, carnis dactylorū drachmæ octodecim, iridis illyricæ drachmæ duodecim, amygdalarū dulciū drachmę sedecim. mel coctū digito dato lambendum per dies duos, manè & cœnato. in quibusdam tragacanthum aqua pluuiali dissoluens, coquito cum melle primum.

*Catapotium bechicum vt Crispus Apoleutheros.*

Myrrhæ, piperis, galbani, castorei, styracis, croci, opij, singulorum partes æquales, styracis dimidium. dato in noctem bina catapotia.

*Medicamentum ad tussim Scribonii Largi.*

Apij seminis drachmæ duæ, iunci odorati floris drachma vna, nardi gallicæ drachma vna, styracis drachma vna, croci tātundē, balaustij oboli tres, liquoris papaueris drachmæ quatuor, mellis quod satis est. dato cyathi mēsura, ijs qui febri carent ex mulsa: febricitantibus, ex aqua.

*Confectio ad tussim Asclepiadis.*

Rheu pontici, croci cylicij, liquoris papaueris, spicæ nardi, thuris, myrrhæ, singulorum drachma vna, nardi gallicæ radicis vnciæ duæ, styracis vnciæ sex. datur cum mulso, drachma vna.

*Thespiani Apollonii ad interiores abscessus.*

Apij seminis drachmæ tres, papaueris drachmę tres, melāthij drachmę tres, iridis illyricæ drachmæ septē, castorei drachmæ duæ, dauci seminis drachmæ septem, sinopidis drachmæ septem. excipito melle attico cocto, datóq; quod nucis auellanæ magnitudinem habeat, ex aqua.

*Catapotium exiccans, facit ad destillationes in thoracem, molaris dentis dolorem, febrium circuitus, & scorpionum ictus.*

Liquoris papaueris, alterci seminis, singulorum paria pondera. Formato ex passo, aut melle fabæ græcanicæ magnitudine pilulas. dato in noctem. somnum adiuuat.

*Lexopyretos, quod est febrim finiens Pamphili medicaminum institoris bona.*

Alterci seminis vncia vna, cardamomi exenterati vncia vna, liquoris papaueris tātundē, sulphuris viui vncia semis, croci vncia semis, myrrhę tantundē, eu-

phorbij drachmæ duæ,coſti drachmæ tres,iridis illyricæ drachmæ tres,piperis albi drachmæ quatuor ſemis,mellis quod ſatis eſt.vtitor.

*Medicametũ bechicũ accõmodũ,tũ ad alia multa,tũ ad humidã tuſſim,q̃d deuorari poſſit.*

Aluminis ſciſſi drachmæ ſex,opij drachmæ quatuor, galbani drachmæ ſex, ſtyracis drachmę quatuor.datur ciceris magnitudine dormituro.

*Lexopyretos Darii.Hoc etiã antidoto vſus eſt ad omnia,tonſillas,tuſſes,& anginas.*

Croci vncia vna,piperis vncię quinq;,myrrhę vncia vna,papaueris vncia vna, thuris tãtundẽ,alterci ſeminis vncia vna,cardamomi vncia vna,coſti drachmæ q̃tuor,iridis illyricę drachmę tres,ariſtolochię drachmę duę.melle attico excipiuntur.

*Ad omnem tuſſim,comprobatum.*

Aniſi drachma vna,coſti oboli tres,myrrhæ drachma vna,caſtorei drachma vna,galbani drachma vna,piperis albi drachma vna, alterci ſeminis drachma vna,opij tantundem, glycyrrizæ ſucci drachma vna.paſſo excipito formans catapotia,quæ ciceris magnitudinem habeant.dato in noctem.

*Catapotium concoquens Periginis,ad tuſſim,& deſtillationes.*

Styracis oboli duo,piperis grana viginti,myrrhę drachmę duę ſemis,alterci ſeminis oboli quatuor,euphorbij drachmę duę,iridis illyricę drachmę duę, opopanacis drachmę duę,croci oboli tres,opij oboli tres, reſinæ terebinthinæ drachma vna,piperis albi oboli tres,galbani drachmæ duę.læuigata excipito galbano,reſina,opio,& ſtyraci.dato prout vires ſunt.

*Apollonii confectio ad tuſſim,admodum bona.*

Foliorũ malabathri drachmę octo,croci drachmę ſex,opobalſami drachma vna,ſpicæ nardi drachma vna,roſarũ ſiccarũ tãtundẽ,iunci odorati floris drachma vna,coſti drachmę tres,caſiæ drachmę tres,ſtyracis drachmæ tres, myrrhę drachmę tres,meu tãtundẽ,vuæ acinis exẽptis drachmę ſedecĩ,mãdragorę ſucci drachmę ſex,mellis q̃d ſatis eſt.Vuã p noctẽ & diẽ macerato in paſſo cretico,deinde vbi arida cõmiſcueris,lęuigato,& mel miſceto,reponẽſq; vtitor.

*Potio bechica ex ſcriptis Apollonii,facit ad fluxus muliebres.*

Alterci ſeminis drachmæ tres, myrrhæ drachmæ tres,croci drachmæ tres, corticis mandragorę drachmæ tres,thuris drachmæ tres,piperis albi & nigri, ſingulorum drachmæ quatuor,viticis drachmæ tres , opij totidem, mellis & vini chij quod ſatis eſt.datur ad fabæ magnitudinem.

*Ad tuſſim,& incipientem phthiſim,ſanguinem ſpuentes,& diſtillationes.*

Alterci ſeminis drachmæ quatuor,mãdragoræ nigræ radicis drachmæ quatuor,rheu drachmæ tres, corallij drachmæ tres,opij drachmæ tres, lycij drachmæ duæ,balauſtij drachmæ tres,thuris drachmæ quinque,tragacanthæ drachmæ duæ,croci drachmæ tres.aqua excipito ternos obolos.dato ſanguinem expuentibus ex poſca,reliquis verò ex aqua.

*Potio Paracletii Abaſcanti , ad phthiſi obnoxios, qua vtor abunde.cæterum ad ſanguinis eductionem inidonea eſt.*

Ariſtolochię dactylidis drachmę viginti,ſulphuris viui drachmę viginti,corticis mãdragorę drachmę vigĩti,thuris drachmę q̃draginta,gẽtianę drachmæ quatuor,ſeſeleos drachmę triginta,opij drachmę q̃draginta,alterci albi ſeminis drachmę q̃draginta,myrrhæ drachmæ q̃draginta,croci drachmæ octo,piperis albi grana centũ,euphorbij drachmæ decẽ,baccarũ lauri drachmæ ſeptẽ & ſemis,coſti tãtundẽ,cardamomi drachmę ſeptẽ.Tuſa ex vino euphorbiũ,&

myrrhã, opiũ ex mulſo, altercũ & reliq̃ per ſe miſceto vnà melli cocto. Vtitor non receti medicaméto. Pulchrè adijcit Andromachus in hoc medicaméto, q̃ ad ſãguinis eductioné ſit inidoneũ, ꝓpter ſulphur viuũ, & euphorbiũ: partim & baccas lauri. *Catapotium ad tuſſim, ſtatim iuuans.*

Iridis oboli tres, croci cylicij ſeſquiobolus, myrrhæ oboli duo, cinnamomi oboli tres, caſiæ tantundé, alterci albi ſeminis oboli duo, papaueris nigri ſeminis oboli duo, cicutę ſeminis totidem. excipito paſtillos ex paſſo, ſingulos obolum, aut dimidium pendentes, ac dato in heminæ paſſi quartario.

*Ad omné tuſſim, & diſtillationé, & abſceſſus interiores, vt Apollonius.*

Sagapeni, gentianæ, myrrhę, opopanacis, piperis albi, ſingulorum drachmæ duæ, baccarum lauri purgatarum drachmæ quatuor. Læuia excipito: dato ex aqua, quod græcanicæ fabæ magnitudinem adæquet, ijs qui coxarum doloribus infeſtantur paulo amplius, in ternis vini diluti cyathis.

*Ad phthiſicos, quam conſecutus ſum à Fabiano cretenſi.*

Hypociſtidos ſucci, myrrhæ, ſingulorum drachmæ octo, caſtorei drachmæ ſex, thuris drachmæ octo, rhus ſucci drachmę octo, ſagapeni drachmæ ſex, liquoris papaueris drachmæ octo, aniſi drachmæ nouem, apij ſeminis drachmę octo, marrubij drachma vna, corticis mandragoræ drachmæ decem, piperis nigri drachmæ octo, piperis albi drachmæ quinque ſemis, verbenacæ ſupinæ drachma vna. mel coctum adijcitur.

*Catapotium album vt Prytanis, & Apollo.*

Myrrhæ, alterci ſeminis albi, opij, ſtyracis, ſingulorum par modus. formato quantum quis deuorare poterit. excipito vua, aut paſſo, aut palma.

*Catapotium bechicum ex ſcriptis Perigenis.*

Alterci ſeminis, caſtorei, myrrhę, ſtyracis, opij, ſingulorum paria pondera. dato fabæ inſtar, cum paſſo aut mulſa.

*Catapotia ad humidam tuſſim ex ſcriptis Perigenis.*

Styracis, galbani, guttę ammoniacę, caſtorei, opij, ſingulorum par pondus. in formulas cogito erui magnitudinis, ac dato binas.

*De ſanguinis eductione.*

Sanguinis eductionis, primũ quidem periculũ eſt, ne is immodicè euacuetur. poſtq̃ verò fuerit repreſſus, curatio eſt, ſi quidé a dapertis vaſorũ cõmercijs eruperit, vt id quod laxatũ eſt, claudatur: ſin auté rupta vaſa fuerint, vt cõglutinentur, ſicut etiã ſi exeſa, vt reficiãtur. Itaq; quod adapertũ eſt adſtringétibus contrahitur: quod ruptum, cõglutinatur, tum his ipſis, tum ijs quæ ex miſtura ipſorum componuntur, ſiccantibus citra roſioné, & glutinatoria vi præditis, qualia lemnium ſigillum, & terra ſamia exiſtunt. Cæterum exeſa reficiuntur cibis boni ſucci, & medicamentis carnem generantibus, quorum facultas ſecundo huius operis cõmentario expoſita eſt. Prima igitur ratione, ex talibus componuntur medicamenta, quæ ad eruptionis ſanguinis curationem conueniunt. Altera in ijs, qui ex pulmone, aut thorace, aut arteria, aut faucibus ſanguiné educũt, calida & partium ſubtilinm, quæ commemoratis tribus diſpoſitionibus, adapertioni, rupturę, exeſioni, maximè aduerſantur, prędictis debita menſura admiſcétur. Cuius igitur gratia adiunguntur? nimirum vt ea in corpus deducant. Etenim aſtringétia, & viſcoſa, ſuas ipſorum vias dum præcludunt, vim quæ eis vias præparet, requirunt. At cum vel ex ſtomachi, vel

ex ventris regionibus, aut aliquo inteſtino ſanguis educitur, talium miſturæ medicaminum vſus non eſt. His rurſus contrarium maximè eſt medicamentorum genus, quæ adeò refrigerant, vt affectui ſoporem concilient. Ea quoque miſcentur iis, quæ cruentis ſputis congruunt, ſomnum torpidum inducentia. Vtiliſſima redduntur tuſſi perturbatis, dum frigiditate ſanguinem ad vas affectum decurrẽtem ſiſtunt. Hi ſanè ſcopi ſunt cõpoſitionis: copia verò materiæ medicamentorum, quæ iam ſatis experimenti dederunt, à maioribus noſtris, qui medicamentoriæ artis parti incubuerũt, deinceps exponetur.

*¶ Quæ ab Andromacho conſcripta ſunt medicamenta ad ſanguinis eductionem. Primum medicamentum inter ea tradidit hoc pacto.*

Ad ſanguinis eductionem, quo ego vſus ſum. Acaciæ drachmæ quatuor, roſarum ſiccarum drachmę octo, balauſtij totidem, gummi drachmę duę, tragacanthæ drachma vna. ex aqua in paſtillos cogito, qui ſinguli drachmã pendeant. dato ex aqua pluuiali.

*¶ Aliud Apollonii.*

Alterci ſeminis drachmæ octo, opij drachmæ q̃tuor, thuris drachmæ octo, terræ ſamiæ drachmæ quatuor, amyli drachmæ duæ, terræ lemniæ drachmæ duę, huius penuria, ſinopidis drachmæ tres, coralli drachmę quatuor, coſti tãtundem, balauſtij floris oboli tres, (alij drachmas duas ponũt.) polygoni ſucco excipito, paſtillos formans triobolares. exhibeto ex frigida. nonnulli cicutæ ſeminis drachmas duas adijciunt.

*¶ Aliud quo vtor.*

Cytinorum drachmæ ſex, ſpinæ ægyptiæ drachmę ſex, liquoris papaueris drachmæ quatuor, hypociſtidos drachmæ ſex, balauſtij drachmæ ſex, acaciæ drachmę ſex, lycij indici drachmę q̃tuor, myrrhę drachmæ duæ. excipito myrtorum decocto ſingulorum drachmam. propinato idem decoctum.

*¶ Aliud Moſtaſis.*

Croci cylicij, myrrhæ, iridis, nardi indicæ, thuris, acaciæ, ſingulorum vncia vna, liquoris papaueris, coſti, piperis, ſingulorum vncia ſemis, roſarum ſiccarũ vnciæ quatuor. mel additur. datur quod fabæ ægyptiæ magnitudinem æquet.

*¶ Aliud quod defluxiones ſiſtit. Benefacit ad interiores defluxiones tonſillarũ, vuæ, arteriæque exulceratæ, ſi ex eo gargarizetur: itẽ & ſanguinis vehementẽ fluxũ ſiſtit ex aqua, reliquis verò ex poſca nucis auellanæ magnitudine datur. Confert & ad eos, qui ſanguinẽ per vrinam excernunt, ad muliebres fluxiones, tum potũ, tum extrinſecus appoſitũ.*

Myrrhæ, nardi indicæ, cinnamomi, thuris, ſingulorum vncia vna, croci vncia ſemis, piperis drachmę quatuor, acacię ſucci tantundem, coſti, ſtyracis, ſingulorum drachmę quatuor, iridis illyricæ, roſarum ſiccarum, ſingulorum vnciæ duæ. excipito melle cocto.

*¶ Aliud q̃d ſanguinẽ ſiſtit ex ſcriptis Galli, p̃bè facit ad ſãguinis eductionẽ.*

Croci, myrrhę, iridis, nardi ſyriacę, caſię nigrę, rheu pontici, ſingulorũ drachma vna, ſtyracis, piperis albi, ſingulorum vncia ſemis, roſarum ſiccarum vnciæ quinq;. lęuigatis adhibens mellis attici quod ſatis eſt, dato quod nucis auellanæ magnitudinem æquet, ex cyathis tribus.

*¶ Aliud ad ſanguinem ſpuentes ex ſcriptis Apollonii.*

Hypociſtidos ſucci drachmæ duodecim, balauſtij, acaciæ, cytinorum, gallæ,

singulorum drachmæ duodecim, liquoris papaueris drachmæ sex, croci drachmæ sex. fingito pastillos triobolares.

*Aliud, facit sanguinis sputum.*

Liquoris papaueris oboli duo, amyli oboli tres. dato ex aqua.

*Aliud ad sanguinis eductionem, & omnem sanguinis eruptionem, ex aqua potum.*

Liquoris papaueris drachma vna, cinnamomi drachma vna, castorei tantundé, costi, piperis longi rotundiq́;, myrrhæ, singulorum oboli tres, croci obolus vnus semis, corallij oboli duo, balaustij drachmæ duæ, anisi drachma vna, gũmi tantundem. soluta in pastillos cogito, & vtitor.

*Aliud ad sanguinis eductionem.*

Minij sinopici drachmæ quatuor, thuris drachmæ octo, anisi drachma vna, cicutæ seminis drachmę quatuor, liquoris papaueris, lapidis hematitis, singulorum drachmæ quatuor, alterci seminis drachmę octo, terræ samiæ drachmæ tres. Ex aqua ieiuno dato medicamẽtũ. *Aliud.* Hypocistidis drachma vna, opij oboli tres, balaustij, acaciæ, singulorum drachma vna. dantur ex aqua.

*Alia ad sanguinis eductionem, vt Herophilus.*

Consolidæ radicis vnciæ tres, terræ samiæ vncia vna, thuris vnciæ duæ, balaustij vncia vna, hypocistidos succi vncia vna, croci oboli tres, myrrhæ drachmę duę, opij drachma vna, minij lemnij vnciæ tres oboli tres, gummi drachma vna. excipito succo polygoni aut plantaginis.

*Aliud ad sanguinem expuentes Agathi Cathegeti.*

Balaustij drachmæ duæ, acaciæ drachmæ duæ, tragacanthæ drachmæ quatuor, hypocistidos succi drachmæ quatuor, rosarum floris drachmæ quatuor, opij drachmæ duæ, thuris drachmæ tres, myrrhæ drachmæ duæ, alterci seminis oboli tres. excipito polygoni succo.

*Aliud ad sanguinis eductionem, vt Acacius.*

Terræ samiæ, corallij, singulorũ drachmæ quatuor, minij sinopici drachmę duæ, balaustij oboli tres, opij drachmę quatuor, amyli drachmę duodecim, thuris drachmæ octo, alterci seminis drachmæ octo. polygoni succo excipito, pastillos formans, qui obolos tres pendeant. dato ex posca, si defluxio multa fuerit, cum luteo oui tosti, & plantaginis succo.

*Aliud, facit sanguinem spuentibus & dysentericis.*

Rosarũ floris, opij, acaciæ, gummi, balaustij, hypocistidis, singulorum vncię tres, gallæ vnciæ duæ, plantaginis seminis, succiq́;, singulorum vncię duæ, lycij indici, rosarum succi, singulorum vncia vna. excipito, pastillos formans, singulos pendentes drachmam vnã. quidã & omphacij vnciam semis adijciunt. Hoc & per anum inditur dysentericis.

*Aliud ad cruenta sputa Carteri, validius.*

Cicutę seminis drachmę duæ, alterci seminis drachma vna, amyli drachma vna, nardi oboli tres, minij lenij oboli tres (nõnulli quatuor ponũt) anisi quaterni oboli (alij tres obolos malũt) croci oboli tres. dato cũ oui tosti luteo, cum aquæ lactariæ cyathis tribus. Benefacit & ad distillationes.

*Aliud ad cruenta sputa Magni Philadelphi.*

Corallij oboli duo, stellæ samiæ quaterni oboli, polygoni succi cyathi quinque. dato totum bina potione.

¶ *De vsu prædictorum Andromachi medicamentorum.*

Iam sanè cōstabat ex his quę initio sermonis de cruētis sputis tradidit, quis prædictorū medicamentorū vsus esset. Verū perspicuitatis gratia, summatim repetam. Atq; nūc primū omniū prædictorū, ex acacia, rosis siccis, balaustio, gūmi, & tragacantho cōpositū est. Liquet igitur, acaciā, rosas, & balaustium, vim habere astrictoriā: gūmi vero & tragacātham, viscosam glutinosámq;. fieri ergo nō potest, vt ipsū per se ad thoracē, & pulmonē emergat, nihil habens, quod astringētia, & viscosa deducat. Præterea neq; mellis quicq̄ omnino adiecit author medicamēti, sed ex aqua pluuiali preparat, quę & ipsa astrictoriā quandā vim obtinet. Cōpositio eius & mensura est, vt ad sanguinis eductiones ex stomacho, & ventre accōmodetur: si fieri potest, vt etiā ex ieiuno intestino aliquid per nauseā educatur, hoc quoq; vtile futurū est. contrà autē q̄ superius medicamentū, quintū ordine scriptū, & nonū, cōpositionē habet, quòd admixtū ipsis sit cinnamomū, piper, costum, & myrrha. reliqua omnia medio ordine sese habēt, neq; exactè astrīgētibus in cōpositione, neq; validè calefaciētibus vsa. Opiū verò, altercū, & cicutæ semē, maximè in iis prosunt, qui tussi cōquatiūtur, aut distillatione infestātur, vel alio modo sunt idonea. omnibus itē, qui sanguinē quouis modo excreāt. Quapropter licet ea miscere illis, tum quæ sanguinem ex instrumētis nutritoriis, tum quæ ex spiritalibus educunt.

¶ *Quæ Asclepiades prodiderit ad eos qui sanguinem spuunt, ita habent ad verbum.*

,, Ad sanguinis eductionē. Consolidæ radicis vnciæ sex, balaustii drachmæ ,, duæ, vel drachma vna, aquę sextarius vnus. coquito ad tertias, expressóque succo ,, adiicito amyli drachmam, gummi thebaici par pondus, datóque potui. ,, *Aliud*. Cucumeris domestici libra vna. minutim incidens, & aquæ potabilis ,, adiiciens sextarium vnum, coquito ad tertias. Vbi succum expresseris, inspergito ,, huic terræ samiæ sesquidrachmam. exhibeto in potum.

¶ *Charixenis medicamentum idoneum.*

,, Polygoni radicis manipulus, consolidæ radicis tantundem, rhus rubri acetabulum, ,, aquæ sextarii tres. incoquito vsque ad tertias, succo expresso dato ,, cyathum, & gummi læuissimi drachmam vnam.

¶ *Arrabiani, Ponticum inscribitur.*

,, Arci vuæ libre sedecim, aquæ pluuialis sextarii sedecim. coquito ad tertias, ,, succóque expresso, reponito. *Aliud*. Mororum rubentium nondum maturorum ,, libræ sedecim, aquæ pluuialis sextarii sedecim. coquito ad tertias, & succum ,, exprimens reponito. *Aliud*. Cornorum fructus librę sedecim, aquę pluuialis ,, tantundem. facit similiter. *Aliud*. Palmulæ glandium thebaicarum libræ sedecim, ,, aquæ pluuialis sextarii sedecim. coquito ad tertias, succum expressum, ,, adiicito cōtusis. vbi omnia miscueris, incoquito ad tertias, & in vase fictili reponito: ,, ex hoc dato cyathum vnum ante cibum. medicamentum hoc valde bonum ,, est. recidiuam prohibet. Oportet sanè vnumquódque suo tempore præparare, & ad medicamenti compositionem reponere.

¶ De arci vua. Quæ dicitur arci vua, in ponto nascitur, planta est humilis, & fruticosa. folia habet similia memæcylo, fructum rubrū producit, & rotundū, gustu austerum, hanc vocant arci vuam.

¶ *Catapoton, id est medicamentū quod deuorari potest, sanguinē spuentibus vtile.*

Corticis thuris, terrę samiæ, amyli, singulorū drachmæ q̄tuor. cōtrita cribra-

táque reponito. in vsu dato cochlear vnum ex aquæ frigidæ cyatho. *Aliud.* Balaustij, terræ samiæ, corticis thuris, gummi, singulorum partes æquales. contrita cribratáque dato in modum prædictum.

*Ad sanguinis eductionem Amaranti medicamentum quod linctu exhibetur, idoneum.*

Vini falerni sextarius vnus, mellis attici libra vna. Coniecta in vas fictile, contunduntur, & prunis superposita incoquuntur. Vbi verò arteriacæ spissitudinem acceperit, remouens ab igne, finito refrigerari, & huic contusa cribratáque adijcito, gummi cochlearia quatuor, balaustij, thuris, terræ samiæ, singulorum drachmas duas, rursúsque igni superimponito, calefacta reponito. dato similiter in modum prædictum.

*Alia Origeniæ.*

Gentianæ succi, consolidæ succi, balaustij, singulorum drachmæ octo, croci, myrrhæ, glycyrrizæ succi, singulorum drachmæ quatuor, passi vel theræi, vel scybelitis sextarij sex. præparato, datóq; vt ostensum est.

*Catapotia anodyna, id est dolorem lenientia ad sanguinis eductionem, quibus vsus est Charixenes.*

Hypocistidos succi, balaustij, opij, singulorum drachmæ quatuor. excipito vino myrteo, formatóque catapotia, & dato in magnitudinem trium obolorũ. in quibusdã scripturis habetur, opij drachmæ duæ. *Aliud.* Hypocistidos succi, acaciç succi, rhus syriaci succi, singulorũ drachmæ quatuor, balaustij, opij, gũmi, singulorũ drachmæ quatuor, vini myrtei quod satis est. vsus ostẽsus est.

*Pastillus ad sputa cruenta. medicamentum probatũ inscribitur Trypherũ.*

Amyli, balaustij, terræ samiæ, hypocistidos succi, gummi, croci, opij, singulorum drachmæ duæ. succo plantaginis dato singulas drachmas, liquor dispositioni idoneus est. *Aliud.* Amyli, terræ samiæ, hypocistidos, singulorum drachmæ duç, opij, croci, balaustij, tragacanthæ, singulorum drachma vna. succo plantaginis excipiuntur.

*Pastillus dia electru. Bene facit ad sputa cruẽta, tusses inueteratas & recẽtes, phthisicos, ad eos qui difficulter glutinosa reiiciunt, purulentos, cœliacos, dysentericos, flatibúsq; distẽtos. cõfert etiã morbis auricularibus.*

Psyllij puri drachmç quadragintaquinq;, iridis illyricç, masticheś, electri ramenti, croci, singulorum drachmæ triginta, opij drachmæ quindecim. psylliũ in aquã calidã coniectũ, finito macerari, vbi verò viscosa glutinosáq; euaserit aqua, exprimito liquorẽ: ex hoc præparato medicamẽtum, pastillos cõficiens, datóq; obolos tres dormituro. sint autẽ aquæ sextarij tres, in quibusdã exẽplaribus habetur, macerato psyllium per tres dies. Deinde coquito donec ter ebullierit, postea ab igne moueto, rursúsq; per tres dies finito, atq; tunc liquor ad medicamenti confectionem separatur.

*Pastillus Neapolitæ. Confert ad sputa cruenta, purulentos, phthisicos, dispositionésque rheumaticas.*

Alterci albi seminis, succi mãdragorç, singulorũ drachmç quinq;, thuris masculi, opij hispani, styracis, coaguli hĩni, singulorũ drachmç decẽ, mastiches drachmç vigĩti, ramẽti electri, iridis illyricç, croci, singulorũ drachmç trigĩta, psyllij drachmç q̃dragintaqnq;, aquç sextarij tres. prçparato & vtitor, vt ostẽsũ est.

*Dia coralliu, vt Niceratus.*

Corallij, terræ samiæ, singulorum drachmæ octo, balaustij, amyli, terræ lemniæ, singulorũ drachmæ quatuor, alterci albi seminis, opij, hypocistidos, singulorum drachmæ duæ. excipito plantaginis succo, pastillos formans, datóq;.

*Dioclei Chalcidonei.*

Corallij drachmæ octo, succi hypocistidos, balaustij, acaciæ succi, rheu pontici, terræ samiæ, opij, thuris, consolidæ succi, singulorum drachmæ duæ. excipiuntur succo plantaginis.

*Aphrodisiacum Cledonium. medicamentum probatũ. probè facit ad sputa cruenta, cœliacos, dysentericos, & ad eos qui defluxum in stomachum experiuntur.*

Cytinorum, spinæ ægyptiæ, balaustiorum, succi hypocistidos, succi acaciæ, singulorum drachmæ sex, lycij, rheu pontici, opij, singulorum drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ duæ. contusa cribratáq; diligenter excipito myrtorũ decocto, & in pastillos formato, datóq; prout vires sunt, cum rosarũ decocto, aut myrtorum, aut aqua frigida, spongijs exterius vtens posca imbutis. Cum autem defluxio constiterit, illinito pectus aut locos defluxu laborantes, omphacio aceto dissoluto, tepido vsq; dum calidi cineris habeat spissitudinem.

*Philippi medicamentum vsu probatum, in dysentericis, & sputis cruẽtis.*

Balaustij, acaciæ, hypocistidos succi, opij, thuris, myrrhæ, croci, gallæ, lycij, aloës, rheu pontici, myrtorum nigrorum, malicorij, singulorũ drachmæ quatuor. excipito vino italico, in pastillósq; formato qui pondere obolos tres adæquent. exhibeto ijs qui febre carent cum vino, febricitantibus ex aqua. Medicamenta à dolore leniendo anodyna dicta, phthisicis, sanguinis eductionibus, & alijs quibusdam præter colicos congruunt: in ijs qui sanguinem educũt non autem omnino tabe detinentur, hoc genus anodynorum medicaminum, quod maiores nostri composuerunt, accommodum est sanguinẽ educentibus: & ijs qui simul hoc patiuntur, & iam tabidi sunt. Item ad alios dolores & dispositiones, præter colicas, quęcunque in pulmone, arteria, & thorace, reliquísque particulis constituuntur. differunt autem ab ijs, quæ proprie colicæ vocantur, mistura aromatum & seminum suauiter olentiũ, vrinámq; cientiũ. nam facultates colicorum valentiores his sunt, vt quæ facultatẽ stupefactoriã ex refrigerantium medicamentorum copia præpollentem habeant. Quale est alterci semen, & cicutæ, & liquor papaueris: itẽ & cortex radicis mandragoræ. Vti autem ipsis in colicis cogimur, propter doloris magnitudinem.

*Quæ Andromachus ad prædictas dispositiones memoriæ prodiderit.*

Medicamentum à dolore leniendo dictum anodynon, facit ad omnes interiores affectus, & pleuritidas, quo vtor. Panacis radicis, dauci seminis, singulorũ drachmæ quatuor, castorei drachmæ quatuor, (alij verò drachmæ duæ,) alterci seminis, opij, singulorum drachmæ quatuor, (alij drachmę duæ) mellis quod satis est. dato obolos tres ex aquæ cyathis tribus.

*Aliud anodynum Marcellini.*

Anisi drachmę duę, alterci seminis drachmę duę, papaueris drachma vna, apij seminis drachmę duæ, croci oboli tres, rosarum siccarũ drachma vna, myrrhę,

amomi, ſingulorum drachma vna. vbi aqua læuigaueris, in trigintaduos cogito paſtillos. dato in noctem ex aqua cyathis duobus aut tribus.

*Aliud anodynum, eo quòd ex ſeminibus conſtat, διὰ σπερμάτων dictum.*

Apij ſeminis, ameos, ſingulorum drachmæ octo, aniſi drachmæ quatuor, malathri drachmæ quatuor, opij drachmæ duæ, caſiæ nigræ drachmæ duæ. ex aqua paſtillos fingito obolos tres pendentes: dato cum paſſi heminæ decimaſexta parte, aut aqua.

*Aliud anodynum Achillæ Paracenteti.*

Aniſi, ameos, ſingulorum drachmæ octo, apij ſeminis drachmæ quatuor, opij drachmæ duæ, nardi indicæ, myrrhæ, ſingulorum drachmæ duæ, piperis drachma vna, caſiæ nigræ drachmæ duæ. fingito paſtillos obolos tres pendentes, vt ſiccati ſinguli obolos duos pendeant, ac dato vt reliquos.

*Aliud anodynum Xenocratis, quo vtor potiſſimū ad tormina quæ στρόφους vocant, & dyſentericos.*

Apij ſeminis drachmæ quinque, aniſi drachma vna, piperis albi drachma vna, myrrhæ oboli quatuor, caſtorei oboli quatuor, opij oboli tres, gentianæ drachmæ duæ. fingito paſtillos trium obolorum, & dato vario modo.

*Aliud anodynū Sphragis, exiccans defluxiones, tormina & tuſſim, quo vtor.*

Myrrhæ drachmæ quinq; (alij drachmæ ſex) corticis mandragoræ drachmæ quatuor, liquoris papauerum drachmæ quinq;, alterci ſeminis drachmæ quatuor (alij drachmæ duæ) thuris drachmæ quinq;, croci tantundem. vino excipito. dato prout vires ſunt. quibuſdam quod fabæ ægyptiæ magnitudinē impleat, quibuſdam etiam obolos duos.

*Aliud anodynum Aſter dictus, quo vtor ad omnem defluxū, dolores, & omnes internas diſpoſitiones, item ad diſtillationes, veſicam, ſuffocationes, fluxum muliebrem, ſtomachum fluxione infeſtatum, dyſentericos, ſanguinem expuentes, reſolutóſque.*

Croci oboli tres, alterci ſeminis drachmæ ſex, apij ſeminis drachmæ ſex, aniſi drachmę quatuor, ſtyracis drachmę quatuor, dauci ſeminis drachmę quatuor, croci drachmæ tres, caſtorei drachmæ duæ, opij drachmæ tres, myrrhæ drachmæ duæ. nonnulli & mandragoræ ſucci drachmas quatuor adijciunt, vt Xenocrates. item piperis albi drachmæ ſex. fingito ex aqua paſtillos, qui triū oborum pondus habeant, datóque ex aqua.

*Aliud anodynum Lycomedi exiccans, ad defluxus, & arterias, oculóſq; profluentes.*

Alterci ſeminis, apij ſeminis, opij, ſingulorum drachmæ duæ, aniſi drachma vna, croci oboli quatuor, roſarum ſiccarum drachmæ duæ, myrrhæ drachma vna (alij verò drachmæ duæ) ex aqua fingito paſtillos tres obolos pendentes. vtitor vt Trigono.

*Aliud anodynum exiccans. probè facit ad ſputa cruenta, cœliacos, dyſentericos, rupturas, item & ad conuulſiones.*

Aniſi, apij ſeminis, opij, ſingulorum drachmæ quatuor, croci drachma vna alterci ſeminis drachmæ quatuor, ſtyracis drachma vna, iunci odori drachma vna, balauſtij oboli quatuor. ex aqua in paſtillos cogito duos obolos pendentes, dato ex vino, aut aqua, aut paſſo.

*Alia potio anodynos, qua vtor, à Rufo composita.*

Corticis mandragoræ drachmę quatuor, thuris drachmæ quinq;, piperis albi drachmæ sex semis, croci drachmæ quinq;, alterci seminis drachmæ quatuor, liquoris papaueris drachmæ quinq;, myrrhę tantundem, nardi oboli tres, casiæ nigræ drachmæ duæ. vbi in lęuorem redegeris, excipito passo, pastillos fingens drachmã vnam pendentes, & reponito, ne humiditatẽ recipiant. dato ex aquæ calidæ cyathis duobus, cholericis ex aqua frigida.

*Aliud anodynum ad omnes interiores dispositiones, quo vtor.*

Casiæ nigræ, myrrhæ, opij, aluminis, croci, singulorum drachma vna. nonnulli singulorum drachmam vnam obolos tres ponunt. fingito pastillos trium obolorum, aut duorum, dato si febris adsit, ex aqua: ijs qui febre non infestantur, in vino: hepaticis, ex mulsa, item & pleuriticis. Benefacit & ad tussim.

*Aliud anodynum exiccans, Trigonis.*

Alterci seminis drachmæ quatuor, anisi, opij, singulorũ drachmæ duæ. fingito pastillos ex aqua, & dato mane & vesperi, singulos ex frigida.

*Aliud anodynum Asclepiadi ad omnes internas dispositiones.*

Seseleos, chamæpityos, betij herbæ, syluestris rutæ seminis, dauci seminis, singulorum drachmæ sex, alterci seminis, opij, singulorum drachmæ octo, castorei drachmæ vigintiquinq;, rheu pontici drachmæ sedecim. melle excipito.

*Aliud, vt Charides.*

Turdi drachmæ octo, chamæpityos tantũdem, rheu pontici drachmæ sex, castorei drachmæ duodecim semis, betæ drachma octo, syluestris rutæ seminis drachmæ octo, dauci seminis drachmæ octo, opij drachmæ quatuor, alterci seminis drachmæ quatuor, croci drachmæ quinque. nonnulli mel atticum adijciunt.

*Aliud anodynum Iucunda dictum. facit ad eos qui phthisi consumuntur, inflantúrque.*

Iridis illyricæ drachmæ triginta, electri, croci, masticbes chiæ, singulorum drachmæ triginta, psyllij drachmæ quadragintaquinque aut triginta, liquoris papaueris drachmę quindecim. ex aqua pluuiali fingito pastillos, singulos drachmã pendentes & obolos tres, datóque. psyllium in aqua pluuiali macerato per diem & noctem, deinde incoctũ exprimito cum reliquis, atq; sic misceto.

*Alia potio anodynos ex commentariis Aphrodæ, ad omnem dolorem, neruos, secundas mulierum, coxásque.*

Liquoris papaueris, opobalsami, singulorum drachma vna, aut fructus opobalsami drachma vna oboli duo, myrrhę, alterci seminis, castorei, styracis, singulorum drachma vna. excipito passo, datóque cum aquę calidę cyathis duobus, aut tribus sesquiobolum.

*Aliud catapotium anodynum ex Aphrodæ commentariis, ad omnes dispositiones internas, item ad quartanas. diebus intercedentibus à cibo abstinetur, deinde assumitur. Benefacit etiam iis qui calculo infestantur, dysentericis, stomachicis, & iam desperatis, nauseantibus. item confert ad oculorum dolores optimè.*

Alterci seminis, anisi, styracis, singulorum drachmę quatuor, croci, opij, singulorum drachmæ tres, castorei drachmæ duæ. in formulas ex aqua digerito

ægyptiæ fabæ magnitudine. dato ex aquæ cyathis duobus.

*Aliud anodynum ad omnes internas dispositiones.*

Apij seminis drachmæ duæ, anisi tantundem, piperis longi, & nigri, singulorũ drachma vna, castorei oboli quatuor, myrrhæ, opij, singulorũ oboli quatuor, panacis, gentianæ, singulorum oboli quatuor, dulcis radiculæ succi oboli tres. cogito in pastillos trium obolorum. dysentericis drachma vna datur.

*Alia potio ad omnes affectus internos, sanguinis eductionem quacunque ex parte feratur, etiam si ex vulnere. in quibusdam facit & ad nephreticos & hepaticos. hanc non antè exhibeas nisi mercede accepta.*

Cinnamomi, casiæ, singulorum drachmę duæ, myrrhæ drachma vna, piperis albi drachma vna, piperis longi drachma vna, galbani drachma vna, opij drachmæ duæ. læuigato cũ modico melle. partim in formas cogito instar fabę, partim instar cicerculæ. dato prout vires sunt ex aqua, aut vt tibi visum fuerit.

*Alia anodynos Crateri, ad phthisicos, & sputa cruenta.*

Myrrhæ drachmæ sex, mãdragoræ drachmæ quatuor, alterci seminis drachmæ quatuor, opij drachmæ quinq;, croci, thuris, singulorum drachmæ quinque, rheu drachmæ quinq;, cicutæ seminis, styracis, singulorum drachmę quinque. mulso excipito.

*Aliud anodynum Mysterion, vt Niceratos. facit ad phthisicos, tussientes, cœliacos, dysentericos, item ad defluxiones. statim opitulatur.*

Costi, croci, castorei, asari, alterci seminis, opij, styracis, singulorum drachma vna. nonnulli alterci seminis dimidiam partem ponũt; melle excipiens vtitor.

*Alia anodynos, ad destillationem vtilis.*

Alterci seminis, liquoris papaueris, amyli, singulorum drachmæ duæ, anisi drachma vna, spicæ nardi drachma vna, croci drachma vna, minij sinopici oboli tres, aut lemnij drachma vna. fingito pastillos triginta, datóque duos in noctem ex aqua.

*Quæ ab Asclepiade prodita sint ad easdem dispositiones.*

Medicamẽtum quod lingitur, pharos inscriptũ. Vini sextarij dimidiũ, succi marrubij decocti sextarius vnus. hæc in vas vitreum coniecta sinito macerari per noctem & diem, insequenti die emollito medicamentum, quemadmodũ chondrum maceramus, ac vbi omnino dissolutum fuerit, liquorem exprimito, & huius iniectam selibram imponens igni, coquito continue. & vbi coierit vt mellis habeat spissitudinem, datur ex hoc mystrum ante & post cibũ, pari portione. *Aliud.* Marrubij tenerrimorũ foliorum manipulus, aquæ quantum sufficit. Hæc in vas fictile conijciens coquito, & cũ dissoluta fuerint, eximens terito, & decocto soluta rursus incoquito, inspergens farinæ pollinis acetabulum, & pinguis hinni elaborati vncias tres, adijciens: atq; vbi ea quæ coquũtur bene habuerint, vt reliquas sorbitiones remouens ab igne, & salis modico inspérso, exhibeto sorbenda: copiosius sorpta magis prosunt.

*Aliud Nicerati, facit ad purulentos, ad eos qui difficulter spirant, diuturna tussi molestantur, quiq; glutinosum viscosúmq; educunt, & iis quæ à partu purgantur lac reducit. facit etiam bene infantibus alimentum non sentientibus, datum in cibis.*

Marrubij succi sextarij sex. probè autẽ oportet hoc colligere recens, & tu-

sum exprimere. vini falerni sextarius vnus, mellis attici par mensura, piperis albi, myrrhæ, thuris, singulorum drachmæ octo. coquito vinum succumq́; & vbi tertia pars relicta fuerit, adijcito mel: vbi coierint, sicca adijcito, diligenter trita omnia transfundito in vas vitreum, datóq; mystrum ante cibum.

*Aliud, Scribonii Largi.*

Marrubij succi sextarij sex, semperuiui succi tantundē, mellis attici sextarij quatuor, aut vnus, vini italici sextarius vnus, picis liquidæ, brusiæ tantundem, nardi indicæ, croci, myrrhæ, thuris, piperis albi, singulorum drachmæ octo. præparato, & vtitor in modum prædictum.

*Aliud, phthisicis & distillationibus thoracem infestantibus accōmodū.*

Cucumeris domestici excorticati drachmæ octo, amyli drachmæ quatuor, lini seminis, papaueris albi seminis, singulorum drachmæ duæ. cōtusa cribratáque excipito diluto tragacanthæ, fingitóque pastillos drachmam vnam pēdentes, & dato obolos tres, ijs qui febre carent, ex vino, & myrti diluto: febricitantibus, ex succo rhus. *Aliud.* Amyli drachmæ quatuor, cucumeris domestici seminis torrefacti, papaueris albi seminis torrefacti, amygdalarum purgatarū, singulorum drachmæ duæ, tragacanthæ drachma vna oboli tres, croci drachma vna. excipito tragacanthæ diluto, adhæc ex scybelitæ decocto, & vtitor similiter.

*Aliud, Scribonii Largi catapotium ad phthisicos, & eos qui difficulter glutinosa excreant, purulentósq; facit, membranas educit, abunde purgat. oportet autem insistere medicamento.*

Sagapeni, myrrhæ, singulorum drachmę duę, opij, cardamomi, singulorum drachmæ quatuor, castorei tantundem, piperis albi oboli tres. excipito passo, & fac catapotia. dato ex cyathis tribus aquæ calidæ bibere.

*Alia Thespiani purulentis efficax: confert etiam ad latentes abscessus.*

Apij seminis, opij, melanthij, singulorum drachmæ tres, castorei drachmæ duæ, dauci seminis, sinonis, iridis, singulorū drachmæ sex. excipito melle decocto, datóque cum aquæ cyathis tribus, instar nucis auellanæ.

*Aliud Cosi ad ea quæ ægrè sursum educuntur. facit etiam & ad purulentos: maxime autem vtile est iis qui crassa glutinosáque reiiciunt.*

Mellis attici decocti, vt glutinosum fiat, librā vnā, piperis cōtusi cribratíq;, myrrhæ, singulorū vnciā vnā, excipito myrrhā & piper læuigata melle cocto, datóq; in catapotia instar nucis auellanæ. in quibusdam exemplaribus habet, myrrhæ drachmę duę, mellis decocti libra vna, piperis vncia vna, myrrhæ, opopanacis, singulorū drachmæ sex. pręparato, datóq; similiter in modū prædictū.

*Aliud. Pastillus dia mandragoru, id est ex mādragora Sphragis inscriptus. facit ad sputa cruenta, omnémq; defluxionem exiccat.*

Corticis mādragorę radicis drachmæ quatuor, alterci seminis drachmę quatuor, thuris masculi, liquoris papaueris, myrrhæ, croci, singulorum drachmæ quinq;. læuigata in pastillos cogito, qui singuli obolum pendeant, datóq; secundum vniuscuiusq; dispositionem.

*Aliud Ptolemæi Gnorimi.*

Styracis, opij, thuris, croci, singulorū drachmæ quinq;, corticis mandragorę

alterci albi ſeminis, dauci cretici, ſingulorũ drachmæ quatuor, caſiæ drachmę duæ. vino aminæo excipito, datóque obolum ex aquæ calidæ cyathis duobus.

*Aliud ad eaſdem diſpoſitiones.*

Styracis drachmę ſex, myrrhę, opij, alterci ſeminis, eryſimi torrefacti, ſingulorum drachmę quatuor, corticis mãdragorę, opopanacis, ſingulorũ drachmę duæ, piperis albi, nitri ſpumæ, ſingulorum drachma vna. melle cocto excipito, datóq; quod erui magnitudinem æquet.

*Aliud Panchreſton inſcriptum. probè facit ad tuſſes diuturnas, purulentos, & recta ceruice ſpirãtes, phthiſicos. item valet ad præcordiorum diſtenſiones, omnémque inflationem, mulierum menſtrua, & ea quæ relicta ſunt ex corruptione, aut ſecundas à partu educit. medetur etiam veſicæ diſpoſitionibus.*

Reſinæ terebinthinæ drachmæ octo, ſtyracis drachmę ſex, myrrhę drachmę quinq;, croci, iridis, galbani, ſingulorum drachmæ quatuor, alterci ſeminis, corticis mandragoræ, eryſimi torrefacti, opopanacis, ſingulorum drachmæ duæ, piperis, aphronitri, ſingulorum drachma vna. paſſo excipito.

*Charixenis peripneumonia, & diuturna tuſſi laborantibus medicamentum idoneum.*

Myrrhæ, thuris corticis (in alio & opij & mandragoræ habetur) ſagapeni, alterci albi ſeminis, opopanacis, dictamni cretenſis, pilularũ marrubij, ſingulorum drachmæ quatuor. macerata in aqua formato paſtillos, datóq; ex mulſæ cyathis tribus, obolos tres.

*Aliud medicamentum Aſclepiadis cognominati Philoſophici probatũ.*

Corticis mandragoræ, apij ſeminis, ſingulorum drachmę quatuor, myrrhę, croci, aniſi, dauci ſeminis, ſucci rhus rubri, alterci ſeminis, piperis albi, caſtorei, ſagapeni, opopanacis, ſingulorum drachmæ duæ. melle cocto excipito, datóque ſecundum cuiuſq; vires: liquor autem ſit diſpoſitioni cõgruus.

*Antidotum Theſpeſiani, phthiſicis, & iis qui difficulter glutinoſa reiiciunt, purulentiſq; idoneum. facit etiam ad omnes interiores diſpoſitiones: imprimis autem appetitum excitat ad cibum.*

Apij ſeminis drachmæ duodecim, myrrhæ, aniſi, opij, ſingulorum drachmæ ſex, piperis albi drachmę quinq;, petroſelini, nardi, piperis lõgi, ſingulorũ drachmæ quatuor, caſtorei, iũci odorati floris, croci, ſingulorũ drachmæ tres, cinnamomi drachmæ duæ, caſiæ aromaticæ drachmæ quatuor. excipito melle cocto, datóque inſtar nucis auellanę dormituro, ex aquæ cyathis tribus.

*Antidotum Ariſtis ariſtomaci miræ facultatis, hoc Paulinũ appellamus. probè facit ad ſputa cruenta, tuſſientes, phthiſicos, purulentos, peripneumonicos, cõuulſiones, rupturas, ſtomachi ſubuerſiones, valet item ad cholera, cœliacos, dyſentericos, veſicæ diſpoſitiones, vuluæ ſuffocatus, ad febres quæ per circuitum repetunt, hora ante acceſſionem exhibitũ. Confert & malo habitu præditis, qui cibum non ſentiunt, aduerſus lethalia medicamenta, & beſtiarum virus iaculantium ictus.*

Cinnamomi, coſti, galbani, caſtorei, liquoris papaueris, piperis nigri, & longi, ſtyracis, ſingulorum drachma vna, mellis ſextarius vnus. ſicca contunduntur, incernuntúrq; tenuiſſimo cribro: galbanum vero cum melle coquitur, & cum

» dissolutũ fuerit, mel insaccatur, & huic reliqua adijciũtur, contunduntúrq;: deinde reponuntur pyxide vitrea aut argentea. vtitor ad prædictas dispositiones, & dato ex mulsæ cyathis tribus, quod fabæ ægyptiæ magnitudinem habeat, instillatis digito aceti guttis nouem.

*¶ Alia Antonii Musæ, Panacia. Vsus est Diotas Iatraleiptes. facit ad eos qui per circuitum rigore infestantur, diuturnas febres discutit, reliquósq; morbos. cõfert diuturnæ tussi, phthisicis, glutinosa vix excreãtibus, purulẽtis, difficulter spirãtibus: itẽ conuulsionibus, rupturis, diuturnis lienis inflationibus, hydropicis, inueteratis cœliacis. educit renũ calculos, & vrinam probè citat. valet aduersus omnẽ serpentis ictum, & lethalia medicamenta, & quamlibet materiam virulentam.*

» Piperis albi, aut longi drachmæ octo, alterci albi seminis, cardamomi, myrrhę, thuris, singulorũ drachmę duodecim, opij, croci, singulorũ drachmę decẽ, sulphuris viui drachmæ sex, costi, aristolochię lõgę, corticis, aut mali mãdragorę, euphorbij, singulorũ drachmę tres, mellis attici decocti quod satis est. datur ijs qui per circuitũ rigore infestãtur instar nucis auellanę, reliquis secũdũ vires.

*¶ Alia Cerusiani, data à Philippo Trallianis. hac vtens, phthisicos, purulentósque liberauit.*

» Piperis albi, liquoris cyrenaici, syriaci, liquoris papaueris, singulorum vnciæ tres, myrrhæ, croci, sulphuris viui, alterci albi seminis, singulorum semuncia, malorum mandragoræ drachmæ duę, cardamomi vncia vna, mellis attici libra vna. datur prout vires sunt, in modum prædictum. Sic in alio exemplari scriptum reliquit, piperis vnciæ tres, liquoris cyrenaici vncia vna, liquoris papaueris semuncia, liquoris syriaci semuncia, alterci albi seminis, malorũ mandragoræ, singulorum drachmæ duæ, cardamomi vncia vna, mellis attici libra vna. datur prout vires exigunt in modum præscriptum.

*¶ De orthopnœa.*

Qui citra febrem crebrò veluti à citatiore cursu respirant, ab accidenti quod superuenit, nostris suspiriosi, Græcis ἀσθματικοὶ appellantur, ijdémq; ab alio symptomate, orthopnoici dicuntur, quòd perpetuo supra thoracẽ totum corpus rectum habere coguntur, metuentes ne strangulentur. Hinc cubile in superioribus partibus, quibus thorax incũbit, rectius ipsis præparant, ne dormientes suffocatu pereant. Et quod inspiratur ipsis, minus est, quàm vsus respirationis requirat, etsi thorax plurimum distẽdatur. vnde etiam constat, angustiam quandam meatuum præter naturam intus ipsis esse obortã, cuius euidentem quoque ægrotantes ipsi sensum obtinent. Accidit igitur & purulẽtis, quos empyos nominant, meatuum angustia, propter humorem intra thoracẽ & pulmonem congregatum. Iam & peripneumonicis, ex pulmonis inflammatione obuenit. Reliqui vero sunt duo affectus, qui angustiam vijs per quas spiritus inspiratur, efficiũt, quum vel humorum crassorum, viscosorúmq; copia pulmonum cauernulis infarcta est, vel tumor aliquis abscessum referẽs in ipsis consistit. Ac curatio sanè aliquid vtriq; dispositioni commune, aliquid alteri proprium obtinet. Cõmune quidem, vt humiditatis morbos generantis superfluitatem absumat aboleátq;: peculiare vero vt quæ viscosis crassisque humoribus dicata est, attenuãtibus, & abstersorijs medicamẽtis constet: quæ vero

rumoribus abſceſſorijs, extenuantibus & deſiccatorijs: quæ rurſus vniuerſis in alto corporis latentibus abſceſſibus communis eſt. vini igitur potio vtriſq; cõuenit, tenuis ſubſiſtentia. vniuerſus autem potus exiguus competit, quibus abſceſſus oboritur: multus, quibus pulmonum cauernæ viſcoſis, craſſiſque humoribus ſunt infarctę. Etenim medicamenta quæ eiuſmodi ipſorum humores abſtergunt, tuſſes quidem neceſſario mouent: id autem quod abſtergitur, non facile propter craſſitiem expuitur. Maiore itaq; humiditate opus eſt, vt ex facili ſurſum poſſint egeri. Verum ſicut in alijs medicamentis citra diſtinctionẽ ſcribentes plerique medicorum, ita etiam in ijs quæ ad hæc ambo vitia conueniunt, delinquunt. Quinetiam nonnulla medicamentorum conficiuntur, alteri affectuum vtilia, quædam alteri, aliqua ad ambo mediocriter congruunt: nihil autem quod dici queat auxilij adferunt. Indicabo ſingula quæ maiores tradiderunt medicamenta inſignia, qualem facultatem habeãt, auſpicatus ab ijs quæ in ſecundo interiorum Aſclepiades tradidit.

*Quæ Aſclepiades ad ſpirandi difficultatem medicamenta memoriæ prodiderit. Linctus ad ægre ſpirantes, Antonii Muſæ.*

Aſellorũ qui ſub aquarijs vaſis deliteſcunt ſextarius, in vas fictile iniectus ſuper prunas torretur. vbi alborem acceperint, teruntur, & melle cocto excipiũtur: daturq; myſtrum in linctu ante cibum. *Aliud.* Scyllæ crudæ ſuccum exprimito, eiq; mellis attici tantũdem addito. Superpoſita prunis incoquito, datóq; myſtri menſura ante cibum, & poſt.

*Aliud Charixenis.*

Origani drachmę octo, thymi comæ, iridis illyricę, calaminthę ſiccę, piperis albi, aniſi torrefacti, ſingulorum tantundem. Contundito, incernitóq; cribro tenuiſſimo: melle cocto excipito. Datur nucis auellanæ inſtar. *Aliud.* Piperis albi libra, thuris vnciæ quatuor, calaminthæ ſiccæ, aniſi torrefacti, pulegij ſine fructu, ſingulorum vnciæ tres, apij ſeminis, thymi, gũmi, ſingulæ vnciæ. Excipito melle, & preparatis, vt dictum eſt, vtitor.

*Potio ad ſpiritus difficultatem, medicamentum Chariclis probatum. protinus auxiliatur.*

Vuæ paſſæ rhodiæ ſine acinis acetabulum, fœnugręci loti tantundem, aquæ pluuialis ſextarius. Coquuntur quouſque diſſoluantur. liquor percolatus reponitur. Ex hoc dato, calefaciens continue, & ſingulis acceſſionibus, cyathi menſuram. *Aliud.* Abrotani partes duæ, vuæ paſſæ pinguis tãtundem, rutę ſurculorum pars vna, aquę pluuialis ſextarij tres. coquuntur ad tertias. liquor exprimitur, atq; huic adiectis mellis vncijs decẽ, rurſus incoquuntur, danturq; vt prædictum eſt.

*Catapotium, difficulter ſpirantibus, & ſuſpirioſis vtile.*

Abrotani partes duæ, ſurculorum rutæ, abſinthij, gummi, ſingulorum drachmæ quatuor. Contuſa, cribratáque aceto, macerata in orbiculos duodecim cogito, datóque ex oxymelite.

*Aliud Nicerati.*

Caſtorij, ſuffiminis ammoniaci, abrotani, ſingulorum vnciæ duæ, abſinthij, cumini æthiopici, ſingulorum drachma vna. Aceto macerata in catapotia formato, datóque ciceris magnitudine.

*Medicamentum quod ex sulphure viuo cōstat, ad difficulter spirātes.*

Anisi, sulphuris ignē non experti, singuli quadrantes, guttæ ammoniaci, castorij, melanthij, singulorum drachmæ quatuor. vino dissoluta in catapotia cogito, ac dato vnum ex ternis oxymelitis cyathis. *Aliud.* Rutæ syluestris seminis drachmæ quatuor, aristolochiæ, abrotani, absinthij, guttæ ammoniaci, sulphuris viui, singulorum paria pondera. Aceto macerata, in orbiculos ciceris instar cogito, duos ex tribus oxymelitis calidi cyathis propinato. Hæc omnia medicamenta ab Asclepiade prodita, ijs qui propriè à difficultate spirādi, dyspnoici græce appellantur, conueniunt. vocant autē sic, quibus cauernæ pulmonis humoribus crassis & viscosis repletæ sunt, in quibus vt dixi præterq̄ φ humorū crassities lentórque incidetur, extenuabitúrq;, nonnihil etiā humiditatis medicamentis & victui adesse conuenit. Abscessus autem quū extenuantia, siccātiáque requirant, gaudent maxime aromatum facultatibus, quas omnes esse tenuium partium, & siccatorias ostendimus, necnon calefacere. Quare ijs, qui non nisi recta ceruice respirant, & asthmaticis, medicamenta conuenient, quæ citra calorem incidunt, eóque maximè ipsos acetum iuuat scylliticum, ipsáq; scylla, & quod ex huiusmodi aceto præparatur oxymel. Cæterum asellorum meminit, qui sub hydrijs stabulantur, ceu extenuatoria & digerenti facultate præditorum. Ex qua verò notione ad vsum ipsorum peruenerit, non possum explicare. Verum sicut id quod vehementer calefacit, in huiusmodi affectu vitandum est, eo quòd viscosi crassíque humores non solum nihil inde iuuātur, vti etiam offendentur: eodem modo, quæ validè refrigerant, cauere oportet. Incrassant enim omnia, humores contrahunt, & abstersioni contumaces redduunt. Qua de causa rectè fecerunt huiusmodi medicaminum authores, qui neque papaueris liquorem, neque mandragoræ succum, aut radicis corticem, aut alterci semē, aut cicutam, aut psyllium, aut lini semen miscuerint: multo magis neque astringens aliquod medicamē. Nam huiusmodi dispositionibus maximè aduersantur, vti videtis.

*Quæ Andromachus tradiderit medicamenta ad huiusmodi dispositiones, & spirandi difficultatem.*

Sulphuris viui drachma vna, rutæ syluestris seminis drachma vna, aristolochiæ, absynthij, guttæ ammoniacæ, abrotani, singulorum drachmæ quatuor. læuigata ex aceto formato pastillos fabæ magnitudinis. dato mane tres, in noctem totidem.

*Aliud ad spirandi difficultatem, vt Alcimius.*

Cucurbitę syluestris, quę colocynthis dicitur, carnis oboli tres, panacis totidem, anisi obolus vnus. ex aqua excipito, catapotia quatuor efficiens. vbi feceris, dato obolum. pridie autē simplici euacuatione venter inaniatur. *Aliud.* Cucurbitę syluestris sesquidrachma, iridis illyricę, radicis opopanacis, singulorum drachmæ duæ, abrotani drachma vna, nitri drachma vna (alij obolos tres ponunt) aqua excipito, & formato pastillos instar fabæ. dantur quatuor, intercedente dimidia hora, dato mulsæ heminæ dimidium. *Aliud.* Sinapi drachma vna, salis communis oboli tres, elaterij oboli tres (alij sesquiobolum ponunt) læuigatis ex aqua formato pastillos octo, quotidie dato ex hydromelite. *Aliud.* Guttæ ammoniacæ drachma vna, abrotani drachmæ duæ, sulphuris

ignem non experti drachma vna. ex aqua fingito pastillos: exhibeto ex hydromelitis cyathis tribus.

*Aliud, ad eos qui non nisi recta ceruice spirant.*

Elaterij semiobolum, asinos qui ex stercoribus capiũtur tres. læuigato simul, datóque dimidium cum aquæ cyatho vno.

*Aliud vt Philinus. facit ad suspirium & spirandi difficultatem.*

Cardamomi drachmę tres, iridis sesquidrachma, panacis sesquidrachma, casię sesquidrachma, struthij sesquidrachma, styracis drachmæ duæ, thymi drachmæ octo, rutæ syluestris seminis drachmæ octo, abrotani drachmæ octo, aristolochiæ clematidis, sulphuris viui, guttæ ammoniacæ, singulorum drachmæ octo. ex aceto acri in cerati spissitudinem redigito, ac dato ægyptiæ fabæ instar ex aquæ cyathis tribus.

*Ad eos qui non nisi recta ceruice spirant, vt Apollonius.*

Scyllæ pars vna, sulphuris viui, bituminis, vtriusque pars vna. dantur oboli tres ex oxymelite.

*Ad eos qui non nisi recta ceruice spirant Sosicrate authore.*

Opopanacis drachma vna, myrrhæ drachma vna, piperis grana quadraginta, rutæ fasciculus quantus duobus digitis comprehendi potest. læuigans fingito catapotia viginti, & dato mane vnum, item vesperi tantundem, febricitãtibus, ex aquæ cyathis duobus: ijs qui febre carent, ex aqua.

*Ad eos qui non nisi recta ceruice spirant, Andronici.*

Sulphuris viui oboli tres, guttę ammoniacę drachma, anisi, myrrhę, castorei, singulorum drachma, cumini æthiopici drachma. ex aqua pastillos formato, singulos scrupula tria, aut quatuor pendẽtes: in noctem dato ex aquæ cyathis duobus.

*Ad eos qui nõ nisi recta ceruice spirant, tussiẽtes, peripneumonicos, phthisicos, difficulter spirantes, hepaticos, vt Eugenius.*

Croci drachmæ octo, misyos drachmæ quatuor, baccarũ lauri drachmæ duæ, piperis albi & longi, vtriusque drachma vna, opij drachmæ tres, costi oboli tres, resinę terebinthinę oboli quinq;, galbani oboli tres, glycyrrizę succi oboli duo, gummi obolus vnus, mellis selibra. dato cochlearium vnũ ex aquę cyathis duobus, aut tribus. si res vrget, etiam ante cibum & post.

*Ad eos qui non nisi recta ceruice spirant, Valentis.*

Opopanacis drachmæ duæ, cucurbitæ syluestris carnis drachma vna. summa mensura hæc est.

*Aliud Onetri.*

Castotei drachma vna, guttæ ammoniacæ drachmæ duæ, huius dimidium dato ex mulsa.

*Ad eos qui non nisi sub recta ceruice spirant, Podanithi.*

Sinapis drachma vna, salis drachma vna, nitri oboli tres. in octo pastillos cogito. datóq; in noctem duos, & die intercedente etiam sex aqua exceptos dato.

# CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER OCTAnus, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

*De medicamentis stomacho idoneis.*



Vod semper dicere consueui, etiã nunc id persuasum habens, affirmo, nempe difficillimum esse, vt qui sectæ alicui se emãciparint, ad veritatem conuertantur. Qui vero prudentes simul & veritatis omnino studiosi sunt, hos spero obseruaturos ea quæ à natura nobis data sunt, instrumenta, quibus vitę actiones iudicamus, experientiam & rationem. In nonnullis vero vtrunq; ad artem æque confert: in quibusdam alterum plus altero prodest. semper autem alterum ad sui absolutionem alterius poscit opem. Etenim falsæ opiniones, animos hominum occupantes, nõ modo surdos, sed etiam cæcos efficiunt, qui non vident ea, quæ alijs euidenter apparent: quod maximè in oris ventriculi affectibus accidit, præsertim vbi inflammatione infestatur. etenim & hęc, & iecoris inflãmatio, astringentium mistura indigent. si enim laxatoria medendi ratione, cui roboratoria facultas non sit addita, curentur, vitæ ipsius periculum inducunt, idque cum omnes sanè empirici medici ab experientia sint edocti, omnésque dogmatici in artis operibus obseruent, haud pauci huius temporis methodici, non enim omnes, infinitis ipsi stomachicis deliquij autores extiterunt: vniuersos autem iecorarios interimũt. siquidem nullum ego noui seruatum, qui in huiusmodi medicum inciderit. Nonnulli ipsorum, pauci tamen, oleo, cui absynthij comam incoxerint, superfundunt, & lanam nardino vnguento madidam illigant. Quidam verò & masstichen chiam miscẽt, aut aloẽn, aut malorum cotoneorũ oleum in vicẽ nardini assumunt. At in opulentis mulieribus, etiam id quod ab ipsis vocatur, foliatum, & spicatum adhibent, atque hæc facientes putant se laxatoriam curandi rationem obseruare: tantum vires medicamentorum sunt experti. Ego autem optarem omnes hoc pacto indoctos potius esse, quàm vt cognoscentes astringentia, vsum ipsorũ vitarent. Quæ igitur fomentis & cataplasmatis astringentia miscentur, in ijs quæ iecore, aut ore ventriculi dolitant, quod sanè & stomachum vocant, non huius est loci persequi. Quæ verò ex medicamentis emplasticis, hoc est infarciendi facultate præditis & cerati speciẽ referẽtibus, si extrinsecus imponãtur, item quæ inter ea quæ deuorãtur, sunt vtilia, hæc indicabo: ac primũ inflãmationem experientium remedia, quoniã ægroti ob ea maximè periclitantur.

Ceratum itaq; quo cõtinuè vtor cõstat aloë, masstiche, cera põtica amara & nardino vnguẽto. componitur autẽ hyeme sic vt in drachmas octo ceræ, nardini vnguenti vncia romana mẽsura inijciatur: æstate autẽ in septem, secundũ vnguẽti proportionẽ. Porrò optimũ esse vnguẽtũ cõuenit, quale antea sanè in Laodicea Asię ciuitate sola pręparabatur, nũc autẽ etiam in multis alijs Asianis ciuitatibus cõficitur. Quòd si ceræ ponticæ amaræ facultas nõ sit, certè aliam

ponticam indito:ſi illa quoq; deſideretur, tyrrhenicam: ſin autem ne hæc quidem adſit, aliam quandam odoram pinguémq;. Si neq; huius copia datur, eam quæ tibi obtigerit elotam indito: liqueſcat autem in vaſe duplici, deinde refrigeratum ceratum radens miſceto iJs, quæ exacte læuigaueris, aloæ & maſtichæ. ſit autem vtriuſque drachma vna: nõnunq̃ etiam amplius, non tamẽ vt vnam & dimidiam excedant. quòd ſi maiore aſtrictione opus eſt, imbecillitate tanta exiſtente, vt ne cibum quidem continere poſſit, admiſceatur etiam omphacij tantundem, vt tres ſingulorum drachmæ exiſtant: vna aloës, altera maſtiches, & tertia omphacij. Miſceatur autem dum ceratum conficis, primũ ſanè omphacium, deinde ſic reliqua iJs aduniãtur. cæterum miſceo ſicuti omphacium, ita & abſynthij ſuccum, interim vtraque, & tertium præterea hypociſtidem, & quartum œnanthen. ſic nomino ſylueſtrium vitium germen cũ floribus æditum: ex quibus domeſticis vua prouenit. quinetiam rhus ſuccum non raro miſcui: augeri autem oportet nardini & ceræ pondus, pro reliquorũ medicaminum portione: vt ſi quatuor ex aliJs drachmæ colligantur, quatuor ſint nardini cerati vnciæ, duæ quidem ceræ, duæ item nardi: hoc eſt ſedecim vtriuſque drachmæ. Quòd ſi inflammatio in vetuſtatem incidit, & iam indureſcit, varia magis applicari debent medicamina, quæ habeant nonnihil ex aromatis emollientibus, digerentibúſque medicaminibus: quale eſt etiã quod ex meliloto præparatur. Porrò cõpoſitio ipſius multo magis euatiat, eo quòd omnibus præcordiorum inflammationibus congruit, ſi haud magnis differẽtiJs immutetur, vt quædam ipſius confectio iecoris diſpoſitionibus ſit vtilior: quædã verò ſtomachi, aut ventriculi, aut lienis affectibus, aut quædã indidem muſculis, quæ omnia communi ſcriptura in malagmatum compoſitionibus comprehenſa ſunt. At in præſentia à maioribus meis prodita ad vniuerſas ſtomachi diſpoſitiones, quæ non extrinſecus ſolum impoſita, ſed etiam epota iuuant, omnia perſequemur: quædã verò ipſorũ ſunt communia & vẽtris affectibus. Cęterũ ſubinde à me dictum eſt, medicos ſolere ventris os, quẽadmodũ cor, ita etiã ſtomachum appellare. Verũ olim quidem cordis nomẽ in vſu erat frequentius: nũc autẽ ab illo ſanè adhuc perſeuerat verbũ cardioſſin, quod eſt corde dolere, & cardialgia. Particulã ipſam, ſtomachum nũcupant per homonymiã, id eſt ſimilẽ vocẽ ei quæ alimẽtũ ex ore in ipſum defert. Itaq; tradiderunt maiores noſtri medicamẽta ad eiuſdẽ diſpoſitiones, ſicut alias, ita & ſubuerſiones ab iJs appellatas. Conſuerũt autẽ ſic nominare cibi faſtidia, & diſpoſitiones nauſeabundas, ob quæ interim vomitus accidunt. iam & roſiones in eo nõnullæ oriũtur, quemadmodũ diſpoſitiones, quæ magnã famẽ quæ bulimos gręce dicitur, & faſtidiũ ex repletione inducũt. In his omnibus cõmunis ſanè aliquis aſtringentiũ medicaminũ vſus inuẽtus eſt, verũ admixta ſunt plurimis ipſorũ calefacientia, ſiccãtiáq;. ſiunt & aliæ diſpoſitiones rarius, quæ humectãtia aut refrigerãtia vel vtraq; ſimul medicamina requirũt. Empiricis autẽ dum citra rationalem methodum auxilia inueniãt, merito ea quæ ſæpe iuuarunt, in memoria tenent, & in vſum ducũt. Nam eorum quæ ſæpius eodem modo viſa ſunt, obſeruationẽ & memoriam eſſe ſuam experientiam affirmant. quemadmodum autem in ventriculi ore, ita & in toto ipſo ſinguliſque inteſtinis, & vt ſummatim dicã, in omni corporis particula eędem oborientes intemperatu-

ræ, ſimilarium actiones offendunt, quas niſi quis morbos ipſarum eſſe perſuaſum habeat, nunquam in dignotione ipſarum exercebitur. hac autem ignorata, neque curationem inueniet. Verum habet non exiguam coniecturam dignotiones diſpoſitionum in alto corporis conſiſtentium. Quare etiam vtiliſſima eſt artis medicæ particula, quæ huiuſmodi affectiones dignoſcit, quas neque quòd primæ & maximę ſunt, vulgus medicorũ cognouit: quapropter merito neque dignotionem ipſarum, neque curationem diſquiſierunt. Coguntur igitur, quanuis ſint dogmatici, logicis methodis ad ſolam venire experiẽtiam. vnde mirari ſubit, cum quòd aliquis citra febrem, inflammationem, abſceſſum, & exulcerationem imbecilliter concoquit, aut prorſus non concoquit, curationem inuenire polliciti, quærunt an attritu ciborum concoctio fiat: deinde ceu maximum hoc inuenerint, cibos ipſos attritu faciles exhibent, neque id quod promptiſſimum etiam medicinæ imperitis eſt, conſiderãtes. Alius autem prudentium ſcilicet virorum, dicebat mihi, ſcire cõcoctionem attritu fieri, id ad curandam ventris diſpoſitionem conducere qua cibos nequit concoquere: cum ciborum attritu facilium aſſumptio, non ſit curatio, verum offenſæ ſolum declinatio, ſicut & paucum eſſe cibum, & nullum. quemadmodum enim qui à cibo abſtinuit, non fruſtratur quidem concoctione, ſed diſpoſitio non curata eſt: ita neque qui aſſumpſerit cibum attritu neutiquam indigentem, cuiuſmodi lac eſt, ptiſanæ cremor, & ex chondro ſorbitiones. Hæc igitur in medicatoriæ methodi libris abunde comprehenſa ſunt, conſtátque in illis exercitatis diſciplinam modo propoſitam vtilem exiſtere. Quemadmodũ verò in alijs, vt prius dixi, ſingula in memoriam reuocans quæ ſummatim illic mihi antea ſunt oſtenſa, ad medicamentorũ compoſitionẽ deſcendi: ita etiam nũc facturus ſum. Quum octo vniuſcuiuſq; particulæ ſint intemperies, & hæ vniuerſæ generentur, aut ex nudis & ſolis qualitatibus, aut etiam cum humore aliquo. ex ſiccitate quidem intemperiem humectare oportet, ex humiditate vero ſiccare: ſic autem ex calore ortam, refrigerare: ex frigiditate, calefacere conuenit. Similiter & compoſitas intemperies, aut calefacere & ſiccare, aut humectare & calefacere, aut humectare & refrigerare, aut ſiccare & refrigerare. Quia vero dixi plurimas intemperies hominibus ex humorum ſuperfluitate magis quàm indigentia oboriri, ſiccantia medicamina pleroſque magis iuuant. at quia ſiccantium alia aſtringunt contrahendo aſtringendóq; eorum quibus adhibentur, ſubſtantiam: alia vero digerendo ſiccant, atque in hoc ſubſtantiam ipſorum diſſoluendo: idcirco plures ſunt qui aſtringentia requirant. verum ſi cum frigiditate humida intemperies fuerit excitata, offenduntur, ſi ſolis aſtringentibus curentur quæ frgida facultate prædita ſunt. Merito igitur plurima medicamenta vſu experientiáque comperta, ex mixta conſtant materie, aſtringente, & calefaciente. deprehendes autem differentiam ipſorum, ſi ſimplicium medicaminum vires in memoria teneas. dictum enim ſubinde iam à me eſt, nullum cum ratione & methodo, ijs quæ in hoc opere tradita ſunt vti poſſe, niſi meminerit quæ in duobus ante hoc operibus, & de ſimplicium medicamẽtorũ facultate, & in methodo medendi docuimus, nõnulli ſiquidem citra aliquã diſtinctionẽ ad huiuſmodi ſtomachi ventríſq; diſpoſitiones medicamẽta cõſcripſerunt: quidã vero diſtinctiones quaſdã attige-

runt, à symptomatis, quæ omnibus apparent. Quomodo igitur vos quoq; singulorum vsu probatorum medicaminum vires possitis cognoscere, etiam si nō ascriptas affectionum quibus conueniunt differentias inueniatis, apponā, primū sanè ab Andromacho prodita, deinde quæ Asclepiades tradidit, post has, si videbitur, etiam alias nonnullas adijciam.

¶ *Quas Andromachus tradiderit facultates stomachicas.*

Cum Andromachus inscripsisset, stomachicæ, deinde sic incepit. Ad stomachicos, Hiera qua vtor: deinde totam ipsius compositionē ordine tradidit, quæ in hunc modum habet. Iunci odorį floris, xylobalsami, mastiches, croci, nardi indicæ, asari, cinnamomi, singulorum drachmæ sex, aloës elotæ drachmę centum. simul læuigata reponito, datóq; ieiuno cochlearia duo. alij vnum cū aquę frigidæ * cyathis quatuor exhibent. Hæc igitur Andromachus tradidit, neq; quos vocet stomachicos indicans, neq; an omnibus ipsis medicamentum conueniat, neque an pluribus. mihi igitur necessarium est explicare, quandoquidem ex ijs, qui stomachici dicuntur, nonnulli sanè ab Hiera nuper dicta admodum iuuantur, nonnulli verò offenduntur. Etenim pleriq; homines, tum eos qui cibum fastidiunt ita nominant, tum eos quibus post assumptū cibum ventriculi os grauatur, & quandam molestam ex repletione nauseam, quæ a se dicitur, experiuntur. Vocant autē similiter illos quibus nausea oboritur, magisque quando ad vomitum stomachus incitatur, ac magis adhuc cum ciborum corruptione, dum interim acidi fiunt, interim nidorosum exhalant, aliquando etiam aliquam qualitatem prauam acquirunt, atque inter omnes illos potius stomachicos nominant, quibus ructus tales obueniunt cum eo quòd malū difficulter ferunt, fastidio ex repletione & subuersione, sæpe cibo nondū assumpto. Itē si diutissime in ventriculi ore cibi permaneant, illud grauantes, & vix descendentes, hos quoque stomachicos nuncupant. alios autem, qui appetitu canino dicto infestantur, vt plurimum edant, & grauatos eo maximè, paulo posterius vomant, similiter nominant. alios qui vehementer dissoluuntur cum diutius à cibo abstinuerint, & nisi citius cibos assumpserint, ore ventriculi rosionem sentiunt, pari modo vocant stomachicos. ex his ipsis nonnulli nauseabundi facilè fiunt, nisi potum, cibúmq; celerius assumpserint. Itaque qui ex rationali methodo auxilia inuenit, is ad affectionis inquisitionem peruenit, qua inuenta, sperat propriorum ipsi remediorum copiam sibi adfuturam. qui autem ex sola experientia auxilia congregat, periptosin, hoc est ex casu rationem expectat, & priorum historiam colligit. At cum ipsi plurima indistincte tradiderint, necnon in multis dissentiant, merito & ipse diuersam induit sententiam, magísque cum ab ijsdem auxilijs interim sanè iuuari stomachicos, interim verò offendi conspicit: quemadmodum in proposita Hiera, quam huius temporis medici Romæ ferè omnes picram, hoc est amaram nominant, quoniam Hierę nomen, de ea quæ ex colocynthide, hoc est cucurbita syluestri cōstat, pronūciādum cēsuerūt. Qui verò ante nos Romę medicinā exercuerūt, duas nominātes Hieras, apposuerūt ipsis distinctionis gratia: alteri sanè diacolocynthidos, alteri dia aloës, in hūc modū scribētes. Hiera diacolocynthidos. Hiera dia aloës. Itaq; Hiera dia aloës bifariā paratur à nonnullis, sicut & Andromachi Hiera, ad centū aloës drachmas, aliorū singulorū drachmæ sex: à

* Vet⁹ adijcit, aut calidæ.

nõnullis non ſex, ſed octo miſcentur: quidã vero in aloës octoginta drachmas, ſex aliorũ miſcent: pleriq; igitur medicamentis, quæ aloë miſcentur, numero ſex, etiam iunci odori florem apponunt. Præterea aloën ipſam Andromachus lotam: aliorum nonnulli ſic, nonnulli illotam iniiciunt. nos autem ſcire nunc conuenit aluo ſubducendæ magis eſſe idoneam aloën illotam, deponere autẽ multũ virtutis medicamentoſæ lotam, quam aliquis potius dare audebit febri laborantibus, neq; hac vehementi, ſed admodum remiſſa. nõnulli vero etiam ex illota factam, multis ita febricitantibus exhibuerunt: deinde cũ nullam euidentem noxam intuliſſent, in aliis maximam offenſam experti ſunt. quippe aloë maxime aduerſa eſt etiam ſi lauetur, iis qui citra prauos humores calida & ſicca intemperie moleſtãtur. proximi his ſunt & qui ſicca intemperie cũ frigiditate affliguntur: in totũ qui ex ſolis qualitatibus, particulam aliquã habẽt vitiatam. Nam in humoribus intemperies, medicamẽtis indigent illos vacuãtibus: quæ ſine his exiſtunt, in marcorem omnino perueniunt, ob medicamẽtum ex aloë. Vbi igitur humiditas praua ventris tunicas irrigat, picra ex aloë vtilis eſt, humiditatem expurgãs. omnino autem ſic affectis, adeſt ſymptoma, quo nauſeant minus aut magis. Hæc igitur noxii humoris euacuatio, ex ſola aloë præſtatur, vt quę vim habeat purgatoriam, nõ valentem, ſed vt ventris regionem iis quæ attingit, poſſit purgare: & ſi copioſior quandoq; fuerit exhibita, vſq; ad iecoris loca peruenit, non tamen totum corpus aloë purgat. At ex his quę ipſi miſcentur, maſtiche ſanè, ceu apta ſtomacho gratiq; odoris, & cõſtringendæ vi aloës medicamẽtoſæ efficax, additur. Cinnamomũ etiam præter hæc quòd tenuiſſimarum ſit partiũ, vt ventris meatus ſimul adaperiat, abſtergat, extenuétque, ſi quid viſcoſum craſſúmve humoribus inhæreſcat. Etenim craſſos hos ob expurgantis facultatis imbecillitatem, aloë non ſolet attrahere, quare etiam bilioſarum in ventre diſpoſitionum præſtãtiſſimum eſt remediũ, vt vno die frequenter multos curauerit, qui ſtomachi vitio moleſtari crediti ſunt. iuuat & hoc & alios omnes affectus ex prauis ſuccis contractos cinnamomum admixtum, vt quod vim habeat, quà prauas qualitates in naturalem ſtatum reducit. Sciendũ itaq; venit diſpoſitiones ex prauis humoribus ortas, tum in ventre, tum in ſtomacho, iuuari ſanè medicamentis ex aloë: in maximã autem noxam incidere, ex aſtringentibus cibis, potu, medicamentis: ſicut rurſus, in quibus humiditas multa & veluti flacciditas quædã eſt in parte affecta, citra humorum malignitatem, ipſa ſola quantitate offendens, & ceu irriguum ventris corpus afficiens, vtiliſſimus aſtringentium ciborum, potus, & medicamentorum vſus eſt, ſoluta, remiſſáque tunc parte affecta, articulis relaxatis ſimiliter: in quibus etiam ipſis aſtringentium vſus diſpoſitionem corrigit. Verum picra, de hac enim nobis ſermo eſt, quemadmodum cinnamomum, ita & alia partim ſtomacho apta, partim vt tenuia & abſterſoria, aſſumit, robore quidem longè cinnamomo inferiora, genus autem idem facultatis habentia.

*Secundam poſt commemoratam compoſitionem his verbis tradidit, vt Lampo Peluſiotes.*

» Cinnamomi, calami aromatici, caſiæ nigræ, xylobalſami, iunci odori floris, » elatæ, ſingulorum vnciæ tres (alii ſingulas vncias) contuſa omnia craſſius, in » ollam recentem conicito, aquæ pluuialis ſextariis tribus additis, coquitóque

ad dimidias,& percolato. his adiuncta aloës indicæ libra,aquæ pluuialis quod satis est superfundito,& læuigato sub caniculæ æstu, donec siccescat. vbi hoc primum aloën edulcoraris, adieceríſque aquam ex aromaticis,in sole læuigato,vſq; dum ſiccescant. Tritis his in læuorem,admiſceto,croci,myrrhæ,maſtiches,ſingulorum vncias tres,ſecundum alios,vnciam vnam.omnia pariter læuigata reponito ſicca, & vtitor potione,ad conuulſa,rupta,interiorum ictus, incipientes laterum dolores:item in iis qui flatibus torquentur,ſtomacho dolent,tarde concoquunt,ſanguinem educunt,& coxendicum dolore vexantur. ad ſummum,datur ex aquæ cyatho vno,obolus,ſecũdum quoſdam autẽ,oboli duo:in reliquis,prout vires exigũt. in vulneribus,inflammationibus percolata oxymelitis ſpiſſitudine impoſitum: in oculorum inflammationibus,ſucco menthæ,aut calaminthæ,aut ſolano,aut aliquo ſimilium:in digiti inflãmationibus, ex roſaceo aut vino aminæo. Vtitor autẽ in reduuiis ſicco ſuper linamentum cũ roſaceo applicato:item ad ſanguinis eruptiones ſiccum ex aceto prodeſt,& ad cruſtam oris ex eo cũ paſſo gargarizatur. Hoc medicamentũ quod Peluſiotę Lamponis eſſe pronuntiat,ex iis eſt,quę variũ vſum præſtãt,de quibus aliquid dictum eſt antea quoque,ceu inferiora ſint iis quæ vnum aliquod efficiunt. maxime ob multitudinem eorum, quæ promittunt celebrantur, dum nos vnum potius in viginti affectibus idoneum, quàm tot numero alia, in ſingulis affectibus pręſtãtiora, vno quod multa pollicetur,habere velimus. Facultas autem ipſius qua etiam in prædictis fungitur, tenuium partium eſt, calefacit,incidit,diſiicit,& aperit,eóque digerit ſanies humoréſq; in particulis quibuſdã redũdantes, hoc nomine & propoſitis in oratione affectibus cõuenit,prauas vt dixi,ſanies,& particularũ affectarũ humores diſcutiens. Quare & ſuperius commemoratas ventriculi diſpoſitiones,in quibus picra purgationem moderatam molitur,curare poterit,ſiccando paulatim, non vacuando vniuerſim.præſtat igitur ad huiuſmodi affectiones prior ſcripta picra.

*Tertium Andromachus tradidit medicamentum hiſce verbis. Ad ſtomachicos,& cœliacos,paſtillus amarus,mollit ventrem,facit ad ſomnũ, ex commentariis Aphrodæ,valet etiam veſicæ,& coli vitiis.*

Apii ſeminis drachmæ ſex,aniſi tantundem,piperis albi ſeſquidrachma,caſtorei drachmæ duæ,myrrhæ,nardi gallicæ floris,opii, cinnamomi,ſingulorũ drachma vna ſemis, abſynthii comæ drachmæ tres,aloës oboli tres,maſtiches drachma vna. ex aqua paſtillos fingito triobolares,aut drachmã ſingulos pẽdentes,dato cũ tribus aquæ cyathis.Neq; in hoc medicamento Andromachus aſſcripſit,quales dicat ſtomachicos,quo vitio affectos. Quòd autẽ cõpoſitioni adiectum ſit,opii, author paſtilli deprehẽditur,palam propoſuiſſe medicamẽtum ſiccans ſimul & anodynon cõficere, quódque ſomnũ induceret,nõ tamẽ ad vnã prædictarũ diſpoſitionũ,cũ ſciret valide ipſum excindere & celeriter.

*Quartum aliud medicamentum Andromachus prodidit ad omnẽ diſpoſitionẽ efficaciter compoſitũ,neq; ad multas mediocriter.habet autẽ in iſtũ modum. Ad ſtomachicos Hiera Antipatri.*

Aloës bonæ drachmæ quatuor,maſtichæ drachmæ duæ,aſari drachmę quatuor,roſarum ſiccarum,iunci odori,meu,pheu,caſiæ ſimiliter,ſingulorum ſemuncia.ſicco leui vtitor,vt in aloë.

¶ *Quintum poſt hæc medicamentum, quod ex plantaginis ſucco paratur, dixitq; ipſum Apollonii eſſe, hæc recipit.*

Plantaginis ſucci aridi drachmæ tres, maſtichæ drachmæ duæ, myrrhæ drachma vna, menthæ drachma vna, gingiberis drachma vna. Videtur mihi hãc facultatẽ Apollonius expertus, cũ ſtomachus à calidiore diſpoſitione cõflictatur, atq; ita ipſam indiſtincte cõmendare, cũ non poſſit in iis quæ frigidã diſpoſitionẽ experiuntur, conuenire, quippe refrigeratorius eſt plantaginis ſuccus.

¶ Subſequens videtur mihi componi ex eodem, quẽ tamen in prioris vſu author reprehendit, ceu refrigerans reddiderit medicamentum: deinde propter hoc caſtorei momentum adiecit, & nonnihil aloës, vt quæ purgare poteſt: item maſtichen, vt ſtomacho idoneã: crocum & myrrham ad concoquendum efficacia, eóque neq; hoc medicamentum, neq; quod præcedit in ſtomachica diſpoſitione adhibuero, vt quæ nullam recte curare queant, præter abunde calidam. hoc pacto conſcripſit. Plantaginis ſucci aridi drachmæ decem, aloës indicæ drachma vna, maſtichæ tantundem, croci oboli duo, opij oboli tres, caſtorei tantundẽ, myrrhę drachma vna. in ciceris magnitudinẽ paſtillos cogito.

¶ Similiter neq; quod ſubſequitur citra diſtinctionem recte quis in alia diſpoſitione aſſumpſerit, quæ modicam ſiccitatem & aſtrictionem requirit, ob humores paucos ſanè, verum qualitate prauos. Conſtat enim ex electro & maſtiche, quod in hunc modum tradidit. Electri, maſtichæ chię. Electrum copioſius indit. dato cochleare vnum læuigatum aqua.

¶ Quod poſt commemorata medicamenta ſuccedit, in eum modum ſcriptũ inuenitur.

¶ *Stomachice Galli, diſpoſitioni quæ calefieri incidíq; poſtulat vtilis eſt, ex fœniculo, aceto, & melle compoſita, quam ad verbum ita Andromachus tradidit. Stomachice Galli.*

Fœniculi radicis corticis ſelibra, aceti acris ſeſquiſextarius, aloës vnciæ tres, mellis attici libra vna. Radices lotas aceto ad tres dies macerato, deinde aloën inſpergito, ac dato cochlearia tria ex aqua. Alcetius autem ſophiſta ſcripturę adiecit, rutæ, & apij ſeminibus grauium, ſingulorum manipulum, iubens cũ radicibus macerari & coqui ex aceti ſextario dimidio, mellis libris duabus, atque hanc commendat.

¶ Secundum prius comprehenſas Andromachus ita ſcripſit ad verbum.

¶ *Stomachice Nicoſtrati.*

Puri electri, chiæ maſtichæ, iridis illyricæ, ſingulorũ vnciæ quatuor, roſarum floris vnciæ duæ. dato ſicci læuis cochlearia duo, ex aqua lactaria. ſtatim enim dolorẽ aufert. Vaſe corneo reponatur.

¶ Hoc quoq; medicamentũ palam cõſtat magis aſtringere, eóq; poſcit affectũ humidiorẽ, ex humoribus, neq; multis, neq; admodum mordacibus. in quibus puto authorẽ medicamenti expertũ eſſe, aut vtetem eo continuè ęgrotũ à dolore liberaſſe, ac generatim hoc de medicamento pronũtiaſſe, quòd ſtatim ægrotum dolore liberet, cum non poſſit in multis hoc facere.

¶ *Poſtremũ medicamentũ Andromachus hoc pacto prodidit. Ad ſtomachicos.*

Fœniculi radicis corticis drachmæ duæ, vini cyathi tres. coquuntur ad dimidias, ac dato totũ. hoc calefacit, poſcítq; diſpoſitionẽ, quæ calefieri deſiderat.

*Quæ Asclepiades in primo interiorum stomachica medicamenta tradiderit.*

Incœpit itaque ea in hunc modũ. Ad stomachi subuersiones. Quas autem nominet subuersiones, non indicauit manifestè. potest etenim & fastidia dicere, item nauseabundas dispositiones post cibum oborientes. interim enim vnũ hoc solum symptoma accidit post cibum: si paulo vehementius moueãtur, statim euomunt. vocant etiam nõnulli huiusmodi stomachicos: & resupinari stomachum ipsis pronuntiant. comitatur hoc accidens interim solam oris ventriculi imbecillitatem, cum non potest cibos, similiter toto ventris spatio cõprehendere: interim, cum eo quòd prauam quandam humiditatem exiguam contineat: sicut etiam praua admodum, citra cibum nauseam solet excitare. Verũ quæ vocatur vulgo stomachi resupinatio, fit etiam ex intemperie quacunque citra humorũ malitiam: quin & ex humiditate copiosa quidẽ, non tamen maligna qualitate: nam stomachus copiosa irriguus humiditate, laxatur, neruis similiter colligantibus. Hæc itaq; dispositio curatu inter omnes prope facillima est, medicamenta requirens, quæ humiditatem siccare, corpus laxatum cõtrahere, ac stringere possunt. Vbi igitur humiditas crassa viscosáq; per altum exporrecta est, conducit vsus medicamẽti, quod extenuet, &, vt ita dicam, erodat, quale est acetum & oxymel. Cum autẽ neq; huiusmodi humiditas est, neq; per altum affligit, sola astringentia curare possunt. itaque propositum in oratione medicamẽtum, non moderatis resupinationibus, sed etiam validioribus medetur. ipsis autem moderatis, si astringentia sola quis miscuerit, aut etiam ex calefacientibus aliquod, frigidam dispositionem sentiẽs. Abunde indicatur frigidior dispositio, si præter ægrotantis sensum, nulla sitis vrgeat. Cum enim neq; siticulosus fuerit, neq; æstum sentit in ventriculi ostio, constat non calidã esse dispositionem. idonea igitur sunt ad eiusmodi ventris affectus, comprehensa quatuor medicamenta, ac ego nunc ea describam, secundum ipsius Asclepiadis verba, & ordinem.

*Ad stomachi subuersiones.*

Mali punici acidi nucleorum contusorũ succi sextarij tres, menthæ succi sextarius vnus, mellis attici tãtundem. coniecta in vas fictile coquito, mouens continue, & vbi spissitudinem acceperint, sublata ab igne reponito. Cum vsus postulat, dato ante cibum mystrum vnum, aut etiam duo.

*Aliud. facit dysentericis, etiam cibum vomentibus.*

Mali cotonei radicis libram vnam, vini myrtitis sextarij tres. coquito ad tertias, deinde expresso liquore adijcitur mellis attici sesquilibra, & rursus incoquito, continuo agitans, excipiénsque dato in modum prædictum.

*Compositio ex fructibus dia oporon: facit ad stomachum subuersum, cœliacos, & dysentericos.*

Mala cotonea numero decem, sorba numero quinquaginta, mespila totidem, rhus rubri sextarius, aquæ congij septem. fructus contusi, coniectíq; in aquam, coquẽtur curiose, ac vbi dissoluti fuerint, liquor exprimetur, rursúsq; incoquetur, abiecto ex fructibus cortice: & cũ tertia liquoris pars relicta fuerit, adijciẽtur mellis attici libræ quatuor, coquentúrque in prunis, ac mouebũtur continue: vbi spissitudinem acceperint sublata reponẽtur. Vsus indicatus est. *Aliud.* Sorborum maturorum sextarius vnus, myrtorum nigrorum, rhus

ſyriaci, prunorum ſylueſtrium, meſpilorum, ſingulorum ſextarius vnus, palmularum thebaicarum libræ duæ, mala cotonea decem, mala punica integra cum nucleis decem, muſti aminæi ſextarij quadragintaocto. præparato in modum prædictum humorem expreſſum diligenter incoquito, vt in ſpiſſitudinem coëant, & vtitor quemadmodum comprehenſum eſt. Similiter commemoratis facultatibus quintam hoc pacto ſcripſit Aſclepiades.

*Catapotia ad ſtomachi ſubuerſiones bona, & probata admodum.*

Roſarũ floris drachmę octo, myrti nigrę fructus ſine nucleis acetabulũ, alterci ſeminis acetabuli dimidiũ. terito ſimul ſtudioſe, paulatim adijciẽs paſſi quãtũ ſufficit: deinde his palmularũ patetarũ decẽ carnẽ admiſcens: & vbi ſimul læuigaueris, in catapotia ciceris inſtar cogito, datóq; terna q̃ternáq; ex mulſæ vete ris tẽperatę cyathis duobus. Atq; hoc medicamentũ in iiſdem diſpoſitionibus vtile eſt, in quibus etiã hoc præcedentia quatuor. voluit autẽ ipſius author, ꝙ alterci ſemen admiſcuerit, dolori arcendo id magis idoneum, & ſomno conciliãdo efficere, necnon ſiccare. Quis enim ignorat alterci ſemen refrigeratoriam quandam vim obtinere, ſicut & papaueris, eóque ad calidas diſpoſitiones cõuenit. Simile prædicto medicamẽtum deinceps hiſce verbis cõſcripſit. Roſarum recẽtium fibris exemptis drachmę octo, papaueris albi ſeminis drachmæ quatuor, alterci ſeminis drachmæ duæ, aloës oboli tres, aſari oboli tres. aqua diſſoluta in orbiculos cogito, ac dato inſtar ciceris. Septimum poſt commemorata medicamentum Aſclepiades tradidit, adijciens ipſi diſtinctionem à ſymptomate apparente: dicit enim æſtuantibus conuenire ipſum, eóque adipſon, hoc eſt ſitim arcens nominat, compoſitionem ipſius hanc tradit.

*Aeſtuantibus catapotium ſitim arcens.*

Cucumeris domeſtici ſeminis drachmæ octo, portulacę ſeminis tantundem, tragacanthi drachmę quatuor. tragacãthum ouorum recẽtium albore diſſoluito, vbi diſſolutum fuerit, tritum diligenter, reliquis adijcito, miſcẽnſq; catapotia fingito, & ſiccato in vmbra, ac dato vnum ſub lingua tenẽdũ, & humorẽ qui diſſoluitur, deuoret. Quod hoc ſequitur, refrigerat ſimul & corroborat ſtomachum flaccidum, humida & calida diſpoſitione laborantem. Scribit de eo ad verbum ita Aſclepiades.

*Aliud. valet ad ſtomachi ſubuerſionem, præſertim vtile iis, qui æſtu & feruore torquentur.*

Roſarum viridium foliorum drachmæ ſex, glycyrrizæ drachmæ quatuor, nardi indicæ drachmæ quatuor. vino dulci aut paſſo excipito, & facito catapotia, ac dato vnum ſub lingua tenendum: aut diſſoluens aqua frigida, ciceris magnitudine dato potui. Nonum poſt ſuperiora medicamentum hiſce verbis tradidit.

*Ad ſingultum, ſtomachi imbecillitatem, & cum cibum reiicit.*

Reiectio igitur, hoc eſt vomitus, ex genere reſupinationum exiſtit. Quum enim valide ventris os affectum eſt, hoc accidit, quemadmodum dixi: & in prauis humoribus quos venter propter imbecillitatem abijcere impulſus, nauſeæ ſymptoma experitur, idque cum cibus aſſumitur, & ob imbecillitatem extremam poſt cibum hoc patitur. Quæ igitur ob humorum prauitatem fiunt reſupinationes, picra celerrime perſanat, prauos humores expurgans. At quum

vomitus ex stomachi grauati imbecillitate accidunt, remediũ ex intemperieĩ correctione petitur. haud raro autem accidit vt nõ solum stomachus, sed etiam venter ex imbecillitate, dum ciborum põdus ferre nequit, ipsos eijciat, interim per inferiorem partem, vbi stomachus illa robustior fuerit: interim per superiorẽ ob stomachi imbecillitatem: quo tempore hic inualidior fuerit inferioribus. Hoc igitur accidens quod in vomitu euenit, vnum sanè est: verũ subinde comitatur dispositiones diuersam curationẽ exigentes. Pariter, & singultus nõnunquam sanè stomacho obuenit, ex frigiditate, aut repletione: nõnunquam verò, ob humorum acrium, & qualitatum medicatarum rosionem. Nõ igitur est inuenire medicamentum omnibus prædictis dispositionibus idoneũ. Porrò quæ deinceps ordine tradidit Asclepiades duo præter alia medicamenta, ostendit substantiam habere ab humana natura multum diuersam: quæ maxime inter omnes corporis particulas stomachus non tolerat, propter sensus abundantiam. Molestatur itaque vehementer etiam cum stomaticum medicamentũ in ipsum defluxerit, quod chalcanthũ, aut huiusmodi aliquod obtinet. Etenim quod fructibus constat, ex esculẽta factum est materia: chalcanthum verò, hominis naturæ maxime aduersatur, quemadmodum & mandragora. Vitari itaque debent duo hæc medicamenta, quæ ex chrysobalano, & mãdragorę radicis corticis succo, composita sunt. Apponam tamen ipsorum quoque compositionem. Prioris in hunc modũ conscripta est. „Chrysobalani libra vna, „mastichæ chiæ selibra, mandragoræ radicis corticis vnciæ tres. contusa cribra„táque menthæ succo excipito, ac in catapotia cogito, datóque obolos tres, cũ „tribus aquæ cyathis. Secundi medicamenti compositio hæc est. Mastichæ chiæ „libra vna, mandragoræ radicis corticis vnciæ duæ. cõtusa cribratáque reponito: vbi vsus exigit, dato cochlearia aquæ frigidæ cyatho inspergens. Post cõme„moratas facultates, Asclepiades ita scripsit, Ad iliosas stomachi subuersiones. Putauerit aliquis iliosas ipsum nominare, validas: sicut enim in ileo, cum vehementi conatu oriuntur, vt etiam stercus euomant: ita & alios vomitus qui valentes sunt, poterit aliquis iliosos appellare. sequuntur hi maxime particulas affectas, dum à sanie medicata molestantur: si autem imbecilliores fuerint, malum duplicatur. Huc ergo medendi consilium dirigatur, simul quidem, vt affectis particulis qualitates odoras accommodemus, qualia sunt aromata, & nonnullorum seminum esculẽtorum, quale est anisum, apium, daucum, cuminum, & seseli. Idcirco & Hippocrates in pleuriticis, purgans cum dat medicamentum, horum aliquod misceri iussit, hunc in modum scribens. Quod si do„lor infra septum trãsuersum fuerit, ad claiculam autem non pertineat, venter „emolliri debet nigro veratro, aut peplio: nigro quidẽ daucum, aut seseli, aut „cuminum, aut anisum, aut aliud quoddam odorum miscẽdo. Videtur enim in his bono ipsorum odore maxime ad misturã indigere, quò medicamẽtosum, quod est humanæ naturę contrarium, mitigetur, obtundatúrque. Quemadmodum enim fœtida omnia stomachum subuertere solent: ita odora corroborare: sin autem præter hoc etiam esui esse possunt, multifariam iuuabũt stomachum, ex saniei malitia subuersum. hac nimirum ratione anisum apiũmq; superioris medicamenti author miscuit: item absynthium, eo quòd detergit exterítque, & subducit, qui in stomacho hęrescunt, prauos humores: particulã

verò contrahere ſolet,& aſtringere, robúrq; ei adijcere. Cinnamomum,tanq̃ omnibus fœtidis,putridíſque ſaniebus aduerſum,vtraque ipſius facultate,alteratrice & digeſtoria, quippe quòd non exiguum ex odoris gratia præſidium prauis omnibus diſpoſitionibus afferat. opium vero modicũ medicaméto miſcuit,ſenſum ſtomachi hebetare cupiens,qua ratione etiam cœliacis ipſum exhibemus,ſiue torpidum quendam ſomnum inducere velimus. Porrò author medicamenti,cum vehementem ex opio refrigetationem vellet corrigere,miſcuit ei caſtoreum facultati ipſius contrarium;eadem etiam ratione piper additũ eſt. At de myrrha id ſcire operæpretium eſt,quatenus facultas ipſius humores præter naturam & prauos concoquit,eatenus congruè admixta eſt:quatenus autem medicamentoſa eſt,non congruè. Verum paucitas ipſius ad concoctionem nonnihil conducit:qualitatis verò abſurditas non indicatur,vt quę ab odoriferis ſuperetur. Ego itaque propoſitum medicamentum etiam citra myrrham præparare conſueui, omnium medicamentorũ vſus ad ſecurius conans deducere,ac præſertim acutè febricitanti tale quiddam datur. Itaq; medicamentum hoc,cinnamomum, ſemina calida,vrinam cientia,piper,& præterea caſtoreum opiúmq; recipiẽs,multis affectibus vtile merito redditur, interim cũ vino ſtomacho conuenienti exhibitum,quale eſt,paſſum:interim ex myrtorũ decocto,vt in dyſentericis:aut ex oxymelite,vt in lienoſis. In cholera autem ex frigida, quemadmodum Aſclepiades conſcripſit. Verum diſtinctionem adiungẽs,num ſiticuloſior ſit,quàm antea,an faſtidij calidi ſenſus in ventriculi oſtio moleſtet,an aquæ potator fuerit,cum valeret. Ego ſanè hoc medicamentum ad ſecuriorem rationem ducens, myrrham omiſi, auxíque piperis quantitatem. At cum id plurimum cinnamomi recipiat, neceſſarium nobis eſt,vt vbi cinnamomo caremus,caſiã optimam inijciamus:vel duplò copioſiorem cinnamomo, vel certè non pauciorem. Porrò temperaturã medicaminum quæ miſcentur,ab Aſclepiade tradita,in hunc modum habet.

*Ad Ilioſas ſtomachi ſubuerſiones,paſtillus amazonum. benefacit inflationi ſtomachi,ardori,& cibum vomentibus. valet etiam ad interiorum diſpoſitiones.*

Apij ſeminis,aniſi,ſingulorum drachmæ tres,abſynthij drachmę quatuor, piperis drachmæ duæ,myrrhæ tantundem,cinnamomi drachmæ ſex,opij drachmæ duæ,caſtorei totidem. fingito ex aqua paſtillos,datóque ad ſummum drachmam vnã ſtomachicis,cũ paſſi diluti cyathis tribus:cholericis,cibúmque vomentibus,ex frigida:cœliacis & dyſentericis,ex myrtorum decocto: lienoſis autẽ cũ oxymelitis calidi cyathis tribus. Aliud medicamentũ deinde Aſclepiades recenſuit,non ſolum ad Ilioſas ſtomachi diſpoſitiones conuenire promittens,ſed etiam ad intenſos ſingultus,& eos qui ex æſtu, quod eſt multo calore,ſtomachicos ſe ſentiunt. Dictum à me eſt ſubinde fieri non poſſe, vt medicamentum ad multas diſpoſitiones optimum inueniatur,quippe vnicuique ipſarum aliud proprium melius reperitur. verum ijs qui volent vnum habere medicamentum ad multos affectus idoneum,& horũ compoſitio & præparatio vtilis eſt. Comprehenditur tamen etiam dubitatio quæpiam in huiuſmodi medicamentorũ titulis,qualem Aſclepiades præpoſito nunc indidit. Putabũt enim forſan nonnulli eorum qui ignorant, ſingula tria accidentia illud polliceri curare , & cum duo congrediuntur , & omnia ſimul , quemadmodum

cum turbatur vehementer nauſeans ægrotus,& ſingultit,caliditatémq; multam,faſtidioſámq; in ſtomacho percipit. Et primum de huiuſmodi diſpoſitione agam,in qua tres ſimul affectus hominem infeſtant,ardoris ſenſus,ſingultus,& illioſa diſpoſitio. Hippocrates igitur conuulſionem fieri dixit à repletione & inanitione,adiectúmq; eſt Aphoriſmo in omnibus ferè exemplaribus,ſic & ſingultus. Ego in conuulſione tertiam cauſam præter euacuationem & repletionem, nullam appoſitam offendi. ſingultum video etiam citra hæc oboriri,nonnunquam acribus humoribus aut ſanie medicamentoſa ſtomachum erodente,quas ſi euomuerint,ſtatim ſingultus ceſſabit. Iam multi medicamẽto ex triplici pipere epoto,ſi ſtatim vinum ſuperbiberint,omnino ſingultiũt, quorum vnus ſum & ego ipſe. Præterea etiam cibo in mordacem qualitatem corrupto,nonnulli ſingultiunt,ac quòd per vomitum ſtatim deſinunt,omnibus cognitum eſt. Non deſunt,qui rigorem in ore ventriculi experti,ſingultiant:maxime autẽ pueris accidit,vt cõtinue ſingultiant,tum ex cibi in ventriculo corruptione, tũ partis perfrictione. Quòd ſi etiam eximia inanitione obortus fuerit ſingultus *, quemadmodũ & conuulſio, dignum inſpectione eſt. Verum ſi in præſentia hoc conſiderare omittentes, eos qui ex perfrictione,aut ciborum copia grauantur,aut acrimonia mordente inſpiciamus,vomitum ſanè inueniemus abunde his mederi,qui ex copia aliqua,aut roſione ſingultiant:caliditatem verò iis qui ex perfrictione. Alio autem modo ſenſus ſtuporem ex refrigerantibus,alterationem mordentium,& digeſtionem ab extenuantibus ſiccantibúſque fieri. Compoſitum ex huiuſmodi eſt medicamentum. Opium etenim & roſæ & pſyllij ſuccus,ex refrigerantium genere exiſtunt:nardi autem ſpica, chryſobalanus, ex digerentium roborantiúmq;:aſarum verò ex his quæ prauos humores ad vrinas deducunt: aloë,ex eorum numero,quæ vitioſos humores expurgant euacuántque per inferiora. Crocus cõcoquit & particulas corroborat, temperato ſuo calore cõcoctionem moliens: robur autem,aſtrictione præſenti: coſtus cenſetur ex iis quæ validè calefaciũt, moderate autem aſtringunt,vt ipſe ſi guſtetur indicat. Ex his compoſitũ medicamentum,idoneum ſanè eſt ſingultientibus. Confert etiam qui vomitu cõturbantur, ob humores in ſuprà ſcripto medicamẽto comprehenſos,verũ nõ ſimiliter illi aliud quoddam odorum obtinet,neque cinnamomum. At refrigerantium in eo miſtura ſtupefaciendi ſenſus efficax,eo quòd moleſtiam,quę ex rodenti & ſanie & humore excitatur,leniat,verè idoneum ad nauſeabundam diſpoſitionem imminuendam medicamentum efficitur. quoniam verò & æſtuantibus ſtomacho conuenire dixit medicamentum,renititur autẽ huic coſtus, operæpretium eſt nonnihil etiam de hoc diſputare. Quemadmodum in colicis antidotis,quæ quòd dolorem auferant anodyna à quibuſdam dicũtur,quale eſt etiam Philonis,huc compoſitio medicamenti ſpectat,vt dolentium ſenſum frigiditate enecet. ne autem id magna offenſa eueniat,frigiditáſq; corpora dolentia altius penetret,calefacientia admixta ſunt,quæ refrigerantium ſtuporem poſſunt deducere, tanquam illa ipſa per ſe tardè permeent. Hæc igitur vbi aliquis audiuerit anteà,conſideret quantitatẽ ſimplicium medicamentorũ quæ in compoſitionibus miſcentur. ex hac enim ſciet ampliùs ne quippiam,quàm quæ promittit compoſitum medicamentum poſſit effi-

* Vetus addit, maxime partulis.

cere, an minus. si enim refrigerantia plura appareant, sensum affectorum magis obtundent, quantum verò caliditatis in particula fuerit, etiam hanc extinguit. Quòd si calida aucta sunt, minus quidem hæc præstabit medicamentũ, verum innoxium magis euadit. quippe sciendum est corporibus viuentium simile quid mortificationi ab omnibus quæ ex opio, alterco, & mandragora fiunt medicamentis, accidere, dum causæ quæ dolorificæ sunt, redduntur insensiles, ac multi, qui continuo huiusmodi vsurpant particulas, in frigiditatē immedicabilem deduxerunt. Quemadmodum autē in refrigerātium calefacientiúmq; oppositione, quantitas vtrorunq; præpollentem medicaminis functionem ostendit: eadem ratione etiam in alijs considerare licet, nempe dēsantibus & rarefacientibus, aut contrahentibus & diffundentibus, aut odoris & fœtidis, aut humectantibus & siccantibus, digerentibus & continentibus. Vbi itaq; subiecerim his mixtorum quantitatē, ad proxima diuertar. scribit autē ipsam Asclepiades hunc in modum.

*Ad stomachicos æstuantes, ardore intensos singultus, & iliosas stomachi dispositiones.*

Costi, spicę nardi, chrysobalani, rosarum viridium, mastichę, singulorũ drachmæ quatuor, aloēs drachmæ duæ, asari tantundem, opij drachma vna. excipito psyllij succo, fingitóque pastillos, ac dato trium obolorũ pondere. liquor esto dispositioni cōgruus. Post cōmemorata, antidotum paulo antè scriptum, hieram ex aloë, & cinnamomo confectam, inter Andromachi medicamenta etiam ipse non secundum eandem temperaturam tradidit. Sonant verba ipsius in hunc modum.

*Antidotum hiera Themisonis ad stomachi subuersiones. valet & æstuantibus, & ad omnem inflationem, tardam concoctionem, & vteri affectus. Est etiam ad vrinam probe efficax: summatim facultas admirabilis, hydropicis, iecorariis & nephriticis. Quin & mulieribus menses educit.*

Aloēs drachmæ centum, mastiches vncia vna, croci tantundem, nardi indicæ, cinnamomi, carpobalsami, asari, singulorum vncia vna. contundito incernitóque cribro tenuissimo, seruatóque siccum, & vt perspirare possit. vsus est ad tardam concoctionem, & ijs qui ita valent drachma vna, cum quatuor aquæ frigidæ cyathis datur: ijs autē qui bilem vomunt, aut alio modo fluxione laborant, drachmæ dimidium: illis qui inflammatione quadam interiore afficiuntur, conuenit ex hydromelite potatum. In quibus autem vrinā, aut menses educere statuimus, medicamentum ex vino propinamus: esto tale quod inspergi possit. Hæc sanè Asclepiades de proposito medicamento disseruit. inspiciamus autē primũ in medicamentorũ, quibus illud cōstat, quantitate, quatenus consentit, dissentítque: deinde ordine de ipsius titulo & vsu. In mixtura sanè medicamentorũ inter se cōcordarunt, & Andromachus & Asclepiades, quòd aloēs drachmas centũ inijciunt: discordarunt autē, quòd Asclepiades simpliciter aloēs scripserit, Andromachus verò elotæ addiderit: item quòd Asclepiades aliorum vnciā miscuerit, hoc est pondo drachmas argēteas octo, aut septem semissem, sex autem Andromachus: præterea quòd Asclepiades balsami fructum, Andromachus xylobalsamum inijcit: ad hæc quòd neutiquam

Aſclepiades florem iunci odori miſcet. In titulo autem medicamenti operum Andromachus nihil aliud ſcripſit, quàm vt quibuſdā daretur cochleariū vnū, quibuſdā duo, cū aquę frigidæ cyathis quatuor, aut calidæ. At Aſclepiades plura de vſu propoſiti antidoti tradidit. Etenim ad difficiles ſanorum concoctiones dari iubet, cum aquæ frigidæ cyathis quatuor. puto autem ipſum dicere drachmam argenteam: etenim ſic fere omnes recentiores medici nominare ſolent. aliud verò intelligere nos nihil rei natura cogit. Conſtat autē drachmam nunc in eiuſmodi vniuerſos dicere quod Romani denarium appellant. verum in tardè coquentibus non vniuerſis medicamentum dare conueniet, ſed in illis ſolum, in quibus ob humores prauos accidit: magis autē cum tenues fuerint & biliosi. porrò molietur quandam quietem etiam iis, qui humida citra ſuccos intemperie conflictantur, quæ adeo affectam particulam eroſit, vt diſſoluatur laxetúrque: cōſimiliter neruis colligantibus in articulis relaxatis. At in iis qui bilem in ventriculo continent, præſertim in quibus inter ipſas tunicas altè cōprehenditur, præſtantius medicamentum nō inuenias. Verum haud noui quo modo paucum ipſius Aſclepiades exhibeat, cum mediocris menſura ad drachmæ dimidium adæquetur. Porrò ad eos qui inflāmatione quadam cōflictantur, nō abſolute dandum eſt quouis inflāmationis tempore, verum vbi concocta fuerit & declinauerit. Cōcoctis enim medicandum rectè ſenſit Hippocrates nō crudis, neq; per initia, niſi turgeât, hoc eſt niſi ad excretionem motus impellatur, & nōdum vllam habeat ad vnam partem inclinationem firmam, ſtationémq;. Rectè autem medicamentum hoc tarde coquentibus vomentibúſq; bilē, aut alio modo fluxionis ſtomachi tētatis, inſpergendū aquæ cyathis quatuor exhibet, veritus ſubuerſionē, quæ ex melle ſtomacho oboritur. At cū declinant inflāmationes internæ, cū hydromelite opportunè hoc exhibebis: quēadmodū & cum vrinā mouere inſtituis, aut menſes euacuare. Aſclepiades quidem ex vino ait. ſatius autē mea ſentētia faciet aliquis, ſi ex mulſo medicamentum exhibeat: ſic enim ſimul & in digeſtione ex ventriculo, & delatione ad vrinas etiam ea quæ vteris inhærent diſſoluunt, incidunt, & robur particulis adhibent, per quas iter moliuntur. Præterea calorem locorū augebunt per quę feruntur, qui confert & ipſe nō mediocriter ad humores inhærētes diffundendos euacuandóſq;. Poſt commemoratam hieram Themiſonis antidotum, Aſclepiades in hunc modum ſcripſit.

*Alia ex Mantiæ medicinis, Attalice. confert ſtomachicis, & iis qui cibū reiiciunt: item cholericis, cœliacis, dyſentericis. compoſitio autem in hunc modum habet.*

» Croci drachmæ duæ, nardi tātundem, alterci ſeminis drachma vna, aloēs, » balauſtij, tragacanthæ, piperis albi, acaciæ, rheu pontici, rhus ſyriaci opſonio» rum, ſingulorum vncia vna. roſarum decoctarum ſucco in vino auſtero excipiens in paſtillos cogito, qui ſinguli drachmam pēdeât: chalcantho autem pri» us ſucco madefacto, vnito. Hoc medicamētum prædicto haud videtur aſſimile: quippe illud purgat, hoc aſtringit, iis qui ex multa humiditate ſtomachum habēt reſolutum laxúmque, aut etiam totum ventrem, congruum: quemadmodum etiam in articulis relaxationes fieri ſolent, ligamentis ipſorum humiditate imbutis, quæ pleriſque medicis neruos colligātes nominare cōſuetudo

est. multę enim huiusmodi dispositiones, tum in vētre, tum in stomacho oboriuntur ijs qui multo potu vtūtur, & copiose fructus humētes, aut in totum cibos talis temperamēti assumpserunt. Cum itaq; multi eiusmodi victus ratione vsi sint, merito etiam commemoratæ dispositionis medicamenta plerunque probantur astrictione excellēti prædita: vbi verò vel prauos humores euacuare oportet, vel affectam particulam calefacere, nō solum nihil iuuat ita astringentium medicaminum vsus, sed etiam offendit. Nam post cōmemoratū medicamentum duorum aliorum Asclepiades meminit, quę & ipsa egregia sunt. cōstāt autem ex multis vtraq;, eóque in multos vsus adhibētur, magísq; Secūdum. Quòd autem huiusmodi sit, quale illud esse prædicat, si simplicia in eo medicamenta in memoriam repetamus, quale sit vnumquodq;, audiuerimúsq; de ipsa componendi methodo, poterimus de hac quoq; ferre iudicium.

*Aster stomachicus. Bene facit quibus cibus acescit, qui intestinorum torsionibus cruciantur, distillationibus, capitis doloribus, sanguinem spuentibus, phthisicis. Confert & ad vesicæ vterique dispositiones. Compositio in hunc modum habet.*

Mandragoræ succi, myrrhæ, balaustij, castorei, croci, singulorum drachmæ quatuor, opij drachmę sex, anisi drachmæ octo, apij seminis, styracis, singulorū drachmæ octo, hyssopi cretici drachmæ duodecim, alterci albi seminis tantundem. componito in modum prædictum, fingitóque pastillos, & exhibeto prout vires sunt: liquor autem sit dispositioni conueniens.

*Aliud. Aster insuperabilis. medicamentum probatum ad dolorem leniendum, somnum conciliādum, variósq; vsus. Etenim stomachi morbis mirificè medetur, acidos ructus, & difficilem concoctionē discutit, torsiones, singultus, inflationes. confert etiam capitis doloribus potum, & extrinsecus si illinatur fronti aceto subactū. Iam valet & ad aurium dolores perdicii succo pastillus dilutus: item ad dentiū dolorem foramini impositus, læuigatus & galbano exceptus, aut fici liquore. Conducit ad oculorum epiphoras, tonsillarum inflammationes, vino dulci dilutus, vt in oculis quidem lana madens imponatur. Nam in tonsillarum affectibus ex tepido iubeto gargarizare. Item prodest ad omnem sanguinis eruptionem, vino myrteo dilutus: item ad tusses veteres, & recentes, distillationésq;, vino theræo dissolutus, aut passo, aut scybelite. Ad hæc confert phthisicis, purulentis, marrubii decocto solutus. Vtilis est sanguinē excreantibus, dysentericis, cholericis, polygoni succo subactus. Insuper ad omnem serpentis ictum, cum rutæ decocto potus. soluit etiam accessiones quæ per circuitum redeunt, si horis duabus antequam morbus inuadat, cum vini temperati cyathis tribus bibatur. Prætereà mēses muliebres educit, artemisiæ decocto solutus. facit etiam ad vesicæ dispositiones, mulso dilutus. similiter vuluæ strangulationi medetur. sic articulariis, podagricis, gentianæ decocto dilutus. & de his quæ perficit, hactenus. compositio autem in hunc modum habet.*

Myrrhę, styracis, nardi indicæ, casiæ fistulæ, sigilli lemnij, mandragoræ corticis, singulorum drachmæ quatuor (in alio piperis drachmæ quatuor scriptū est) croci, liquoris papaueris, singulorum drachmæ sex, dauci cretici seminis drachmæ octo, anisi tātundem, seselios masaleotici drachmæ octo, apij seminis tantundem. myrrham, styracem, & opium vino odoro dissoluens læuigato, arida verò contundito cribratóque, deindè simul misceto maceratóque, & in pastillos drachmam semis pendentes coguntur, siccantúrq; in vmbra. Vsus

alibi indicatus eſt, paſtillorum pondo drachma vna.

*Quæ Archigenes in primo medicamentorum ſecundum genus ſcripta reliquit, de ſtomachi affectibus.*

Quum multi ſint ſtomachi affectus & diuerſi, iíque fere omnes magna parte ex cruditate oriantur, modis omnibus proſpiciendum eſt. ſi quidem aquarum, aut aeris malitia oſtendatur, quàm maxime licet, via ac ratione hæc immutari oportet: ſin autem inſolitorum ciborum vitium in cauſa fuerit, hos auerſari. at ſi propter copiam, cibos imminuere: ſummatim, ex quocunque fieri ſuſpicati fuerimus, hoc amouere. Quòd ſi omnia commemorata, ordinatè ſe habuerint, ab ipſo autem ſtomacho coctiones impediantur, vnctionibus, exercitijs, ſuperfuſionibus, & id genus alijs ſtomachus roborari debet. Porrò acidum ructantibus ante alium cibum, coriãdri cochlearium eſui dato, ac meracum ſuperbibat: vbi cruditas mediocris, & ſolutu facilis oborta fuerit, longiore tempore in lecto conquieſcendum eſt: ſi negotia non permittant, quantum licet. Omnis conatus, laſſitudo, præterea æſtus, & ira vitari debent. tardius autem quàm conſuetum eſt, in calida lauabunt, & in balnei veſtibulo tepidam aquam bibentes, eructabunt omnes quæ in ſtomacho congregatæ habentur pituitæ. Pauco & potu, & cibo vtendum eſt. Quòd ſi valida ciborum corruptio oboriatur, & roſio ſtomachi, eructéntque illos, præterea nauſeent, tepida epota cogito euomere, vſq; dum totum, id quod corruptum eſt, educatur: deinde capite pinguibus linteolis ad ignem calefactis obducto, aut aliqua huiuſmodi leui ratione, fotúque ſtomachi & præcordiorũ regiones ſolare. Extrema pingui manu demulceto, aut ſuperfuſione, & in lectulo cõquieſcere ſines, ita vt in totum ſequẽti die à cibo abſtineatur, ſi nihil ſeq̃tur abſurdi. ꝙ ſi robuſti ſint, vt prædictũ eſt, poſtq̃ lauarint, curã ſui habeãt: ſin imbecilles, mediocriter die interpoſito recreatos, ſequẽti lauato, iubẽs vt ad tres vſq; dies in cibo potúq; moderatè ſe gerãt. Cruditatis itaq; talis quędã, vt ita dicã, curatio eſt. de his autẽ quę ab ipſa proueniunt, nẽpe profluuio alui, aut cholera, aut eiuſmodi, ſuo loco exponet. Porro in alijs ſtomachi difficilibus moleſtijs, iis ſanè q̃bus ſtomachus ęſtuat, cũ diſſolutione, aut animi deliq̃o, aut quodã faſtidio cibi, ex q̃cunq; tandẽ cauſa, pręter febrẽ, cyathos tres, aut q̃tuor aquę frigidę ſorbẽdos dato, bis, aut ter ꝑ interualla: & ſi q̃dẽ hinc ſolamẽ experiãtur, hoc ipſos recreatos, tãq̃ cibo, etiã alijs reficito. At ſi ꝑſeueret, malũ extremis deligatis ſuꝑfuſiſq;, taliũ diluto cõtinue, ſorbitionẽ dato, nẽpe palmularũ, malorũ cotoneorũ, pirorũ, meſpilorũ, baccarũ iuniperi, capreolorũ vitis, roſarũ, mali punici ſine nucleis ſuccũ, vel nucleos pini viginti, cucumeris ſeminis grana vigintiquinq;, myrtorum viginti, croci obolos duos, roſarum foliorum duos ex aqua potui dato. Aut frigidam aquam ex omphacij ſucco dato, aut roſarum florem cum nardo, & aqua frigida, aut portulacæ ſemine mixto, aut atriplicis ſemine, aut malorum cotoneorum decoctum, aut cucumerum ſemina quinquaginta læuia ex frigida dato, aut oryzam coctam cum butyro eſui dato, aut tragoriganum læue cum aqua inſuccatum, aut fabas ægyptias decem, nardi gallicæ obolos duos. frixa læuigatáque ambo potui dato, adiecto mali punici acidi, & dulcis ſucco, & aqua pari portione. aut ramuſculum menthæ læuigatum potui dato, aut œnanthẽ ſimiliter tritã cum nardo indica potandã exhi-

beto,aut lẽtes coctas leues ex aqua dato,aut palmulas cum rosis,aut marrubij succum cũ melle,& vbi paululũ cõquieuerint,vinũ cum polenta exhibeto,aut cardamomi drachmã vnã,cum oxymelitis cyathis tribus:vbi propinaueris inungito,& cõquiescere finito. At ijs qui saliua abundãt,aridã conyzã mãdendã dato. Cęterum imponi debẽt extrinsecus stomacho vitis folia viridia læuia,aut mala cotonea,aut palmulæ,aut mespila cũ cerato, aut myrti folia tenera, aut rubi,aut lẽtisci,lęuia cũ tenui polẽtę farina,frigida macerata,aut viridis portulaca similiter pręparata,aut caseus tener recẽs cũ polẽta,& apij folijs,aut sereos folia ex aceto,cũ polẽta & apij folijs. Iis qui ardescunt valide, vesicã aq̃ repletã imponito,aut niuẽ inducito,aut cucurbitarũ ramẽta imponito, & summatim omnia quibus in cardiacis vtimur. Dolores stomachi mitigat,pręsertim in quibus tristitia,aut angor subsequtur,lac asininũ,aut muliebre,aut bouillũ in quo calculi marini sint incocti propinatũ,aut nardinũ vnguentũ,aut aliqđ sũptuosum cũ aqua exhibeto,aut iunci odori floris decoctũ,aut etiã rosarũ flore insperso,aut portulacę succũ,nunc per se,nunc cũ nardo, aut oui luteũ frixum molitũmq; cũ polẽta propinato,aut nuces amaras cũ cucumeris semine,& pini nucleo,aut lapathi syluestris seminis obolos tres porrigito. oẽs stomachi dolores & angores finire ꝓnunciãt cochleã lybicã crudã,si tota deuoret. Quòd si ipse stomachus dissoluitur, & nauseat,lactucæ albæ seminis momẽtum cum aquę cyathis q̃tuor potui dato,aut passerũ stercus siccũ inspergẽs polẽtę modo, deinde aquã bibãt,mox vinũ,aut mastichæ chiæ cochleariũ,cũ aq̃ frigida,aut coagulũ ieiuno quotidie dato,& mãdentes id cõtinue saliuã expuãt,aut conyzam aridã mãdant. At si præter flacciditatẽ,cũ humore etiã inflãmatio quædã fuerit,œnãthẽ cũ meliloto,aut rosam aridã,cũ cerato rosaceo,qđ exiguũ resinæ deustæ habeat,imponito:aut acaciæ & aluminis non læuis equalẽ portionẽ cerati duplicata parte exceptã,malagmatis forma imponito. In ijs qui atrã bilem generãt,inflãtũrq; stomacho,induces eidẽ,pręsertim in augmẽto,spõgias aceto acerrimo calido imbutas:post hæc si ꝑseuerauerit,alumen liquidũ cum chalcãtho læui melle exceptũ imponito:aut hęc & aloẽn ęqualẽ,mixta ipsis,cerato myrteo excepta ĩponito:aut hederę folia ĩcocta vino applicato,aut plantaginẽ cũ sale tritã,aut bouis gregarij stercus aridũ coctũ in vino, aut marrubium cũ pane & rosaceo maceratũ,aut bulbos rubẽtes,& alumẽ,æquali portione. Post hæc ꝓpinari ipsis debet antidotus quæ apyretos dicitur, aut hiera, aut alia quædã quã vsu cõprobaueris. Cibi cõgruẽtes stomachicis hi dari debent, beta,lens,tragus,oryza,chõdrus,in quibus decocta sint mala cotonea,aut palmulæ,aut mespila,aut mala punica granis exemptis,aut pira, aut lentisci ramuli teneri, aut myrti, aut rubi admixti. panis autem summe fermentatus, aut fermẽti expers. ex oleribus crudis cichorium,papauer,eryngium,intybũ, aut gingidiũ,seris,lactucę. Ex coctis autẽ recte apponũtur pręsertim brassica, & sisarũ. Ex reliquis decoctiõibus,cochleę,& bulbi. Ex carnibus,vẽter,rostra, pedes,turdi,ꝑdices,sturni,turtures,palũbi,anates,lepores,capoli. Ex piscibus, carides,astaci,colũbęnę,carabi,teuthides,& sepię. Ex his q̃ durã carnẽ habẽt,trigulę. Ex illis autẽ q̃ testaceo ĩdumẽto vestiunt,maxime sanè buccina,purpuræ, pectines,cęsij,smarides,& balani. porro sisarũ post oĩa assumptũ ceu stomacho cõueniens,ad vires reficiendas in plurimis circa stomachum symptomatis cõ-

petit.potus autẽ,vinum quod vnuſquiſq; libẽter aſſumit. At quæ inflationẽ diſtentionẽmq; experiũtur,polij faſciculũ decoquẽs propinato. Aut calaminthę decoctũ ex cæleſti aqua exiguo mellis admixto & piperis drachma dato. Aut ſpongiã aceto q̃ acerrimo madidã,pedibus brachiiſq; imponito,vſq; dum puſtulę excitẽtur,maximè ſi etiã cibos reijciãt. Aut farinam fœnugręci aceto maceratã,aut ſinapi læue cum aceto inducito, vſq; dũ locus rubeſcat. Aut pſylliũ aceto & aqua madidum,& in pila cõtuſum,cochlearum carnium æquali portione adiecta,malagmatis formam efficiens imponito.

*Anodyna,hoc eſt dolorem auferentia ſtomachicis.*

Cuminũ frixum,& apiũ,ſingula exigua,cũ aqua propinato. Aut aloẽs obolos duos,cũ mulſo,aut vino,aut aqua potui dato. Aut abrotãni & thymi,ſingulorum obolos duos,cũ vino potui dato: ligamẽtis autẽ extremorũ validis vtitor. In ipſo ſtomacho cucurbitulis & fotibus diuerſis. quòd ſi admodum vehemẽs fuerit diſtẽtio,etiã ſanguinis miſſio efficax eſt præſidium, & alui ex glãde ſolutio. Poſt cõmemorata, Archigenes de grãdi fame(quã bulimon dicunt)& ſingultu,ſubſcripta tradidit. Extrema fame laborãtes in via vel alio quodã modo,recreabimus acetũ naribus offerẽtes,vel pulegiũ,vel terrã aceto madentẽ, vel poma,vel pira,vel alios fructus ſimiles,vel panẽ cũ vino ſumere cogemus: ex his enim ſingulis ſubito excitãtur. pręterea ſuilla carne aſſa coctáq;,& in totũ omni quod alit, maxime quę nidoroſum odorẽ benè cõditũ copioſũmq; reprę̃ſentãt, his enim odoribus plurimũ tales recreãtur. Itẽ extremæ partes deligari ipſiq; excitari debẽt,maxillas pungẽdo & crines,aut auriculas vellicãdo. reficies autẽ à diſſolutione viriũ,panẽ ex diluta vini potione,aut etiã aliud quæpiam qđ ſubito poteſt recreare exhibẽs,exẽpli gratia oua ſorbilia,bulbos,& cochleas. Et ſi flacciditas ſtomachi ex humore hęc ſingula auerſetur,etiã modica mẽſura,cũ vim magnã obtineãt,ſtatim corroborãt. Singultiẽtibus vero ruta cũ vino ſorbẽda datur, aut nitrũ ex mulſa,aut apiũ,aut caſtoreũ,aut abrotanum, aut ariſtolochia,aut daucũ creticũ,aut cuminũ,aut aniſum,aut gingiber,aut ſcilla cũ aceto & oleo,aut tordilũ,aut dictãnum,aut nepita,aut acorus,aut aſarum,aut nardus gallica,aut pulegium. priuatim ſingula & pariter.

*Medicamentum ex malorum cotoneorum ſucco, noſtrum.*

Magnæ oris vẽtriculi diſpoſitiones medicamẽtis nuper cõmemoratis curantur,moderatę autẽ propemodũ oẽs,pręterq̃ quę ex æſtu vehemẽti oriũtur ſubſcripto medicamine adiuuãtur. Malorũ cotoneorũ ſucci ſextarij duo,mellis attici tãtundẽ,aceti ſextarius vnus & dimidius,qđ ſi abunde fuerit acre,ſextarius vnus ſatis eſt,gingiberis vncię tres,piperis albi vncia vna. arida inſpges,vbi ſuccus malorũ, cũ melle, & aceto igne molli coctus mellis attici ſpiſſitudinẽ habuerit.

*Aliud,medicamentum ex malorum cotoneorum carne.*

Malorum cotoneorum carnis libræ tres,mellis tantundem,aceti albi totidẽ, piperis vnciæ tres,gingiberis tantundem,petroſelini macedonici vncia vna.

*Quæ ventriculi orificio iniiciantur.*

Omnia quæ extrinſecus imponuntur,ſiue contrahant aſtringendo,ſiue indurent,pleriq; medicorum,haud ſcio quomodo,vt Aſclepiades,& Andromachus,malagmata vocant. Nos autem condonantes ipſis quod parum propriè nominent,quæ ad ſtomachi diſpoſitiones ſcripſerunt medicamenta vtilia,non

ſolum illorum experientia, ſed etiam noſtra probata, nunc ſubiungemus, ab ijs exorſi quæ Aſclepiades tradiderit.

*Quæ Aſclepiades tradiderit medicamenta ad ſtomachi affectus in quarto interiorum quibus Marcellas titulum dedit.*

Eueni ad ſtomachi euerſiones, grauéſque dolores. valet etiã ad particulares inflãmationes. Oenãthę drachmæ octo, croci drachmę duæ, roſarũ ſiccarũ drachmę quatuor, meliloti, maſtiches, electri ſcobis, ſingulorũ drachmæ quatuor, palmularũ carnis drachmę tres, vini myrtei quantũ ſatis eſt. arida cõtundito incernitóq; tenui cribro, diſſolutis myrteo vt cerati craſſioris ſpiſſitudinẽ habeant, adijcito carnẽ palmularũ, ac rurſus cõtuſa, excipito cerato qđ ex roſaceo pręparatũ ſit, deinde illita in linteolũ ori vẽtriculi imponito. facit etiã ad oculorũ inflãmationes. œnanthę drachmę ſex, croci, myrrhę, roſarũ floris, meliloti, maſtiches, aloẽs, mãdragoræ corticis, ſingulorũ drachmæ quatuor, palmularũ carnis vncię tres. excipiuntur cerato, quod ex roſaceo præparatum eſt.

*Medicamenta Aſclepiadis cognomento philoſophici ad ſtomachi ſubuerſiones. faciunt cœliacis, & dyſentericis.*

Alterci ſeminis, apij ſeminis, ſingulorũ drachmæ q̃tuor, roſarũ floris, aniſi ſeminis, hypociſtidis ſucci, myrrhæ, ſingulorũ drachmę duæ, croci, opij, vtriuſq; ſeſquidrachma. arida contundito, cribróq; leuiſſimo incernito, hypociſtidem, myrrhã, & papaueris liquorẽ, vino myrteo diſſoluta aridis adijcito, fingitóque paſtillos, & ſiccato in vmbra. cũ vſus exigit, cõtundẽs quantũ ſufficit excipito melle cocto, deinde illita linteolo affectis locis imponito. Quòd ſi valida ſit fluxio, apponito hypociſtidis ſucci aliam drachmam, & roſarum tantundem.

*Alia Galli Marci Aſclepiadii ad prædictos affectus.*

Alterci ſeminis drachmę tres, roſarũ floris drachmæ duæ, aniſi tãtundem, apij ſeminis drachmæ quatuor, opij drachma vna, hypociſtidis ſucci drachmæ duę, myrrhæ troglodytidis drachmę duæ, croci ſeſquidrachma, vini myrtei qđ ſatis eſt, mellis decocti quantũ ſufficit. præparato, & vtitor ad modũ prædictũ. Hæc medicamẽta bibũtur, & valde iuuãt. Vbi verò defluxio cõſtiterit, & dolor ſequatur, adijcere oportet medicamẽti cõfectioni totidẽ drachmas cerati ex roſaceo præparati. Vbi autẽ multa fluxio infeſtat, adijcio medicamẽto hypociſtidis ſucci drachmas tres, & roſarũ floris aliã drachmã. Quòd ſi vigiliæ ſuperueniant, etiam liquoris papaueris aliam drachmam adijcito.

*Aliud Nicerati, cœliacis, dyſentericis vehementer generoſum.*

Oenanthæ drachmæ duæ, roſarũ ſiccarum vncia vna, maſtiches vncia vna, aloẽs vncia vna, gallarũ immaturarũ vncia vna, aluminis rotundi vncia vna, acaciæ vncia vna, ceræ libra vna, picis bruſię vnciæ tres, myrtei olei libra vna. quæ liquari poſſunt aridis ſuperfunduntur.

*Aliud generoſum.*

Oenanthæ, omphacij, gallæ immaturæ, aluminis ſciſſi, acaciæ, florum mali punici, balauſtij, maſtiches, ſingulæ vnciæ, vini myrtei quantum aridis macerandis ſufficit, palmularum carnis vnciæ ſex. Excipito cerato quod ex lentiſcino præparatum ſit. conficito, ac vtitor in modum prædictum. Commemorata igitur medicamenta vim magis aſtringentem obtinent: quæ ſequuntur ab Aſclepiade prodita, mixtam, vt & inflammationes induratas perſanent, id-

circo etiam hepaticis conueniunt. siquidem illi quoque requirunt, vt aliquid astringentium laxantibus sit admixtum, nō tamen similiter stomachicis. nam in horum medicamentis astrictoria qualitas præpollet.

*Malagma, Nili inscriptum. facit ad præcordiorum dolores, discutit omnem duritiem, valet cōtra attritus artuum, confractiones, quum declinant inflammationes impositum, benefacit lienosis & hepaticis.*

Ceræ, guttæ ammoniaci, olei cyprini, singulæ libræ, croci semuncia, aceti quod satis est, ammoniacum vbi dissolueris, arida adijcito.

*Aliud, ex commentariis Arii Asclepiadis.*

Guttæ ammoniaci libræ duæ. læuigatæ diligenter coniectæq; in vas fictile, salis floris libram adijcito, & olei cyprini sesquilibrā. Incoquito, lento igne vtens, mouénsque continue. Vbi emplastri formam acceperint, adijcito ceræ libras duas. postquam liquata fuerint, & manus non inquinent, traiecta in pilam, rursus contundito diligenter, & excipiens vtitor.

*Malagma Nilei croceum medicamentum probatum ad commemoratas dispositiones. benefacit & erysipelati. hoc vsus est Lycinius Atticus.*

Guttæ ammoniaci, ceræ, rosacei, singulæ libræ, croci vncia vna, aceti quod satis est. præparato in modum prædictum.

*Aliud melinum inscriptum aromaticum, iecorariis, stomachicis, præcordiorum distentionibus, omníque neruorum doloris consensui vtile.*

Ammoniaci thymiamatis, ceræ ponticæ, singulorum drachmæ centum, meliloti drachmæ duodecim, croci, myrrhæ, bdellij, singulorum drachmæ octo, olei cyprini libra.

*Aliud. prodest stomachicis, iecorariis, præcordiorum inflāmationibus, omníque neruorum dolori.*

Ceræ drachmę centum, croci drachmę duodecim, guttæ ammoniaci drachmę centum, myrrhę drachmę duodecim, bdellij drachmæ octo, sedimenti hedychroi vnciæ tres, vini dulcis quod satis est, olei cyprini libra. præparato vt ostendi.

*Aliud Neapolitæ aromaticum dictū, probatum ad internos affectus.*

Guttę ammoniaci, ceræ, rosacei, singulorū libræ tres, sedimenti hedychroi, mellis, nardi gallicæ, iunci odori floris, singulorum selibra, vini dulcis quod abunde est. arida macerato.

*Malagmata bona ad inflammationes absque imbecillitate diuturnas: item iecoris similiter inflammationes. Asclepiadis malagma quod diamelilotu, hoc est ex meliloto hieroticum inscribitur, stomachicis, hepaticis, & viscerum doloribus vtile.*

Nardi gallicæ, cyperi, myrrhæ, singulorum drachmæ decem, cardamomi, croci, amomi, singulorum drachmæ octo, meliloti drachmæ quadraginta, cypheos sacrati drachmę sedecim, ammoniaci suffiminis drachmę quadraginta, resinę terebinthinę drachmę octo, cerę mina vna, vini odori italici hemina vna. parato vt prædictum est, atque vtitor.

*Aliud Basilicum dictum faciens ad commemoratos affectus, omnémque neruorum dolorem.*

Ceræ minæ tres, ammoniaci guttæ minæ duæ, resinæ frictę mina vna, meliloti mina semis, propolis, myrrhæ, nardi gallicę, styracis, cypri, iridis illyricę, car-

damomi, panacis, singulorum drachmæ vigenæ quinæ, croci, casiæ, masticħes, opobalsami, amomi, iunci odorati floris, singulorum drachmæ sedecim, vini italici odori quantum satis est. arida maceràs nardini asiatici aromatici libris quatuor more consueto præparato.

*Malagma polyarchium. facit peripneumonicis, stomachicis, splenicis, hydropicis: item ad affectus vesicæ aut vteri, atque omnem neruorum dolorem.*

Ceræ, resinæ terebinthinæ, bdellij, guttæ āmoniaci, cardamomi, cyperi, singulorum mina vna, meliloti, amomi, nardi indicę, croci, myrrhę, thuris, cinnamomi, singulorū drachmæ vigintiquinq;, olei cyprini hemina vna, vini italici quantum satis est. pręparato ex more, & vtitor interdum mero, interdum diluto cerato ex cyprino confecto.

*Polyarchi medicamentum. valet ad dictos affectus, & omnem neruicum consensum. facit item ad continuas cruditates, & in iis quibus cibus corrumpitur, & bilis per vomitum erumpit: ad omnes quoque inueteratos affectus. vsus est Iulius Agrippa. præparatur autem hoc modo.*

Castorij, amomi, piperis albi, & lōgi, singulorū vncia vna & semis, myrrhę, magmatis hedychroi, carpobalsami, croci, foliorū malabathri, casię rosam spirātis, panacis, nardi indicę, opobalsami, singulorū vncię tres, iunci odori floris, cīnamomi, pyrethri, croci, cardamomi, singulorū vnciæ quatuor, cyperi, iridis illyricæ, aristolochiæ longę & rotundæ, singulorū vnciæ sex, ceræ libræ quatuor, resinę terebinthinę librę duę, resinę laryngis vncię tres (in alio & bdellij, ammoniaci suffiminis, singulorū vncię quatuor) nardi asiaticę vnguēti librę tres, vini falerni quātū sufficit. ex more parato. Cęterū ego adijcio mastiches, cinamomi, āmoniaci suffiminis, styracis, aloēs, opobalsami, singulorū vncias ternas.

*Andromachi malagma diamelilotu, hoc est, ex meliloto.*

Nardi gallicæ, cyperi, iris illyricæ, myrrhę, singulorum drachmę octo, croci drachmę quatuor, meliloti drachmę vigintiquinq;, ammoniaci suffiminis, terebinthinę, singulorū drachmæ quinquaginta, cerę drachmę centū, cyperi heminę dimidiū, aceti quod satis est. sunt qui ammoniaci suffiminis drachmas cētum imponant. facit ad interiora omnia.

*Polyarchi malagma ex epistola excerptum, ad omnia interiora.*

Cyperi, cardamomi, mina vna vtriusq;, mānę tantundem, ceræ tantundem, terebinthinę frictę mina vna semis, aut liquidę minę tres, cyprini quod satis est. ego vero & bdellij drachmam vnam adijcio.

*Aliud. secunda descriptio.*

Cyperi, cardamomi, amomi, bdellij, thuris, balsami, singulorū mina vna, cerę mina vna semis, resinę frictę minę q̄tuor, cyprini heminæ dimidiū, vini odori sesquihemina. pręparato in modū pręd ictū, & vtitor vt supioribus. Ego autē sic, cypi, cardamomi, amomi, bdellij, thuris, singulę drachmę, cerę minæ dimidiū, resinę frictę, aut terebinthinę minę q̄tuor, cyprini hemina vna, casię, guttę āmoniaci, nardi indicę, croci, myrrhę, singulorū minæ q̄tuor. Vinū odorū additur.

*De iocinore eiusque affectibus.*

Cum hoc opus postremum omnium conscribam, cuius sanè constare existimo, alterutrum verum esse, videlicet, aut alios omnes quotquot antè conscripsi libros, inutiles atque superfluos existere, si quis ex hoc solo omnes af-

fectus, qui medicamenta requirũt, curare poſſit: aut ſi illi vtiles ſunt, ipſos primum eſſe legendos, memoriáque retinendos, iis qui fructus aliquid ex hoc percepturi ſint. Etenim methodos ipſas curandi iam enumeratos affectus in quatuordecim libris Therapeuticis comprehendi, nunc autem tanquam illas ſcientibus, in memoriam abſque demonſtrationibus illic explicatis reuocabo, indicans plane quomodo nos, & recte componamus medicamenta, & maiorum ſcripta iudicio examinata, in vſum proferre audebimus. Et ſanè Empirici vtilem hanc ſpeculationẽ (etenim ſuam artem rationis aſſerunt expertem) tractarunt: quippe qui omnia legenda cenſent, quæcunque etiam à præclaris ſcripta ſunt medicis: nõ omnia verò in vſum ſtatim producenda, ſed prius iudicandum, num ſingula quæ pollicentur titulo, re ipſa præſtare queant. At nos experientiam haud paruam in quauis arte vim obtinere perſuaſi, theoremata, tum ex logica methodo inuenta, tum ex rationali indicatione, iis quæ Empirici de commixtione prodiderunt adiiciemus: cum oſtenderimus alibi quantum momenti ad ingrediendum vtraque adfert tibia, tantum in arte medica experientiam rationémque præſtare. In opere itaque de ſimplicibus medicamentis, quod vndecim libros complectitur, facultatem ſingulorum ſponte naſcentium medicamentorum, quo pacto quis inueniat, methodo pertractauimus: progreſſíque ad particularem eorum materiam, vtiliſſimam quanque ad artis opera ſpeciatim omnem deſcripſimus. Poſt hoc opus Therapeuticen exarauimus, vbi docemus quo pacto quis optime, nõ modo ſimplicibus, ſed etiam compoſitis vtatur: necnon compoſitionis ipſorum rationes ac vias omnes expoſuimus. In propoſito vero opere varietatem compoſitorum medicamentorum quomodo facta ſit indicauimus, ad præſcriptos limites ſpecialem eorum compoſitionem, vſum, iudiciũmq; inſuper iam ſcriptorum reducẽres. Itaque perrecturi deinceps à prædictis, ad iecoris affectuum diſciplinam, morbos ipſius explicabimus, finitione non nudis diſciplinis perſequentes, atq; à generalibus curãdi ipſos ſcopis quos in opere medẽdi cõprehẽdimus, ad cõpoſitorũ diſciplinã perueniemus. Primum igitur omnium in eo diiudicãdum venit, imbecillitáſne quæpiam ſit viſceris, quemadmodum in ventriculi affectibus diximus, an alius quoque morbus viſcus occuparit, an citra imbecillitatem laboret inflãmatione, aut ſcirrho, aut abſceſſu, aut obſtructione, ſicut etiã eryſipilatio affectu, aut vlcere, aut putredine quapiam. Siquidem & in hoc iecorariam diſpoſitionem, quemadmodum in ore ventriculi laborante plerique tum medicorum, tum priuatorum appellãt ſtomachicum affectum, ob multa ſymptomata nõ ex vno affectu accidẽtem omnibus, ſed vna quadam generali cõmunitate cõprehenſis diſpoſitionibus, adeo autem inter ſe ſpeciatim differentibus, vt nõnullæ earum maxime ſint contrariæ. Quomodo nanq; quis nõ admodũ contrariã dixerit frigidã intemperiẽ, calidęq; humidę vero ſiccam? q̃q genere ſint eadẽ. iam omnia fere quæ eadẽ genere ſunt, ſi cõtraria dixerit aliquis, haud ſanè peccauerit. Etenim notio eſt cõtrariorũ vbi plurimũ ab inuicẽ diſtãt. plurimũ vero diſtãt à mediis in quouis genere, quæ in finibus ſunt, ita vt cõtraria ſæpe quidẽ eadẽ appareãt in finibus cõmunis generis, ſæpe vero vbi cõtraria ipſis generaliora acceſſerint, ab illis cõtineãtur. Eadẽ vero illa prorſus ob hoc ſunt contraria, quòd ſub vno genere ſita, plurimum à ſe inuicem di-

stant: quamobrem quæ ijs subiacent, primum, & supremum genus commune obtinent. Hoc itaq; nobis semel hic obiter dictum perpetua seruetur memoria, ne quis putet sibijpsi repugnare eum qui dicat aliquando vnum aliquē affectum esse eundem duobus hominibus, aliquando non vnum, neque eundem, sed duos contrarios. Intemperiem siquidem vnum aliquem morbum generaliter nomināt, sed qui in contrarias differentias secatur. licet enim quemadmodum hic diximus, sic etiam duos & tres & multos in particularibus differentijs maxime inter sese esse contrarijs. Et hac ratione imbecillitatis iocinoris causam recte dixerim vnum esse affectum, quem intemperiem nominamus, rursus recte dixerim non vnum, sed octo esse affectus, eo quòd totidē sunt intemperierum differentiæ. Et rursus secundum aliam sectionem duæ sunt intemperierum differentiæ, & secundum aliam tres: aliæ quidem in solis qualitatibus, dum particulæ affectæ alterātur: aliæ vero cum humoribus quibusdam, vel in laxis laborantium particulatum spatijs contentis, vel in corporibus ipsis, ab illis irrigatis. In ventriculo itaque, & intestinis vna in vtroq; est cauitas humoris praui capax: in iocinore vero tot sunt numero quot arteriæ & venæ, quæ omnes habent angusta oscula, per quæ sima visceris, cum gibbis committuntur. Accidítque nonnunquam obstructio, & impactio prauorum humorū, quas sequitur mox putredo in frigidis intēperaturis, in calidis autē non adeo celeriter, sed processu temporis tamen & ipsis accidit. Fit autem intemperies in ipsa iocinoris substantia (quam Erasistratus putauit affusionem quandam, quod græci parenchyma vocant, esse, non admodum principalem visceris particulam) tum in venis arterijsque per ipsum dispersis: tum etiā in materijs, quæ in harum continentur spatijs. Porrò cum viscus actionum, quas dum viuit homo, obit, non vnam, sed plures obtineat facultates, totidēmque scilicet numero quot actionum species, accidit sæpe vnam quampiam insigniter lędi, sępius duas, & tres, omnésque simul quatuor. vna nanque est eis actio, trahere ad se alimentum: alia est amplecti retineréque, donec alteratū ipsum sui faciat particulam. Est igitur & hæc facultas ipsius principalissima, tum fere præcipua, concoquere, immutare, alterare, & assimulare sibi alimentum, quam facultatē appellamus alteratricem. Quæ vero ex hac alteratione, recrementa visceri oboriuntur, illa per aliam facultatem quam excretoriam & secretoriam nominamus, expelluntur. Porrò ostensæ sunt hæ facultates omnes singulis particulis per totum vitæ curriculum inesse. omnes siquidem attrahunt, quod sibi est proprium: atque excernunt quod alienum: alterāt quod est attractum, & tantisper dum alterant, continent & stringunt. Cæterum hęc alteratio donec in similitudinem particulę alendæ transeat, vocatur coctio: vbi vero iam apponitur particulę, nutritio. Cum igitur ad trahendum è ventriculo, & intestinis alimentum, imbecillum sit iecur, liquida & in chylum nondum redacta per aluum excernuntur: sin ventriculus vnà cum illis ægrotet, ita vt male concoquat, cruda: qui si bene habeat, cocta quidem, sed liquida tamen, eo quòd nulla, aut exigua ex illo in iecur facta sit distributio. Sin attrahat quidem iecur ad se, ex ventriculo, & intestinis alimentum: in sanguinem vero illud mutare præ imbecillitate nequeat, quemadmodum in ventriculo multiformis fit corruptio humorum crudorum, ita & in iocinore. voco nunc cru-

ditatem ſolam ἀπεψίαν, non ſimul complectens ſermone tardam coctionem, quam Græci βραδυπεψίαν nominant: ſi mauis etiam vbi cibus aſſumptus prorſus manſerit crudus, naturalem alterationem, quæ fit à particula, non ſortitus, & hunc appellare non coctum, haud auerſor appellationem, dummodo rerum mihi ſeruetur diſcrimen. deterior etenim eſt mutatio, quæ per cruditatẽ fit in alienam qualitatem: minus praua eſt, per quam cibus plurimum ſuam ſeruat naturam, nulla ab eo, quod ipſum concoquere cõſueuit, alteratione acceptą. eſt & tertia præter has fruſtratæ coctionis ſpecies, vbi ſemicoctus fit cibus, & ex eodem improſpero exactę cõcoctionis ſucceſſu, hepaticis excernitur per aluum cruentus humor. talis vero eſt conſiſtentia, ac ſi quis ſanguinẽ aquę commiſcuerit: multíque medicorum de illo ſcripſerunt, comparantes eius cõſiſtentiam aquæ in qua carnes victimæ nuper ceſæ, lotæ ſunt. Et ſanè plurimi hepatici affectus ab eiuſmodi excretionibus ordiũtur, nondum magnam iocinore imbecillitatem experto, quod tamen adhuc alimẽtum concoquere, & vel in ſanguinis veluti deliniamentũ mutare nequeat. Aucto vero affectu nihil amplius eiuſmodi excernitur, ſed multiformes alię qualitates atq; conſiſtentię, ſicuti à ventriculo non coquente. Atqui in ventriculo ciborũ i pſorũ corruptiones palam apparẽt: in iecore vero, cibi diſtributi, dum ſanguini, qui ante in viſcere continebatur miſcẽtur. corrũpitur enim & hic tẽpore cũ cibo qui in eo coctus nõ erat. Quũ igitur calida intẽperies viſcus affligit, primũ ſanè humores, deinde & iecoris ipſius caro colliqueſcit, corrũpitur, vacuatúrq; per aluum olida admodum bilis craſſa, & inſigniter tincta, ſicut in peſtilentibus febribus. cum autem eſt frigida, tunc neq; frequens neq; copioſa aluus eſt, verũ longius durat affectus, fluítq; ipſis venter per aliquot dies cumulatius, non tamẽ ſimili graueolentia iis quæ è caliditate contabuerunt, neq; ſimili colore conſiſtẽtiáve: ſed minus olida excernũtur his, ſpeciémq; putrefacti ſanguinis, nõ liquatę carnis habentia. Nonnunq̃ tibi id quod deſcendit, veluti ſanguis ater apparet, exactius vero contemplanti, neq; ſanguis ater eſt, neq; grumus: ſed veluti limus quidam craſſi ſanguinis, proxime ad atram bilem accedens: atq; tum plures, tũ diſcretu difficiles in huiuſmodi affectu apparẽt deiectionum colores. In vtraq; vero intemperie, cum caliditas frigiditáſq; humiditati & ſiccitati miſcetur, aluus eſt humidior in humiditatis intemperie, ſiccior in ſiccitatis. Conſilium vero curationis eſt in huiuſmodi morbis, commune quidem vt contrariũ intemperiei adhibeatur: ſingulis vero peculiare eſt, vt ſingulis contrarium. Itaq; hepaticũ proprie dictum vitium, quemadmodum & cœliacum, & ſtomachicum, accidit abſq; tumore in particulis pręter naturam, quum medici dicant inflãmatione aut abſceſſu aut ſcirrho aut alio eiuſmodi laborare hepar: nõ tamen hepaticũ appellãt hominem ipſum cui quid horum accidit, ſed vbi viſcus nullo manifeſto malo in ipſo apparente, ad actiones proprias inualidum eſt, tum laborantem hepaticum nominant. Primũ igitur videamus quæ ſcripſerint ii qui ante nos de medicamẽtis optime cõmentati ſunt, ab Andromachi ſcriptis initio ſumpto. hic enim vir in libro qui interiorum morborũ curationes cõplectitur, multas conſcripſit hepaticas facultates, quorum omniũ faciam mẽtionem. Et ſanè hic ad verbum ſcribentur eorum medicamenta, primúmque antidota. Primum in hæc verba ſcriptum eſt.

*Andromachi compositiones à cyphi dictæ cyphoëdes, ad iecorarios & omnia thoracis vitia.*

„ Carnis vuę passæ drachmæ vigintiquinq; (alij vero centum) croci drachma „ vna (alij oboli tres) calami, bdellij, vtriusq; drachmæ duę semis, casię drachma „ vna semis, cinamomi oboli tres, spicę nardi drachmę tres, iũci odori drachmę „ duæ semis, myrrhæ drachmę quatuor, terebinthinę drachmę quatuor (alij ve „ ro sedecim) aspalathi ramẽti drachmę duę, mellis drachmę sedecim, vini quod „ sufficit. hæc sanè est antidoti descriptio. vocauit autem hanc cyphoëdem à similitudine, nam odorẽ & gustũ similis est compositioni quæ ab ægyptijs vocatur cyphi: qui & primi composuerunt hoc medicamen, & vtuntur crebro in censum dijs facientes. pleraq; vero quæ in huius incensi scripta sunt compositione, sunt eadem cum his, quæ in hoc medicamine habentur. siquidem & hoc potest incendi ad suffimẽ perinde atque cyphi. Compositũ est autem ex mediocriter astringentibus & siccantibus digerentibúsq;, quæ & sanies malignas corrigere possunt in putredinibus: quorũ pleraq; materię sunt aromaticæ. habet itaq; medicamentum hoc cinnamomũ, cunctas corrigens putridas venenatásq; vires, nõ solum sanierum humorúmque, sed etiam lethalium medicamentorum, quemadmodum & veneni quod in virulentis bestijs existit. Proximè post cinnamomium & casia eandem habet vim, quæ optima est, atque illi cognata: & post hanc aromatum omne genus, quemadmodum & hic, nardus, & iuncus odorus, & calamus, & myrrha, proposito medicamento, dicta nuper ratione & modo iniecta sunt, sicuti & ex his quæ apud nos nascuntur, aspalathus & crocus: quod astrictorium & concoquens medicamentũ existit, putredinésq; corrigit. vua autem passa parui sanè videtur pretij, eo quòd vsu nobis sit familiaris, atq; ob hoc ipsum est vtilior, quòd cum frequens sit in vsu, tantã habet astringendi vim, quanta eget viscus affectum: pręterea coquendi crudos humores, euincẽdíque malignos facultatẽ: ipsa vero ægre corrumpitur, simul & tota substantia est familiaris visceri. Nanque dicimus alimenta cum his quæ nutriuntur, proprietatem quandam secundum totã ipsorum substantiam obtinere, quod sanè maximum est in huiusmodi affectibus curandis, qui ex intẽperie prouenerunt. efficacissima enim in ipsis sunt, vt quæ præter quòd intemperiei medentur, etiam nutriri queant. vnde & vinum accommodatissimum est ijs, qui absq; inflammatione, aut erysipelate, aut abscessu, aut calida intemperie laborant: alit enim & coquit, roborat, putredinibúsque resistit. & si qua sit intemperies ex humiditate & frigiditate, tuto & absq; molestia illam persanat. Eadem & melli adsunt, nisi quòd nõ cogit substantiã corporum quibus admotum est, sed illius loco abstergit, oscula recludit, trãsitus repurgat, vrináſq; prolicit, quæ non sunt contemnenda auxilia. Admixtũ est autem & bdellium ab authore medicamenti, quod copiose mollit coquitq; vt didicimus, tum mediocriter digerit. Similem quodammodo illi vim obtinet resina terebinthina, ad disijciendum extergendúmque angustos transitus, quibus & ipsis indiget viscus quod curandum suscipis, vt ora venarum quæ in viscere sunt, aperta, omníque obstructione libera permaneant. Siquidem didicimus quomodo obstructio putredines efficiat. Nõnulli qui composuerũt huiusmodi facultates, queadmodum & antè in stomachicis ostendebatur, mixto

opio aut alterco aut quopiam alio refrigerantium, ad calidas intemperies vtile confecerunt medicamentum. Et ob hoc Philonis quoque compositio mirificè vel semel exhibita, hepaticam intemperiem curauit, quod & ipsius author testatus est. Verum medicamentorum hepaticorum quæ Andromachus tradidit nullum tale est. Et sanè nullum vehementer refrigeratorium esse cõuenit, sed qualia tum nõnullis alijs, tum Asclepiadi descripta sunt. Nunc ergo, quæ deinceps scripsit Andromachus, hepatica antidota percensebo, illud tamē nobis memoria interim tenendum, nullum illorum calidis congruere intemperiebus, sed aut humidis, aut frigidis, aut ex vtroq; compositis, siue etiam humidis vehementer, calidis vero modice. Scribentur autem omnia ipsius Andromachi verbis.

*Alia cyphoides, ad hepaticos, ex scriptis Galli, tusses, & eductiones pituitæ.*

Croci, myrrhæ, singulæ drachmæ, bdellij drachmæ quatuor, aspalathi oboli quatuor, iunci odori drachmæ tres, calami drachmæ duæ, casiæ, nardi indicæ, vtriusq; singulę drachmę, terebinthinę drachmę sex, carnis vuę passę drachmę cētum & septem, mellis hemina semis, vini chij rigandis vuæ passæ & bdellio & myrrhæ quod sufficit. resina liquefacta cum melle, deinde omnia mixta læuigata reponito.

*Ad hepaticos & ictericos.*

Nucum acerbarũ drachmæ duæ, anisi, absinthij, cumini, seminis apij, singulorum drachma vna, cornu ceruini, oboli tres. læuigata cũ aqua in pastillos cogito triobolares, dato vnum mane, & vnum vesperi cum mulsa.

*Ad hepaticos & ictericos Nectareum.*

Helenij libra vna semis, crocomagmatis libræ duæ, aristolochię, petroselini, vtriusque singulæ vnciæ, nigri piperis vncia semis, myrrhæ vncia vna, mellis quantum sufficit.

*Hepatica Athanasia. facit ad nephreticos & ictericos: mouet copiosum sudorem.*

Croci drachmæ duæ, cinnamomi drachma vna, nardi drachmæ duæ, casiæ, myrrhæ, iunci odorati, singulorum drachma vna. melle attico excipito. datur in fabæ græcanicæ magnitudinem: febricitantibus cum mulsa porrigitur.

*Hepaticum admirabile quo Pharnaces herbarius laborans vtebatur.*

Croci drachmæ duæ, meu, asari, phu pontici, dauci, petroselini, myrrhæ, singulorũ drachmę quatuor, nardi indicæ & celticæ, singulorũ drachmę sex, costi, casiæ, iũci odori, singulorũ oboli tres, fructus balsami drachmæ tres semis, erythrodani drachmæ octo, succi dulcis radicis drachmæ tres, herbæ hemionitidis, polij, succi balsami, singulorũ drachmæ sex, hedychroi magmatis drachmæ quinq;, mellis quantum sufficit. ad omnes affectus efficax est. vtitor nucis ponticæ magnitudine cum mulso.

*Antidotum hepaticum à Nearcho laudatum.*

Opoponacis radicis, erythrodani, radicis eringij, eupatorij, radicis elenij, polij, costi, aristolochiæ, piperis, herbæ scolopendri, seminis cucumeris, chamæpityos, radicis gentianæ, minij sinopici, vrsini fellis, spicæ nardi, baccarũ iuniperi, seminis brassicæ, ericæ seminis, singulorum parem portionem. attico melle decocto exceptis vtitor.

*Hepatice Dioschori.*

Cinnamomi, casiæ, singulorum quaternę drachmę, croci, nardi, costi, fructus balsami, hyperici, radicis dulcis, singulorum drachmæ octo. cum melle attico nucis ponticæ magnitudinem exhibeto.

*Aliud, ad hepaticos, & vt asserit Aristodes, ad cæteros interiores affectus.*

Grana piperis quadraginta, myrrhæ drachmæ octo, croci, costi, meu, acori, nardi, dauci seminis, petroselini, scordij, singulorum drachmæ quatuor, cinnamomi, casiæ, singulorum drachmæ duodecim, mellis quod satis est: datur in magnitudinem nucis ponticæ.

*Potio ad splenicos, nephreticos & hydropicos. iuuat etiam & stomachicos, & mulieres ex partu vexatas: facit & præterea ad conuulsiones, & eos qui ab ægritudine refocillantur, ad malis succis præditos, ictericos, tusses, pleuriticos: item antidotum est ad lethalia medicamenta, & ferarum ictus.*

Nardi indicæ, costi, singulorū drachmæ duæ, casiæ, croci, drachmæ singulæ, piperis albi oboli quinq; (in alio drachmę duę) apij seminis drachma vna oboli quatuor, iris illyricæ tantūdem, acori drachma vna obolus vnus, opobalsami drachma vna, ati masculi succi drachmæ tres, acini vuæ passæ drachmæ sex. læuigata cū musto, aut melle excipito, drachmámq; cū vini dulcis temperati, aut mulsæ cyathis quatuor, aut prout commodū fuerit, porrigito. Hę sunt ab Andromacho descriptæ facultates hepaticæ. Trāsibo nunc ad eas quæ ab Asclepiade proditæ sunt in tertio interiorum, quæ Mnassonis inscribit.

*Facultates hepaticæ ab Asclepiade proditæ, & primā scripsit, quā Musa Antonii esse dicit, in hunc modum compositam.*

Cichorij succi cyathum vnum, dato cum aquæ calidæ cyathis tribus iniecto mellis attici cochleari: aut filicis & anethi succi cyathum vnum cū melicrati drachmis tribus. Iridis tenellæ, aut sereos tenellæ succi cyathum vnum cū melicrati calidi cyathis tribus. Hæc sanè prima est triū medicamentorū in Asclepiadis libro scriptura. cichoriū itaq; & seris ex esculētis sunt, proinde qui in agris degunt, vtrisq; horum vescuntur tam crudis quàm coctis. Vtitur autem his & Erasistratus crebro in ijs medicamētis quibus ventriculi affectus curat. Cæterum facultas horum olerum est subfrigida subamaráque, modice astringens: & ob has qualitates, optima sunt medicamenta calidis iocinoris intemperiebus. cum hoc enim quòd modice refrigerāt, simul robur etiā addūt visceri, ob astrictionē: præterea venarū apertiones in sima visceris parte resarciūt cū ijs quę sunt in gibba, non tamen magnopere lędūt frigidas intemperies, sicuti faciunt quæcunque frigidam humiditatem citra astrictionem amaritudinémve obtinent. Porrò iuuare potest viscus eiusmodi olerum substantia, etiam si citra corruptos humores & sanies prauas, sit intemperies per se & cum humiditate quacunque. quòd si misceatur cum melle, humores elicit per vrinas: quare etiam si vel desiccata contusáque potui insperserit aliquis, etiam sic iuuant. Quin & decoctū ipsorū potui exhibitum non parum auxiliatur. Si vero nulla molestet calida intemperies, siue tantum sit in viscere obstructio, magnifice conducit ex vino albo quod tenuiorum partium sit potū,

cum ijs quæ vrinam mouent. Porrò non solum succus eorum recens, desiccatúsque vtilis est, verum etiam ipsa olera, si quis torrefacta contusa læuigatáque diligenter potui inspergat, aut si decocta quis bibat. Ad detergendum autem viscus adaperiendúmq; ipsius transitus absq; manifesta calefactione, aut refrigeratione, optimum est medicamentum filix, superantem habens amarã qualitatem. Anethum autem nihil habet virium ad huiusmodi affectus, verum refrigeratum modice & obstructum viscus curat. Quin & catapotium, quod ex chamæpite constat, cuius & ipsius meminit, non easdem cũ prædictis vires obtinet, amarũ enim est & hoc medicamen. nil mirũ itaq; est tũ ipsam per se chamæpityn potam iuuare hepaticas intemperies, tum etiam cum cichorio, quemadmodum scripsit Asclepiades in hanc verborum seriem.

*Catapotium hepaticis.*

Chamępityos radicis drachmæ octo, radicis cichorij drachmæ quatuor. cõtundito excipitóq; melle cocto nucis ponticæ magnitudine, præbeto aquæ calidæ cyathos tres, & bibat. Hæc quidem Asclepiades scripsit. Iuuant autẽ prædictæ herbę hepaticos, non solum si radices ipsis quis exhibeat præparatas iuxta Asclepiadis præceptum, sed etiam si succum quoq;, aut decoctum, aut arefactam comã cum fructu tusam læuigatámq; præbeat. Sphendamni item radix tusa læuigatáq;, siquidem & huius meminit. eiusdem cum dictis est facultatis. dant vero huius drachmam vnam cum aquæ temperatæ cyathis tribus. Item medicamen quod ex nardo celtica fit, nam & huius meminit, his est simile. scripsit autem hoc sic. Nardi celticæ partes ternas, absinthij partem vnã. tusa cribratáque cocto melle excipito datóque mystri mensura in linctu. Item quod ab ipso descriptum est in reliquis huic simile, hoc amplius habet, ꝙ magis per vrinas expurgat viscus. Scripsit autẽ de eo hunc in modũ Asclepiades.

*Pastillus hepaticus.*

Anisi, apij seminis, asari, amygdalarum amararum purgatarum, absinthij, singulorum drachmæ quatuor. præparato cum aqua. pastillos conformato, datóque drachmam febre carentibus cum vini temperati cyathis tribus, febricitantibus autem ex aqua mulsa. Hoc medicamen pauxillulũ habet caloris, ob eorum quæ vrinam ciunt misturam. Priora autem omnia alia, aut exuperantẽ habent frigidam facultatem, aut omnino neque hanc, neq; calidissimam. discijciendi vero & vias distributionis laxandi vim obtinent. omnia etiam alia medicamenta, quæcunq; ab Asclepiade scripta sunt, discijciendi, aperiendi, secandi vim habent: pauca vero medijs cæteris calidiora sunt. Media autẽ voco, quæ neq; manifestè refrigerãt, neque calefaciunt. vnum autẽ inter ipsa est aliquod calefaciens, vbi ait costi læuigati cochleare dato cum mulsæ calidæ cyathis tribus. Reliqua vero quæcunq; mediæ temperiei propinqua sunt, ad calidius declinãt. Hęc sunt. Helenij drachmæ duodecim, crocomagmatis drachmę octo. excipito cichorij succo, facitóque catapotia, & secundum vires exhibeto. Ad summam, datur drachma ex mulsi temperati calidi cyathis tribus. Posset hoc medicamentum etiam citra helenium calidis auxiliari intemperantijs: vbi vero helenium abstersorijs admixtum est, ad calidius deflectit, nisi omnino pauxillulùm copiosæ misceatur frigidæ. Quin quod & ex fœniculo constat medicamentum, calefaciẽtium ordinis est. id ita se habet. Fœniculi drachma vna,

petroselini drachmæ duæ, anisi, amygdalorum amarorum, absinthij, singulæ drachmæ, croci, myrrhæ, singulorum tres oboli. aqua excipito, conficitóq; pastillos, & exhibeto drachmam vnam, vt superius est dictum. Nam & hic fœniculum & petroselinum satis calefaciunt, alia modicè, amygdala verò attenuãtis sunt facultatis, idque magis quando sunt amara. Medium quodammodo inter calefacientia, & refrigerantia, etiam hoc est medicamentũ quod Asclepiades in hunc descripsit modum.

*Linctus hepaticus Paulini. iuuat subito.*

Chamæpityos aridæ libra vna, myrrhæ vncia vna, musti dulcis sextarij tres. coquito chamæpityn & mustum vsque ad tertias, deinde succum exprimito, quem, mellis attici libra ei dimidia iniecta, iterum coquito, deinde myrrham inijcito, assiduè mouens donec dissoluãtur: & cum dissoluta fuerint ab igne sublata reponito, mystrũmq; ante cibum exhibeto. Scripsit autem Asclepiades & ex cochleis tale medicamentum hepaticum. Cochlearum trium carnem admodum diligenter læuigatam in vini nigri cyathos tres coniectam calefacito, potuíque dato. Videntur eiusmodi secũdum vniuersam substantiam operari, & nõ secundum vnam, aut alteram qualitatem, quale est & lupinum iecur, cuius sufficientẽ tenemus experientiã. Cęterũ vsus eius persimilis est cochleis, læuigatur enim exactè lupinum iecur & exhibetur drachma vna cum aliquo ex vinis dulcibus; qualia sunt thereum illud cretense, & scybelite, mustũmq; græce protropon dictũ, quod defluit anteq̃ vuæ calcentur: congrua sunt enim ista visceri, quippe quæ & nutrire ipsum queant, mediũmq; inter calidũ & frigidum teneant, eóque nomine huiusmodi medicaméta omnibus cõuenire intemperantijs videntur, vt quæ tum proprietate substantiæ subsidiũ ferant, tum neque calidas neq; frigidas habeant intemperies. Porrò ijs qui manifesta laborant febri, aut non obscura, quemadmodum nonnullis hepaticis solet accidere, satius est ex aqua calida dare medicamentum, q̃ ex aliquo antè dictorum succorum, qualis est sereos.

*Ad scirrhosos iecoris affectus.*

Et de his scripsit Asclepiades quatuor medicamenta in hæc verba.

*Vretice. facit ad scirrhosos iecoris affectus & lienosos, ad eos qui ægre reficiuntur, hydropicos, & in vniuersum, bonum inducit calorem.*

Croci, nardi, casiæ, singulorum drachmæ duæ, costi, iunci odori floris, cinnamomi, myrrhæ stactæ, singulorum drachma vna, mellis cocti drachmæ viginti quinque. Datur quantum fabæ ægyptiæ magnitudinem implet, cum mulsi cyathis quatuor.

*Alia qua vtebatur Pasicrates, ducit vrinas copiosas.*

Dauci seminis drachma vna semis, rheu pontici radicis, iunci odori floris, fructus balsami, baccarum cedri, anisi, nardi indicę, croci, cinnamomi, casię, phu, asari, petroselini, chamæpityos, singulorum drachma vna, mẽthæ aridæ oboli tres, nucleorum pineorũ purgatorum numero quinquaginta. excipito melle cocto, & dato nucis põticæ magnitudinem cũ mulsi temperati cyathis tribus.

*Antidotum ex vrsino felle, medicamentum comprobatum ad scirrhosos iecoris affectus.*

Chamæpityos, marrubij, seminis petroselini, gentianæ, seminis viticis, fellis

vrſini, ſinapi, cucumeris ſeminis, ſcolopendrij, panacis, minij lemnij, erythrodani, braſſicæ ſeminis, ariſtolochię, piperis, nardi indicæ, coſti, apij ſeminis, erucę ſeminis, eryngij, polij, echij, eupatorij, baccarum iuniperi, ſingulorum drachma vna. tuſa cribatáque excipito melle. datur nucis ponticæ magnitudo in mulſi cyathis duobus.

*Alia probata. facit & ad alios interiores affectus abſque tuſſi.*

Radicis gẽtianæ, chamępityos, marrubij, ſeminis petroſelini, vrſini fellis, ſinapi, ſeminis cucumeris, ſcolopẽdrij, radicis panacis, minij ſinopici, erythrodani ſeminis, braſſicæ, ariſtolochiæ longæ, piperis albi, ſpicæ nardi, coſti, erucæ ſeminis, eryngij, baccarũ iuniperi, fructus fraxini, chamæpityos, dictami cretici, betonicæ ſeminis, dauci ſeminis, ſingulorum vncia vna, mellis attici quantũ ſatis eſt. datur nucis ponticę magnitudine. liquor autẽ muſti cretici cyathi duo. medicamentum probatum eſt. in alio exemplari habet & pelecini tantundem.

In propoſitis quatuor medicamentis recte fecit Aſclepiades, qui non ſimpliciter adſcripſerit, quemadmodum in alijs, quòd ad hepaticos ipſis vtendum, ſed adiecerit, ad ſcirrhoſos affectus. Nam diſpoſitiones ex humiditate viſceris reſolutum ipſum & imbecillum reddere ſolent, inſtar reſolutorum articulorum, ſiue cum frigiditate, ſiue cũ caliditate, ſiue citra has ſola relaxatio ipſorũ conſtiterit. omnino enim aſtringentibus egent medicamentis, verum aut cum calefacientium mixtura, ſi frigida ſuperet qualitas, aut refrigerantium, ſi calida. quæ vero in ſcirrhũ coeũt ob frigidos humores, & craſſos viſcoſóſq́; in ſolidas partes trãſmiſſos, neceſſario habent affectũ frigidũ, proindéq; calefacientibus ſimul, tenuiúmque partium egent medicamentis, hęc enim ſufficiunt, tũ ad diſijciendum viſcoſitatem ſuccorum qui ſcirrhoſis particulis infarcti ſunt, tum ad craſſitiem diſſecandam, atque ſic attenuatos ſuccos diſcutiẽdos. Atqui in quinto de ſimplicium medicamentorum facultate (vbi de huiuſmodi egimus affectibus) mixtionem emollientium, quæ malactica dicuntur, commendaui, tanq̃ præparantem ſcirrho indureſcentia corpora, vt dictis medicamentis reddantur idonea. niſi enim prius fuerint emollita, dum ipſa diffunduntur, ſtatim quidem euidentem aſſequuntur diminutionem affectus, cæterum reliquiæ vtpote nimium exiccatę, inſanabiles reddũtur. hæc vero eadem & in decimoquarto methodi medendi dicta ſunt. Proinde & in hepate tentanda eſt mollientium mixtura. Quia vero corpus iecoris, veluti ex humoribus concretum eſt, admodum moderatis indiget mollientibus. excellet autem in eo pręter alias ſcirrho obnoxias particulas, calefacientium attenuantiúmq; mixtio. Merito itaq; maxime omniũ quatuor deſcriptorũ medicamẽtorum vltimum cõmendat, vt quod ſatis experiẽtię dederit: ex aromatibus enim quæ attenuare digereréq; poſſunt conſtat. alia inſuper ſimul aſſumpſit medicamẽta acria, incidẽdi digerendíq; vi prædita: mitigatoria vero illis mixta ſunt, & cucumeris ſemen, & baccę iuniperi. Itẽ mel, eryngiúmq;, quæ videlicet tanquã vrinam mouẽtia quędã, adſint his quæ viſceris affectum abſtergũt, vt ad vrinas viam excretionibus ſternant.

*Quæ ab Archigene ſcripta ſunt ad hepaticos in ſecundo medicamentorum ſecundum genus.*

At in hepaticis congrua cibi, vnctionum, cõmuniũ emplaſtrorum, ſanguinis

ex vena emiſſionis, cucurbitularũ, ſinapiſmorũ, picationũ quas Græci δρώπακας vocant, ſimiliſque victus ratione præcedente: præterea ſubſcriptis compoſitis potionibus & malagmatis, quæ his optime conueniunt, vtitor.

*Potionibus quidem hiſce.*

Senecionis herbæ decoctum tanq̃ maxime vtile exhibeto, creſcit autem huius caulis in tegulis. Aut nardini vnguẽti cochlearia quatuor quotidie potanda dato, ídque in his qui ſcirrhum contrahunt. Aut ariſtolochiæ obolos tres, cum aqua potui da febricitantibus. illa carentibus cum vino admodum conducit. Aut trifolium acidum in aqua coquito ad tertias, datóq; per triduũ ſingulos cyathos. Aut fel vrſinum lentè in aceto coctum torreto in ſole, atq; ex hoc hepaticis cochlear vnum porrigito. Aut rubi radicis corticis minam vnã cum aquæ congio coquito in vaſe nouo, donec quarta ſuperſit pars, ſuccóque aeri expoſito, mellis adijce cyathos ſex, bibátq; ieiunus ad triduum. Aut pſeudobuniorum obolum vnum cum melle ieiuno dato. Aut dauci & fœniculi radicis dimidium cum oxymelite ad tertias coctorũ cyathum vnũ ieiuno exhibeto. Aut dulcis radicis ſucci obolum vnum aut duos ieiuno porrigito. aluũ ſubducit vrinámque ciet. Cæterum in magna duritie, abrotani ſuccum, vt qui craſſior eſt, potui dato. Aut acori obolum vnum, panacis tantundem, cũ aqua potui exhibeto. Aut ſpicæ nardi decoctum aſſidue dato.

*De cataplaſmatis.*

Cataplaſma vero hepaticũ conferet ex malis cotoneis cum farina hordeacea aut fœnugræco cocto. Aut lini ſemine læuigato cũ polẽta in vino cocta. Aut lini ſemine læuigato, & cum melle macerato. Aut capparis radice in mulſo cocta. Aut hordeacea farina cum ficu. Aut oleę radice in vino cocta. Aut glande vnguentaria tuſa ex vino. Aut cerato ex palmularum glandibus. ſumme enim conducit ad hepatis inflammationes, præcipue vero iјs quibus etiã ſtomachus affectus eſt, & latera diſtenta ſunt. Aut palmã abſq; medulla diligenter tuſam cum pari roſacei cerati portione in mortario in vnitatẽ cogito, pauxillum roſacei aſpergens & imponito. Aut vino amin æo imbutam myrrham palmis miſceto, & in panniculo inditam imponito.

*Malagmata ad inflãmationes iecoris.*

Quibus ſanè quis vti debeat malagmatis in hepatis inflãmatione, citra manifeſtam cauſam, poſt fomenta & cataplaſmata, iam antè, vbi de oris ventriculi egimus inflammatione, communia huic & hepati ſcripta ſunt, in quorum numero hæc ſint, quæ ex meliloto præparantur, & polyarchium. At vero & nunc quædam ex iјs quæ ab Andromacho ſcripta ſunt adiјcientur.

*Andromachi malagma ad hepaticos.*

Ammmoniaci thymiamatis drachmæ centum quadragintaquatuor (aliј vero drachmæ centum) bdelliј drachmæ vigintiquatuor (aliј vero drachmę centum) aceti heminæ quatuor. ego vero heminam dimidiam.

*Apollophanis malagma.*

Ceræ drachmæ octoginta, ammoniaci thymiamatis drachmæ totidem, reſinæ terebinthinæ drachmę quadraginta, mannę thuris drachmæ quadraginta. irino oleo contundito.

*Democratis malagmata ad hepar & præcordia. quædam vero ipsorum etiam ad totum ventrem & lienem benefaciunt.*

Præcordijs stomachi vitio dolentibus,
Aut ventris,intestinorum,coli,hepatis,
Alterius item principalis visceris
Cuiuspiam,malagma si imponere voles,
Hoc antè primum præparatum sumito,
Siquidem recens iam factum,minus est vtile.
Hæc recipit,ceræ ponticæ libras duas,
Ammoniaci suffiminis,terebinthinæ,
Retorridæ, pityinæ combustæ libram.
Fac singulorum vnam.quadrantem seminis
Nasturtij,tantundem cyperi exaridi,
Myrrhæ'q;,necnon iridis albæ,gallicæ
Puræ,vncias duas, croci sesquunciam,
Octo vncias meliloti,præstat atticum,
Olei recentis,cyprini libras duas.
Proinde cyprinum,& alia liquescere
Quæ possunt,coquito flamma leui:hinc radito,
Contusa reliqua incernito,deinde bono
Vino macerato,mox noctem & diem sine
Vinum combibere medicamina,atque perlitis
Cyprini manibus, cuncta medicamina in pila
Maiore commixta,inde sic reponito:
Vas pellibus contegito extrorsum mollibus.

*Aliud malagma eiusdem,similibus efficax.*

Si tempore alio morbi minantes malum
Habitum occupent,magísq; affectus adiuuat,
Qui viscera flatibus offendunt phlegmonis
Diutinis,nam exacuentes doloribus
Vehementibus,durities,scirrhos quoq;
Mox discutit.sic præpara,terebinthinæ
Bonæ libram semissem,ceræ ponticæ
Parem modum,fœnugræci puri libram,
Nitri,panacis,tantundem,atq; seminis
Anisi,adipis vitulini purgati libram,
Et iridis albæ contusæ pondo libram,
Aceti cyathos binos,dimidium quoq;,
Mellis recentis attici libras duas,
Ammoniaci suffiminis pondo libram
Admiscuerunt quidam,alij libras duas.
Arida omnia subtili creta incerniculo
Incoquito,vt cataplasma & melle addito
Necnon aceto,sed non omni,vbi feceris
Probe irriguum,calenti iunge, paululum

» Aceti superaddens, ceræ liquidæ, adipi,
» Terebinthinæ. postq̃ refrigeraueris
» Probè, manibúsq; pariter omnia vniens
» Maiore vase diligenter, non vtitor
» Statim, recens nam factum est imbecillius.

¶ *Aliud Damocratis malagma.*

» Et hoc odoris grati est, necnon hepatis,
» Renúmq;, coli, stomachi, vuluæ affectibus
» Longis medetur, praua habitudine præditis,
» Ex longiore morbo pallidis, hydropicis,
» Non concoquentibus, ægris fastidio.
» Est autem amomi scythici, xylobalsami,
» Clari bdeli, nasturtiíque seminis,
» Siccati cyperi, thuris, par modus, puta
» Pondo libra singulûm, casiæ daphnitidis,
» Myrrhæ'q; laudatæ, croci, rursus quadrans
» Aut amplius paulo, spicæ nardi quoq;
» Syriacæ erunt duæ vnciæ, terebinthinæ
» Puræ libræ duæ, ceræ puræ libra
» Albæ, cypriníq; vnguinis noui libra,
» Vini falerni excellentis sextarius.
» Contusa reliqua tenui cribro incernito.
» Thuréq;, bdellio, myrrha, croco in pilam
» Læuibus immissis cyprinum exiguum super
» Affundito ex vino, deinde subigito
» Ad vsq; mellis crassitiem, adde aromata
» Alia læuigata, & vini reliquũ affundens, cogito
» In vnitatem recte vt combibat, sine
» Diem, integrámq; noctem. sed terebinthinam,
» Cyprinum, pariter ceram liquefactam super
» Lenissimum ignem finito, & omnia vnguine
» Imbutis manibus quopiam vt coëgeris
» In vnum finito, sic reponito, haud statim
» Vsurus ipso, multa temperans cape
» Ex parte quadam læue cerotarium,
» Sed vtitor raro solo medicamine.

¶ *Aliud Damocratis malagma.*

» Aliud malagma vitijs longis efficax,
» Et splenicis, sed confert multo maximè
» Si pallidi sint, & febre vrgentur graui,
» Aquámq; continent paucam in præcordijs.
» Multæ siquidem malagmatis non medeberis.
» Sint pinguium ficuum siccarũ, & insuper
» Recentium, vmbilico & multo semine
» Ipsis adempto, drachmæ tres & quindecim,

„ Ceræq; pontice albæ æqualia pondera,
„ Et glandis vnguentariæ pinguis libra,
„ Nitri marini vero dimidium libræ,
„ Aluminis scissi libræ duodecim,
Et vnius drachmæ dimidium, & obolos
„ Tres, vnguis æquales, bdelli, nitri, pares,
„ Et floris asij lapidis, & suffiminis
„ Ammoniaci tantundē, at fœnu seminis
„ Græci, atq; cardamomi, laudati origani,
Nasturtij, sextarij sit portio
„ Quarta vniuscuiusq;, paulum vnguinis
„ Irini. eum in modum malagma prępara.
„ Irriguum vino dulci bdellion,
„ Mortario emollito, iam læui satis
Adiunge ficum: rursus pariter tundito.
„ Vinum superfundens læuia facito probe,
„ Inspersis reliquis medicamentis autem,
„ Aqua calente, ceram vniuersam bene tuis
„ Mollito manibus: dilatatam cæteris
Adiungito, in pila contusis, ligneo
„ Pistillo subigens, continuē hæc linens vnguine.
„ At tempus vtendi cunctis malagmatis,
„ Quæ ventri, stomacho, & intestinis inijci
„ Debent, à cibo longe est præstantissimum.

# CLAVDII GALENI

## PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER NONVS.

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

### *De morbo regio, qui icteros græce dicitur.*

Sunt sanè icterici etiā bonæ in febribus crisis ratione, dū biliosus humor ex alto in cutem proruperit. facillime liberātur balneis aquæ potabilis, tū frictione ex oleo digerente, omnibusq; deniq; rarefacientibus, cuiusmodi est, anethinū oleum, & chamæmelū, & recininū. Secūdo ab his sunt ordine vnguina, gleucinū, crocomaginū, deinde irinum & amaracinum. Cæterum alias peculiariter vocatas ictericas facultates qui scripserūt, nō eiusmodi ictericis cōuenire dixerūt, sed maximè ijs, qui ex vasorū iecoris laborāt obstructione: prętereà ijs, qui inflāmationibus infestātur. Qui igitur ex obstructione arquato laborāt, sine febri permanēt: quicūq; vero ex inflāmatione, omnino febricitāt. Proinde quotquot scribētes ad morbū regiū medicamēta, adiecerunt quibus hęc cōueniāt, rectè fecerūt: quotquot autē simpliciter, & indistictè scripsere, nō parū peccarūt. Nā quę insigniter sūt medicamētosa, quēadmodū & quę calida sūt facultate, admodū lędūt febricitātes. sūt aūt huiusmodi, gētiana,

ſtruthion, heleniũ, coſtus, ariſtolochia, polyum, & centaurium. At congruunt iis qui ob iecoris inflammationem regio laborant morbo, quæcunq; inflãmationibus medentur: queádmodum & iis qui ob eius obſtructioné, omnia quæcunq; abſtergunt generoſè, tametſi fuerint medicamentoſa ſubſtantia & calida facultate. Quòd ſi in vnum conueniát & obſtructio & inflãmatio, laxantibus ſimul & abſterſorijs opus eſt. Vitari autem debent quæ & medicamentoſa ſubſtantijs, & calida facultatibus exiſtunt. Cũ igitur à pleriſque, qui ante me fuerunt, medicamenta ad morbum regium indiſtinctè ſint tradita, adijciam proprias vniuſcuiuſq; diſtinctiones, vt ſciatis, quibus ſine periculo in febribus vtamini, quibus autem maior ex diſijciẽdo vtilitas ſuccedat, quàm noxa, quæ ex irritata febri, & inflammatione oritur.

*Quæ Andromachus ad arquatum ſcripſit medicamenta.*

Indiſtinctè ſcripſit Andromachus quatuor medicaméta ad ictericos, quæ tutum ſanè iis qui febre carent vſum habent, nõ autẽ in febricitantibus: & maximè ſi ex vino aut mulſo quis hæc dederit, vt nõnunquã damus in moderatis quidem febribus viſceríſq; obſtructione: ſed ex oxymelite nõ perinde acri, tutius eſt tũc dare id genus quatuor medicaméta ipſius verbis hic ſubſcripta.

*Ad ictericos.*

„ In cucurbitę ſylueſtris corticẽ iniectum vinum & calefactũ dato potui. ſubducit aluum. Idem autem & thus præſtat. *Aliud ad ictericos.*

„ Adianti obolos tres, nardi obolos duos, abſynthij drachmã vnã, myrrhæ obolos tres. paſſo excepta, dato nucis põticę magnitudine cũ aquę cyathis duobus.

*Aliud ad ictericos quo vtimur.*

„ Struthiũ croco tinctum quãtum nux auellana implet ex aqua & mulſa detur: item anchuſa, menſura cochlearis.

*Aliud ad ictericos, vt Apollonius.*

„ Erui drachmæ vigintiquatuor, cornu ceruini cõbuſti drachmæ octo, thuris drachmæ tres, nardi gallicæ drachmæ duę, nardi ſyriacæ drachma vna, piperis drachma vna ſemis, iunci odori floris drachma vna, myrrhę oboli duo, caſiæ obolus vnus, cinnamomi tantũdem. vtitor arido cũ mulſi cyathis tribus.

*Quæ Aſclepiades in tertio interiorũ medicaméta tradiderit ad ictericos.*

Ex prædictis clarũ euadit, etiam ſi citra diſtinctioné ſcribantur medicamenta, quænam ſint in febricitátibus fugienda. conſueuit autẽ Aſclepiades interdum diſtinguere, ad dens febricitátibus ſic dari oportere medicamẽtum, febre autem carẽtibus, ſic. At vbi prorſus nihil adiungit, in febricitantibus eſt magis vtẽdum, veluti vbi ex ſolo vino aut mulſo vtendum cenſemus. Talia enim à febre immunibus congruunt. hæc autẽ ſcripta ſunt ab ipſo medicamenta.

*Potio ictericis accommoda.*

„ Succi cichorij cyathos ſex porrigito, febricitátibus quidẽ, per ſe: febre autẽ liberis, cũ vini cyathis tribus. *Alia.* Solani ſucci cyathũ vnũ & mulſi tẽperati dimidiũ.

*Aliud quod inſpergi poteſt.*

„ Anchuſæ læuiſſimæ cochlearia duo cum aqua potabili potui dato. Struthij cochleare vnum cum mellis temperati cyathis tribus dato.

*Nicerati diureticum.*

„ Cicerum ſiccorum ſextariũ vnũ, roriſmarini manipulũ vnũ, aquæ ſextarios

sex, fœniculi manipulum vnum, asparagorum palustrium manipulũ, & datõ, vt dictum est. decoctum liquorem & insaccatum febricitantibus potui continue exhibeto, à febre liberis cũ vino temperato. *Alia.* Cicerum sextariũ vnum, adianti manipulum vnum, aquæ sextarios sex, asparagorum palustrium radicum manipulum vnum. præparato, & vt dictũ est porrigito.

¶ *Pastillus ictericus. iuuat & hepaticos.*

Amygdalarum amararum purgatarum drachmæ quatuor, anisi, absynthij, nardi indicę, asari, singulę drachmę. tusa cribratáq; aqua subigito, pastillos fingito, datóque drachmã vnã à febre immunibus, cũ mulsi cyathis tribus.

¶ *Aliud, quo vtebatur Charixenes.*

Asari, absynthij, vtriusq; drachmas octo, anisi seminis, malathri, seminis apij, thasiorũ amarorũ purgatorũ, singulorũ drachmas quatuor. aqua subactis, pastillos fingito, & vt dictum est exhibeto.

¶ *Nicerati medicamẽ quod naribus instillatur, arquatum purgans.*

Cũ reliquũ corpus secundũ naturã habent, oculi vero manent pallidi, exhibeto in balneo aceti acerrimi cochleare vnũ per nares attrahẽdũ, defluet multum biliosæ substãtiæ. *Eiusdẽ.* Nasturtij viridis tenella folia, aut rorismarini viridis tenerrima folia cõterito, eorúmq; succum exprimito. vtitor vt dictum est. *Eiusdẽ.* Elaterium cum lacte muliebri naribus infundito, & attrahere iubeto.

¶ *Quæ Archigenes ad arquatum in secũdo de medicamentis secundum genus descripserit.*

Post cõgruã ictericorũ aliorúmq; præceptorũ rationem, per obambulationes abũde multas, itẽ vngendo frictiones, insuper sicca somẽta adhibita, vtitor etiã subscriptis medicamẽtis. Aiũt febricitantes, si arquato laborẽt, rufi canini rubi fructus esũ subito probè iuuari. Prodest & chelidonis herbę succus cũ vino aut mulsa potus. Aut adiãtũ, aut erythrodani radicis oboli tres, cũ mulso dantur. Aut struthiũ cũ melle lingant. Aut vrsini fellis q̃tũ cyathus cõtinet potui dato. Aut hyperici vnciã vnã cũ mulso potui exhibeto. Aut mulsę cyathũ vnum. Aut helxinę decoctũ ad dies quinq;, aut sex cũ mulso. Aut canini stercoris albi vncias duas cũ mellis vnciæ semissi ad tres dies potui dato. Aut lichenes qui à saxis distrahũtur, potui dato cum mulsa. Aut lichenis, qui in tegulis lapidibúsq; nascitur drachmã vnã in mero potui exhibeto. Aut cardamomũ cũ olei cyatho vno dato potãdũ. In fauces radicẽ ipsius cõijcito. Aut absynthij cochlearia quatuor, anisi cochlearia tria cũ oxymelite dato. Aut oxylapathi, aut lapathi radicis læuis acetabulũ porrigito cũ mulsa. ꝙ si nõ febricitet, cũ vino aut oxymelite. Aut adiãti, aut menthæ & erythrodani parẽ portionem feruefactã in aqua hemina vna, in sole diutius exposita, potui dato sitibũdo anhelantíq;, vt bibẽdo sudet, & immutabitur color. Aut adianti & myrrhę dimidiũ, ieiuno lotóq; prębeto, in vini dimidiata hemina. Aut leporis coagulũ dato cum mero ad dies quinq;, aut sex. Aut scolopẽdrię drachmas quatuor in vino dato ieiuno, ad dies quinque aut sex. Aut menthã, erythrodanum, & adiantum pari portione potui dato cum aquæ cyathis duobus. Aut betæ foliorum crudorum drachmas sex, myrrhæ obolos duos cum mulsa ieiuno dato. Aut antè diligenter loto, ieiuno dato cum vini hemina dimidiata, adianti drachmam vnã, myrrhæ drachmas octo, rutæ drachmam vnam, aquæ heminas duas. coquito vsq; ad dimi-

» dium: deinde vbi deambulauerit multum, diligēter fricato, atq; spiritu adhuc » in altiora sublato potui dato, idq; biduũ facito. Aut ciceres, quos orobios vo» cant, soli expositos in aqua, potui dato ex aqua, ciceres vero esui mane & vespe» ri dato. Deinceps absinthiũ in mulsa bibant triduum. Aut cyclamini succo per » nares purgans abluito. Aut orontion herbã multam decoquito, & iure ipsius » abluito, & deprehendes subito aquam effici viridem. Aut venam quæ sub lin» gua est incidito. Quòd si non his morbus cedat, tum medicamēto ex scãmo» nia, exactáq; victus ratione erunt curandi, atq; post hoc ad exercitia mittẽdi.

*De liene.*

Quòd omnes particulæ propriũ sibijpsis trahant ex venis succum, in commētarijs de naturalibus facultatibus, edocti estis, necnõ quòd veluti fæcẽ sanguinis, ex qua nascitur atra bilis, viscus hoc alimentum habet. Ad hæc in memoriam reuocantes, & quæcunq; in libris de methodo medendi dicta sunt de liene, similiter assequemini quæ nunc dicentur, quorum primũ & præcipuum est, q̃ celerrime id viscus in scirrhũ incidere solet, eo quòd sanguis qui in venis ipsius continetur impactus, neq; ob crassitiẽ excerni, neque facile digeri queat. Proinde attenuantibus eget medicamentis citra manifestam caliditatem, ne vehementius incrassetur infarctus in eo crassus humor. Cæterũ ad vires ipsi conseruandas, admiscētur illis nonnulla austerorum, quale est & astringentiũ genus. Siquidem didicistis in libris de viribus naturalibus, quòd cum omnes particulæ sui conseruandi gratia facultatibus sint præditæ, tum familiarium attractoria, & alienorum excretoria, tum assimilatrice eorum quæ attraxerint, nonnullis ipsarum inest ex accidenti, vt vniuersum corpus insigniter iuuent: ex qualium numero est & lien, trahens ad seipsum ex iocinore veluti fæcem sanguinis: sicuti & vesica in iocinore, bilem: renes, vrinam. Si igitur imbecillior lien nequeat ad sese attrahere id genus sanguinem, humorum corruptio vniuerso corpori infligitur, proinde naturale ipsius robur conseruandum est, quò congruum sibi trahat alimentum: qua functione vniuerso corpori, ad humorum bonitatem magnum adfert emolumentum: tum nata in ipso excrementa in ventrem propellere potest, cum alimenti superfluis excernendis. Ob id igitur tum valde amara ipsi offerimus medicamenta, tum nonnulla austerorum illis miscemus: ad materiam vero, vtilem vel vnctionum vel malagmatum confectioni, nonnulla adijcimus, quale est medicamentum, cera, resina, pix, & bitumen, & quæcunq; id genus alia. Prima itaq; ratione acetum & oxymel vtilia sunt visceri, vt quæ & dissecare & attenuare crassos humores queant citra calefactionem. Quemadmodum ergo in alijs particulis quæcunque per cataplasmatum aut humidorum medicamentorum applicationem superfusionémve conducunt, alio libro sunt dicta, ita & nunc omissis ijs quæ splenem inflammatione tentatum curant, tantum eorum quæ scirrho affectis conueniunt, mentionem faciemus: quod & ij qui ante me fuerunt in libris de medicamētis scriptis factitarũt, peculiariter appellantes splenicos, qui scirrhoso affectui lienem habent obnoxium.

*Medicamenta ad splenicos ab Andromacho descripta ita ad verbũ se habent.* Potio ad lienosos Antipatri ex Nili sententia.

» Myrobalani carnis drachmæ tres, hemionitidis herbæ (quã alij asplenũ, alij

ſcolopendram dicunt)drachmæ ſex,capparis radicis corticis,coſti,ſingulorũ drachmæ quatuor,chamędryos drachmæ ſex,polij drachmæ tres,cotyledonis radicis drachmæ duæ,hederæ nigræ corymborũ grana vigintiquinq;,ammoniaci thymiamatis drachmæ quatuor,hyperici fructus, galbani, ſingulorum drachmæ binæ,periclymeni fructus drachma vna, aut radicis drachmæ tres, cardamomi nigri drachma vna ſemis, ſcyllæ fructus ſucci drachmæ ſedecim, in oxymelite dato obolos duos.

*Lienoſis potio.*

Glandis vnguẽtariæ drachmas quatuor,hederæ albę grana vigintiquatuor, coſti,periclymeni ſeminis,ſingulorũ binas drachmas,hyperici drachmã vnã, (in alijs drachmas quatuor)galbani drachmam vnã obolos duos,cardamomi drachmas quatuor.excepta ſcyllę ſucco decocto dato cyathũ græcũ ex oxymelyte. *Alia.* Myrobalani carnis drachmas tres,hyperici,periclymeni fructus, dauci radicis, erythrodani,acori,phu pontici,croci,ſingulorũ drachmas ſex, iunci odori drachmas tres,menthæ,cardamomi,chamæpityos, capparis radicis,polij,ſingulorum drachmas ſex(alij vero drachmas tres)ammoniaci thymiamatis drachmas tres.oxymelite excipito paſtillos binos obolos pendẽtes, datóq; in oxymelite vnũ.facit autẽ & hepaticis, & hydropicis.

*Aliud,conducit lienoſis.*

Chamædryos drachmas quatuor, polij drachmas quinq;,chamæpityos drachmas quatuor,erythrodani drachmas quinq;,ammoniaci thymiamatis,artemiſię,ſingulorum drachmas tres,myrobalani drachmas quatuor,capparis radicis corticis drachmas tres,ariſtolochiæ drachmas ſex, tragachãtæ drachmas duas.aqua excipito.paſtillos triobolares formato.dato ex oxymelite.

*Aliud ſtomacho idoneũ.vtitor autẽ ad omnẽ lienis affectũ.cõducit & ad conuulſiones,inflationes,& muliebres affectus.*

Myrrhæ,nardi indicæ,capparis radicis corticis , ſingulorum drachmas quatuor,coſti drachmas quinq;,panacis radicis,peucedani radicis,dictãni,ſingulorum drachmas quatuor,polij drachmas duas,periclymeni radicis corticis drachmas quatuor,erythrodani drachmas tres ſemis,ammoniaci thymiamatis drachmas quatuor ſemis(nonnulli & ireos tantũdem) oxymelite excipito. dato obolos duos ex oxymelite.

*Aliud lienoſis non niſi recta ceruice ſpirantibus vtile.*

Struthij,ſcyllæ toſtæ,panacis , capparis radicis ,ſingulorũ drachmas quinq;, crocomagmatis drachmas duas ſemis.aceto excipito, datóq; ex oxymelite ſcyllitico. *Aliud.* Struthij,capparis radicis corticis,chamædryos,panacis , ſingulorũ drachmas decẽ,myricę fructus drachmas tres.aceto ſcillitico excipito,& drachmã vnam dato ex oxymelite ſcillitico.

*Medicamenta potulenta ad lienoſos ab Aſclepiade deſcripta.*

Cynogloſſæ manipulũ acceptũ terito,cũ vini cyathis tribus,& ſuccũ expreſſum dato potui ante cibũ,cõducit & ſuccus per ſe.herbã autem ſiniſtra manu ante ſolis ortum decerpere oportet. *Aliud.* Chamædryos manipulũ decoctũ cũ ſextario vno,ſuccũmq; expreſſum reponito,duóſq; cyathos ante cibum dato.

*Cataplaſticum lienoſis.*

Tamaricis fructũ tuſũ cribratũmq; reponito.vbi vſus venerit,cochlearia duo

dato cũ oxymelitis temperati cyathis tribus. Aut herbã pelargitẽ dictã, tusam cribratámq; dato vt antè dictum est. *Aliud.* Onagri, aut equi siluestris lienem tostũ tusũmq; reponito, datóq; cochlearia duo, cũ vini tẽperati cyathis tribus.

*Catapotium lienosis.*

Hederæ albæ summitatum dato grana tria deglutienda, & oxymelitis cyathos tres superbibendos.

*Andreæ Pæonium.*

Tamaricis fructum tusum cribratúmq; excipito galbano, catapotiáque cõficito. dato prout vires sunt.

*Pastillus splenicus, absumit tumorem.*

Ericæ fructus drachmæ quatuor, piperis albi, nardi syriacæ, ammoniaci thymiamatis, singulorum drachmæ duæ. arida tunduntur cribrantúrq;. ammoniacum vero aceto scillitico dissoluitur, aridísq; cõmixtum, sic in massam redigitur, fiúntq; pastilli singulas vncias pendẽtes. dantur drachmæ tres, cũ oxymelitis cyathis tribus. is qui dedit medicamẽtum ait, porcellum bibisse ex hoc pastillo tribus diebus, postea vero resectum porcellum sine splene inuentum.

*Aliud, tollit tumorem.*

Ammoniaci thymiamatis, rubi foliorum tenerrimorũ, singulorũ drachmas octo, capparis corticis drachmas quatuor, myricæ fructus, herbæ aspleni dictæ, scolopẽdrij, aut hemionitidis, scillæ tostę purgatæ nucleis, piperis albi, singulorum drachmas duas. aqua excipito, effingitóq; pastillos, & exhibeto drachmam vnam, cum oxymelitis cyathis tribus.

*Chrysermi, lienosis, hydropicis, & ægre vrinã reddentibus. vtile, vẽtrẽ mollit.*

Squillã grandẽ luto obductã torreto, corticẽmq;, & quod in fundo duriusculum est, auferto: nuclei vero accipiẽs libras duas, dauci seminis acetabulũ, quod est vncia vna, anisi, seseleos, panacis radicis, ireos, cuiusq; parẽ portionẽ, vrticæ seminis, baccarũ cedri, singulorũ drachmas duodecim, myrrhę drachmas quatuor, eruorum molitorum chœnicẽ, vini odorati quantum sufficit. subactis pastillos effingito. habet autẽ & tragacanthæ minas quatuor. datur drachma vna cum oxymelitis cyathis tribus.

*Aliud, Eugerasiæ.*

Scillæ tostæ repurgatæ minas duas, bryoniæ radicis minas octo, piperis albi parem portionem, petroselini tãtundẽ, dauci cretici seminis tantundẽ, eruorũ molitorum tantundẽ, baccarum cedri sextariũ vnũ. habeat autẽ aceti vncias octo, ireos, panacis radicis, myrrhæ, singulorũ vncias tres, vini falerni q̃tũ excipiendis illis sufficit. fingito pastillos, siccatóque in vmbra. dato vnciam vnam cum vini temperati cyathis tribus.

*Epithemata & emplastra eiusdẽ Asclepiadis, ad recẽtes lienis inflãmatiões.*

Arboris sambuci tenerrimorũ foliorũ libras tres, aloës librã vnã. præparato ex aceto, atq; linteolo illita emplastri modo imponito. ericę fructus vncias sex, galbani libram vnam (nonnulli vncias sex) fructum terito cribratóq;, atq; ita galbanum inijcito. mixta diligenter & linteolo illita applicato.

*Idiotæ medicamentum approbatum.*

Visci querni libram vnam, calcis viuæ tantundem. viscum in vas fictile coniectum, prunísque superimpositum finito dissolui, vbi dissolueris, calcem

uiuam inspergito atque misceto, calidúmque in pellem albam illitum imponito. Cæterum etiam vnà cum medicamento lauare oportet, atq; ita finere donec vltro decidat. Præterea curandum vt particulæ à liene recedentes amputentur. *Aliud.* Visci querni libram vnam, calcis viuæ vnciam vnam, lapidis asij floris vncias quatuor, cedriæ vnciam vnam. præparato ex more, vtitórque quotidie accipiens medicamentum, & spongijs locos fouens, iterũ illud imponito. vrinas mouet.

¶*Malagma chrysizon, id est, aureum colorem repræsentans, valde bonum.*

Ceræ, resinæ pityinæ, frictæ, singulorum libras duas, arsenici, aluminis fissi, calcis viuæ, singulorum vncias duas, aceti, olei, singulorum cyathos octo. præparato ex more.

¶*Aliud vehementer generosum, quo vsus est Andromachus.*

Ceræ, resinæ pityinæ, picis brutiæ aridæ, singulorum libras binas, arsenici, aluminis scissi, calcis viuæ, singulorum vncias binas, aceti cyathos octo. præparato in modum prædictum. Iuuat lienosos, hydropicos, præcordiorúmq; tensiones. Prodest & ischiadicis, hoc est coxendice affectis, articularijs. Nos adijcimus medicamento, myrrhę vncias duas semis, aceti vncias quatuor.

¶*Ad schirrhosos lienis affectus. Vtebatur Tryphon Gortyniates.*

Fœnugræci moliti, sinapis, mannæ thuris, singulorum sextarium vnum, myrobalani expressionis sextarij dimidium, nitri spumæ vncias tres. in tenuissimum redacta læuorem, mixtáque, decocto cedrino oleo excipito, ita vt emplastri liquidi crassitiem obtineat. vsus eius est per interuallum. applicandi medicamenti tempus est ante balneum, quãtum æger tolerare potest: deinde hoc illigato, in balneum ducendus est: post reliquam corporis curam, soliũ ingredi debet, atque ita in aqua soluenda fascia.

¶*Aliud splenicis vna die efficax. Cæterum antequam medicamentum imponitur, tribus diebus certa victus ratione vtimur.*

Myrrhæ, mannæ thuris, singulorum vncias tres, sinapis alexandrini, cardamomi, singulorum vncias binas, aceti scyllitici quod satis est. sinapi, cardamomúmque trita cribratáque, mannam autem, & myrrham læuigata inijcito arida, acetóque subacta, instar malagmatis efficito, reponitóque ab hora secunda vsque ad nonam, deinde duabus obuinctum fascijs in balneum ducimus, & vbi laxatæ fuerint, in solium descendet, in quo diutius detineatur extra aquã tibias habens. Atqui ne animo deficiat, acetum pulegiũmq; olfaciet, fasciásq; paulatim dissoluet. exeunti autem è balneo, salsamentum absque pane dandum, & vinum marina aqua temperatum. Porrò in sequenti die eadem exhibenda, tertio vero exercitijs vtendum, ijs quæ spiritum possunt exacuere.

¶*Aliud, Arii Tarsei. vsus ex interuallo.*

Ficorum pinguissimorum, sinapis, capparis radicis corticis, singulorum libram vnam, aceti quod sufficit.

¶*Aliud, Diodori.*

Sinapis, nasturtij, fœnugręci, seminis lini, myrobalani expressionis, singulorum drachmas octo. excipito cedrini liquore decocto, atque cum aceto scyllitico subigito. vsus eius ante balneum. Medicamentum vtile est etiã post vsum, sanguinem meientibus.

*Medicamenta ab eodem Asclepiade in quarto externorum descripta ad lienosos & hydropicos, quæ ad verbum sic habent.*

Epithema lienosis, tumores liquat. Sambuci foliorũ tenellorum libras tres, aloës pinguis libram vnam. trita cum aceto læuigatáque emplastri in modum linteo imponito. *Aliud.* Ericæ fructus libram vnam. contusum fructum cribra túmque galbano excipito, rursúsq; contundito, irini sedimẽtum attingens, vt malagmatis formam acquirat, deinde illitum linteolo imponito.

*Malagma ad lienosos.*

Glandis vnguentariæ corticum contusorum cribratorúmque minæ dimidium, & expressi tantũdem, ceræ drachmæ sex, resinæ terebinthinæ drachmæ triginta duæ, galbani drachmæ decem, irini exiguum. quæ liquari possunt siccis adijciuntur.

*Aliud valde generosum.*

Glandis vnguentariæ farinæ vnciæ tres, nitri vncia vna, (secundum alios vnciæ quatuor) ceræ vncię sex, terebinthinę vncię octo, aceti quod satis est. lienem consumit.

*Malagma ex cedrino liquore, lienosis, hydropicis accommodatum. vrinas multas citat, & lienem imminuit. oportet autem simul cum medicamento lauare, & quod à cute recedit amputare, hoc est spleniũ, nam tandiu medicamentum adhærere oportet, quousque sua sponte excidit. compositio hæc est.*

Visci quercini libra, calcis viuæ vnciæ sex, lapidis asij floris vnciæ quatuor, cedrini liquoris vnciæ tres. viscum incoquito in olla ærea: vbi flauus euaserit, cedrinum liquorem inijcito, continue mouens. arida læuigata adiungito. deinde vbi ab igne sustuleris, sinito modice refrigerari: deinde illitum in pellem albam quæ à spina dicitur, imponito locis affectis, iubetóque simul lauare, vsque dum sua sponte splenium excidat. conuenit tamen, vt etiam superius dictum est, partes recedentes splenij amputare.

*Aliud vehementer generosum.*

Lapidis asij floris vnciæ duæ, lapidis gagatis vncia vna, calcis non restinctæ vnciæ octo, visci quercini libra vna. præparato & vtitor.

*Malagma Antiochidis ad lienosos, hydropicos, ischiadicos, articularios, paratum est Fabillæ.*

Ceræ libræ tres, resinæ terebinthinæ libræ tres, myrobalani expressi libra vna, nitri spumæ libra vna, lapidis asij floris libra vna, guttæ ammoniaci libra vna, olei cyprini librę tres. acetum ad ammoniacum dissoluendum.

*Aliud Fabillæ compositum, admodum efficax ad easdem dispositiones.*

Myrrhę stillaticæ libræ duę, opopanacis, galbanę, masticheS, lapidis asij floris, styracis, liquoris sycomori, canchryos, singulorum libra vna, piperis albi vnciæ sex, ceræ librę quinque, terebinthinæ tantundem. κοπτὸν, id est, quod cõtundatur est medicamentum, atque oportet contundendo attingere irini vnguenti sedimentum, vt medicamentum tactu mollissimum fiat. etenim repositum tactu mollissimum efficitur.

*Malagma quod etiam chrysizusan, ab aureo colore, vocamus.*

Arsenici vncia vna, aluminis scissi vnciæ duæ, calcis nõ restinctæ vnciæ duæ.

arida contundimus, cribramus, & in pilam conijcimus, his adijciuntur aceti cyathi octo, & læuigata diligenter excipimus liquidis. sunt autem hæc. ceræ libra vna, resinæ frictæ libræ duæ, pityinæ tantundem. hæc liquefacta sinimus refrigerari, & derasa adijcimus læuigatis. nos adiecimus medicamenti cófectioni, myrrhæ vncias duas.

*Aliud. hoc vsus est Andromachus. benefacit lienosis, hydropicis, & præcordiorum distentionibus. confert coxendicũ doloribus & articulis. Item valet ad dispositiones inueteratas.*

Ceræ libra vna, picis brutiæ tantundẽ. loco resinæ frictæ, picem inijcimus. olei cyathi octo, arsenici aurei coloris vnciæ duæ, aluminis scissi vnciæ duæ, calcis non restinctæ tãtundem. præparato vt dictum est. nos addidimus medicamento, myrrhæ vncias duas, visci quercini vncias quatuor.

*Ad diuturnas lienis scirrhosas dispositiones, authemeron, quòd eodem die morbum soluat, appellatum. oportet autem antequam medicamentum illiges, ad tres dies ægrotantem victus ratione certa deducas.*

Myrrhæ, mannæ thuris, singulorum vnciæ tres, sinapis alexandrini vnciæ duæ, nasturtij tantundem, aceti scyllitici quod satis est. Contusa cribratáque arida aceto conspersa, vt malagmatis formam accipiant, illita in linteolum imponito, ab hora secunda vsque ad nonam conseruans, & fasciola impositum malagma continens, deinde in balneum mittito, ita illigatum: & cum probe laxatum fuerit, in solium deducito, iubens vt extra id pedes habeat, & diutius immoretur. porro ad horum recreationem, acetum, & pulegium naribus admouemus, conamúrque paulatim fasciolam soluere: sint autem duæ quæ malagmati incumbant. quum fasciolę tollũtur, auferimus etiam malagma iniectũ, ac locos dolentes abunde fouemus: egresso balneum, salsamentũ exhibemus citra panem, item vinum marina confectum. insequẽti die idem facimus, tertio idem. exercitijs vtimur, quæ spiritum possunt exacuere.

*Aliud Critonis Gortyniatæ cretensis, medicamen approbatum.*

Fœnugræci moliti sextarius vnus, glandis vnguentariæ expressionis dimidium, nitri spumæ vnciæ tres. Omnia lęuigata cedrino liquore excipito. conuenit autem prius hunc coctum inspissescere, vt cerati habeat crassitiem. vsus est ante balneum, quantum æger ferre potest: à balneo, ceratum inijcimus.

*Aliud, cui titulus est authemeron, eodem die à dispositione liberat.*

Pyrethri drachmæ viginti, glãdis vnguentariæ vnciæ octo, cardamomi vnciæ octo, vrticæ seminis vnciæ octo, sinapis sextarij dimidium. Omnia læuigata, & aceto conspersa imponito per interualla ad horas tres, si æger potest sustinere: deinde sublato medicamento lauare præcipito. in balneo, vtendum est cerato ex rosaceo parato.

*Aliud, tumorem diminuit.*

Lapidis asij floris, nitri rubri, glandis vnguentariæ expressionis, guttæ amoniaci, singulorum drachmæ vigintiquatuor, capparis radicis corticis drachmæ octo, raphani seminis drachmę decem, aut etiã succi cyathus vnus, aceti quàm acerrimi quòd satis est, visci quercini drachmę quadraginta. dissoluito ammoniacum succo sambuci, aut tamaricis, aut trifolij. arida contundito, incernitóque cribro tenuissimo. aceto conspersis mixtisque, viscum adijcito,

rursus contusis exceptísque vtitor.

¶ *Quæ Archigenes in primo de medicamentis secundum genera præceperit, ad lienosos.*

In lienosis præcedente similiter tota victus ratione, ex compositionibus quę mox scribētur, his vtitor. Potio quidē erit aqua, in qua ferrum ignitū sæpe restinctum sit, febre carentibus quidem, cum vino: febricitantibus, aquam potui dato. aut anagallidis cęruleo flore obolum vnum, cum oxymelite, aut serpillum, cum aceto, aut panacis radicem viridem, cum mulsa propinato, aut semē similiter. mulsam vero prius aeri exponito. aut periclymeni radicis corticē, & fructus quantum tribus digitis comprehendi potest, ex mero vino calido, ac albo, potui dato ieiuno ad quadraginta dies, aut vulpis aridum iecur, cum oxymelite dato potui, aut cuminū æthiopicum similiter iecori, cum oxymelite, aut ari radicis corticis drachmam semissem, cum oxymelitis cyathis tribus, aut polium similitet cum oxymelite, aut hederæ albę grana tria, cum tribus oxymelitis cyathis, aut capparis folia læuia sicca, cum mero propina. cæterum lienosos hisce applicato cataplasmatis. ad iecorarios. præterea cinis ex fornace ęrario cū aceto, aut cappari macerata aceto, excepta cerato cyprino, aut id quod ex nasturtio, fœnugræco, calce viua constat, nitro, & melle emolliens imponito, aut fœnugræcum, calcem viuam, nitrum, & mel emolliens inducito, aut lepidij folia inducito. quum autem iam mordentur, inducēs in balneum, sublato medicamento, in feruidam collocato continetóque, nam ægre ferent quum nimium mordentur, sani autem egrediuntur. idem etiā in coxendicum doloribus confert. Aut glandis vnguentariæ expressum aceto macerans rosaceo misceto, & imponito. Aut fœnugræci & nasturtij parem modum, mannę dupli catum, calcis viuæ momentum, cum melle vt emplastrum splenium imponito. Aut fæcem ex aceto acri inducito, capparis radicem ex aceto, aut spongiam ex aceto acerrimo. summe facit glandis vnguentariæ putamen, & nitri pars tertia. læuia aceto macerans, resinam & ceram modicè oleo liquefactā superfundito, & emollitis vtitor. quòd si malum perseueret, cucurbitulas admoueto, scalpello exasperans. Porrò quę appendūtur, & succurrunt hepati & lieni, hæc probata videntur esse, vena in sinistro latere diuisa, sanguine lienem affectum confricato.

¶ *De hydrope, id est aqua intercutem.*

Hydropicorum medicamenta, & alia communia ipsis lienosis sunt, & alia quædam in multum vsum idonea, tum ad prædictos affectus, tum ad durities, & quodcunque discutere ac digerere conuenit, etsi iam purulenta sit constitutio. incipiam autē etiam in his ab illis quæ Asclepiades tradidit.

¶ *Quæ Asclepiades medicamenta ad nominatos affectus tradiderit in quarto interiorum quæ Marcellas inscribit.*

Epithema hydropicis admodum efficax, & humorem inhærentē absorbet. Farris, quod vocamus zeā, moliti sextarij duo, lapidis asij floris sextarius vnus, mannæ libra vna. lænigata diligenter adipe suillo veteri elaborato, in vinóq; madefacto tota nocte, excipito. mensura autem adipis esto quanta iniecta potest tactu lene medicamentum efficere. besasa, semen autem est syluestris rutę, quam nunc indigenæ harmola vocant, quod in syria nascitur, huius contusi

sextarius vnus, mannæ sextarij dimidiũ, adipis suilli veteris quantum sufficit. præparato, vt superius traditum est. *Aliud.* Ficuum pinguissimarum libræ tres, origani libra vna (nõnulli cumini librã vnã ponunt) sulfuris viui vnciæ tres, cochlearum africanarum libra vna. arida contundito, incernito, & excipito fi=cubus contusis, cum carnibus cochlearum. illita in linteolum imponito, mellis cocti quantum satis est adijcito.

*Aliud, ex commentariis Critonis.*

Fœnugræci moliti cribratiq; sextarij duo, sulfuris viui libræ duæ semis. arida leuissima melle cocto excipito, deinde illita in linteolum in noctem imponito. die autem vtitor, & manè, subscripta quoque confectione, ceræ libra vna, picis aridę tantundem. liquida aridis affunduntur.

*Malagma cui titulus est poterion, humiditates in alto absumit & scirrhos dissoluit.*

Ceræ, picis aridæ, singulorum libræ duæ, aluminis liquidi, sulfuris viui, mãnæ, nitri rubri, singulorum libra vna, resinæ frictæ libræ quatuor, olei veteris hemina vna, aceti vt sicca dissoluantur quantum sufficit, ac vtitor præparato ceu nobili.

*Aliud generosum, aut poterion medicamentum approbatum, benefacit hydropicis, lienosis & inueteratis dispositionibus.*

Resinæ frictæ libræ quatuor, ceræ libræ duæ, sulfuris viui libra vna, picis liquidæ libræ duæ, aluminis liquidi libra vna, nitri rubri tantundẽ, aristolochiæ quadrans, bdellij tantundem, amomi vuæ quadrans, cucumeris syluatici radicis quadrans, aloës selibra, pyrethri quadrans, guttæ ammoniacæ quadrans, visci quercini quadrans, liquoris sycomori quadrans, aceti sesquisextarius. aut vinum italicum in vicem aceti inijcimus. olei heminæ tres. præparatur in modum prædictum.

*Malagma diadaphnidon, hoc est ex lauri baccis, lienosis, hydropicis dissoluit omnem duritiem, abscessus in alto absumit.*

Ceræ, resinæ piceæ, picis brutiæ, baccarum lauri siccarum, nitri rubri, guttæ ammoniacæ, seui vitulini elaborati, singulæ libræ. arida contunduntur, incernunturq; tenuissimo cribro. quæ liquari possunt, liquãtur, refrigerantúrq;, & aridis superinijciuntur. rursus contusis exceptísque vtimur. *Aliud.* Baccarum lauri, picis, mannæ, seui taurini, ammoniaci suffiminis, ceræ, singulæ libræ. præparantur modo prædicto.

*Quod ad Cureum refertur splenicum, hydropicum.*

Hoc Cureus ex Bythinia vir vtens, coxendicum dolores in totum dissoluit. Picis aridæ libræ quatuor, ceræ, resinæ piceæ, ammoniaci thymiamatis, nitri rubri, singulorum librę duę, seui taurini libra vna (in alio etiam iridis libræ duæ) cachryos vnciæ octodecim, farinæ fœnugræci pollinis, chamæleontis nigri radicis contusæ læuissimæ, singuli sextarij, cumini admodum læuis sesquisextarius, passi sextarius vnus. in alio exemplari est, anisi læuissimi sextarij dimidium, pollinem verò non habet.

*Alia Bithyne dicta, medicamentum ad suprà dictas dispositiones accommodatum.*

Picis brutiæ libræ quatuor, resinæ piceæ, ceræ, guttæ ammoniaci, singulorũ

libræ duæ, medullæ ceruinæ libra vna, seui taurini elaborati libra vna, liquoris sycomori libra vna, lapidis asij floris vnciæ sex, chamæleontis nigri corticis contusæ tantundem, baccarum lauri siccarū selibra, farinæ iridis selibra, dauci cretensis seminis contusi vnciæ quatuor, petroselini vnciæ quatuor, cumini æthiopici vnciæ quatuor, anisi vnciæ quatuor, salis hispani vnciæ sex, aphronitri vnciæ sex, cyprini tantundem, vini falerni quantum sufficit. arida macerata præparato vti indicatum est.

¶ *Malagma dia spermaton, hoc est ex seminibus, medicamentum prædictis dispositionibus accommodum. hoc vsus est Olympius.*

Ceræ terebinthinæ, guttæ ammoniacæ, seui taurini, anisi, fœnugræci, petroselini, singulorum drachmæ centum, ameos illyricæ, iridis illyricę, singulorum drachmæ quinquaginta, panacis drachmæ centum, nitri drachmę quinquaginta, glycyrrizæ tātundem, cyperi, herbæ sabinę, sampsuchi, meliloti, singulorum drachmę vigintiquinq;, cardamomi, casiæ fistulæ, nardi gallicæ, dauci cretensis radicis, singulorum drachmæ duodecim semis, mellis heminæ dimidium, vini odori quantum sufficit. præparato, vt ostensum est. *Aliud.* Ceræ, guttæ ammoniacæ, terebinthinæ, singulæ minæ, sampsuchi minæ dimidium, iridis illyricæ minæ quarta pars, quod est drachmæ triginta, lini seminis torrefacti, adipis taurini, cucumeris syluatici radicis siccæ, anisi, apij seminis, ameos, cumini, fœniculi, nitri, singulorum minę quatuor, piperis drachmę duodecim semis, mellis hemina, vini sesquihemina, cyprini sesquihemina, aceti sesquihemina. componito, & vtitor.

¶ *Ex scriptis Andromachi ad hydropicos & inflationes.*

Picis liquidæ libræ duæ, ceræ libra vna, nitri drachmæ sex, sulfuris viui vnciæ sex, aluminis tantundem.

¶ *Ad hydropicos Cleophante authore.*

Ceræ, resinæ, aphronitri, singulorum drachmæ centum, galbani drachmæ duodecim semis, propolis drachmæ duodecim semis, guttæ ammoniacæ tantundem, cyprini cyathi duo, aceti tantundem.

¶ *Medicamenta Archigenis ex secundo medicamentorum secundum genus.*

Hydropicis eam victus rationem, quæ conuenit præscribito. oblinito quidē stercore bouis gregarij, siccato autem id diligenter, & læuigatum in posca coquito polentæ ordeaceæ modo, aspersa sulfuris viui quarta parte, & toti ventris spatio superaccommodato. Musa oblinebat ipsos elaterio, herba pedicularia, hyssopo, felle taurino, æquali portione, ficubus contusis exceptis. aut cucumeris syluatici radicis in vino coctę mina vna, aut ficuum similiter coctārū minæ dimidium. hæc simul læuigato, decoctum ipsis affundens, vsq; dum malagmatis formā effeceris: deinde mixta ipsius althææ læuis radicis pari portione, & vnà concoquens læuigato, atque sic applicato. Aut stercora caprilla in pueri impubis vrina coquens, aut in ipsius capræ vrina sordium crassitiem fingens admoueto. Summè ipsos per aluum purgat. *Aliud.* Veratrum nigrum, fel taurinum, nitrum, piper, æquali pondere, cum melle ventri ad horam dimidiā obducēs. Per totū autē curationis cursum, propinabis hæc. Cotyledonis drachma vna, scyllæ puræ siccæ libra vna. ex mulso tēperato quotidie dato. Aut ari radicis corticis drachma vna, cneorij, quā nōnulli chamæleon vocant, dra-

chmæ tres, ſucci arundinum, quæ ad radices tenera tubercula habent, cyathi tres mixtos prædictis quotidiè potui dato. Optimè autem hoc facit, cancri fluuiatilis ſicci ſine pedibus, & alis, læuigati drachma vna, opij obolus vnus. mixta aqua eiuſdē fluuij, vnde cancri ſumuntur, potui dato. nōnunquam autē in vicem opij opobalſami par modus adijcitur. Aut corallij drachma vna, aluminis ſciſſi drachma vna oboli duo. læuigata cū calaminthæ diluto paſtillos duorum obolorum fingito, datóque potui ex calaminthæ aqua obolum. Summè facit etiam nephreticis. Aut radicē calaminthæ decoctā propinato, aut quod ſion dicitur. hoc etiam eſui exhibeto. Aut tribuli folia, radicémve cum vino dato. Vel in balneo ſale & oleo diligenter quouſq; ſudauerint inunctos educito. Et ſolos teſtes, vbi ablueris deſudantes primum linteis, deinde reliquis tegumentis coapertos, tollito, ac dato furnaceum panem, cum ficubus ſiccis cōpioſis eſui. propinato autem vinum nigrum italicum, aut ſpicatum recens, in quo ficuum vnciæ quatuor decoctæ ſint in ſextarijs ſex, vſque dum tertia pars relicta fuerit. purgat per vrinas. Aut capræ vrinæ cochlearium, cum nardi drachma calefactum, propinato. Aut cucumerem ſyluaticum vino nardino, aut aminæo macerato ter, huius diluti cyathum vnum dato, & augeto paulatim vſque ad cyathos ternos. Aut ſeſeli potui, aut eſui dato. Vel daphnoidē læuē lupini inſtar inſpergens potui, exhibeto. vrinas copioſè educit. Aut ari radicis corticem in vino. Aut ſquamæ æris drachmam vnam. panis mica excepta in catapotia cogito datóq; aquam validè educit. Aut æris cremati drachma vna, rutæ ramuſculi tres, ſtercoris columbini drachma vna, ſalis communis momentum, cum vino epheſio, & aqua. tota miſtura heminæ dimidium eſt, exhibeto. Summè faciunt & theriacæ, & quæ vrinæ ciendæ ſunt: itē potiones aquā educētes, quibus vnuſquiſque ſecure vti conſueuit, vel catapotia. Oblinito autem hydropicos plurimum in ſole capite cooperto, miſcens ſalem oleo copioſum, ſuperfunditóque muria calida liberaliter, locos præſertim inflatos, veſicis bonæ magnitudinis inflatis diligenter pulſato quotidie continuè, conſtringentur enim, & deprimentur. diuiſis etiam ipſorum talis, vel etiam ſacrificatis in lectica geſtato, multus enim humor effluere ipſis ſolet.

¶ *Ad eaſdem diſpoſitiones, medicamentum Biennii.*

Croci, opij, opopanacis, myrrhę, iridis, acori, mandragoræ, aſari, coſti, nardi indicæ, dauci cretici, meu, ſingulorum drachmæ octo, piperis albi, & longi, opij, gentianæ, ſtœchados, caſiæ, phu pontici, ſingulorum drachmæ octo. melle excipito.

¶ *De medicamentis anodynis & colicis.*

Huiuſmodi medicamentis magni doloris, aut vigiliarum gratia, vti conſuēuimus, aut ne quis propter violentam tuſſem conuellatur, vt in ſanguinis eruptione nōnunquam, & difficilibus diſtillationibus accidit. in moderatioribus prædictis affectibus, abunde ſunt facultates ex ſeminibus confectæ, quæ peculiari nomine, quòd tuſſi proſint, bechicæ nominantur. habent ſanè hæ quoque nōnihil ex medicamentis torporem inducentibus, ſed exiguum inter multa ſemina, quæ & odorata ſunt, & tenuium partium, vrinæ'que ciendæ. appellant ea ſubinde medici etiam citra nomen ſeminis appoſitum, cuminum dicentes, daucum, ſeſeli, apium, & aniſum. Itaq; eiuſmodi medicamentorum compoſi-

tiones, inter medicinas tussi efficaces comprehēsæ sunt. Anodynā autem & colica, quæ illis sunt congenera, verū multo facultatibus vehementiora, hoc sermone persequar. Prima igitur ipsorum, vt apparet, olim Philonis confectio celebris extitit, de qua ipsē hos elegos conscripsit.

» Nobilis ille Philo Tharseus me repperit arte,
» Per me consueuit, multus abire dolor.
» Seu patitur colo quis, seu iecur afficit ipsum,
» Seu vrina impediat, seu lapis excruciet.
» Iam splenem sano, & recto suspiria collo,
» Et tabi medeor, si quoque spasmus adest:
» Si costas membrana tegens ardore laborat,
» Siq; sputum, aut vomitus sanguinis exagitat,
» Subtraho morte statim, proprijs virtutibus ęgros
» Viscera sic omni cuncta dolore leuo.
» Et quando fauces tussi quatiuntur atroci,
» Atq; vias humor, spiritus obsideat.
» Aufero singultum, necnon si defluat humor
» Ex capite in pectus confero pręsidium.
» Scripta quidē sapientibus: ijs ego grandia præsto,
» Sed stolidis nunquam gratificata viris.
» Flauum immitte pilū, fragrantē, cuius in herbis *agris*
» Hermæis sanies splendida conspicitur:
» Nempe croci pondus, mentes hominis, neq; enim hoc est *sensibus*
» Obscurum, drachmam Nauplij Euboēi.
» Illius atque rei quam armenti ventre reponunt
» Drachmam, quæ Patrocli tertia causa necis.
» Ignei & Argenni bis denas ponito drachmas,
» Et totidem cyami bestiæ ab Arcadia.
» Radicis falso dictæ denarius esto,
» Quam regio Pissæ gignit alumna Iouis.
» Ποῖον vbi scribis, primum ipsi imponito maris
» Articulum, & drachmis associato decem.
» Lucus gnatarum Tauri finitimus ipsis
» Cecropidis, Tricces vt referunt medici.

*Aenigmatice scripta remedij formula. ʒ. Actuar. habet. pag. 14. huius Voluminis*

In hisce versibus Philon, croci drachmas quinque inijci iubet, pyrethri vnā, euphorbij vnam, spicę nardi vnam, piperis albi, & alterci, equalem portionem, vtriusq; drachmas viginti, opij drachmas decem. Primi igitur duo versus crocum indicant, flauum quidem colore, capillarem autem tenuitate, saniem verò croci dicit inter hermęas, hoc est, Mercurij herbas splendescere. Quoniam adolescens cognomēto Crocus, vnà cum Mercurio disco ludens, deinde cum per negligentiam discus ei in caput incideret, factum est vt statim moreretur, sanguine autem in terram defuso, crocus inde prouenit. splēdescere porrò dixit saniem, hoc est occisi sanguinem, propter croci coloris splendorem. Scribitur autem versus non solum in herbis, sed etiam campis hoc pacto,

*Croci metamorphosis*

» Hermæis campis, splendida conspicitur.

Pondus croci, quinq; drachmas eſſe vult, cũ mentes hominis dixit ſenſus numẽro quinq;. At quòd drachmas quinq; eſſe vult, non obolos, nõ libras, nec aliud quippiam huiuſmodi, ex ſequentibus innoteſcit, cum primũ ſanè dixerit, miſceto etiam drachmã Nauplij Euboei, deinde alijs quoq; adiecerit idem nomen drachmę. Itaque Nauplium Euboea, pyrethrum intelligit: eò quòd Nauplius grandibus rogis combuſtis, vt aiunt, in Eubœæ palude, multis græcorũ impoſuit, vt ad regionem bene paluſtrem nauigantes interirent. quod eum feciſſe aiunt, propter Palamedis mortem. quinetiam euphorbium ænigmaticè ſimiliter his, enarrauit iſto verſu,

Quæ Patrocli tertia cauſa necis.

Quandoquidem Poeta Patroclum hæc dicentem fecit,

„ Fatum me occidit dirum, Latonæ filius, atque

„ Ille hominum Euphorbus.

Armentorum autem, hoc eſt ouium in ventre ait ſeruari euphorbium, quoniam hunc ſolum non erodit, ideóq; medicamentum in eo reponi poteſt. Cæterum liquor eſt ſtirpis cuiuſdã ſpinoſę in Mauruſiorũ terra prouenientis, facultate calidiſſimus: ac de eo exiguus quidã libellus Ioue Mauruſiorũ regi cõſcriptus eſt. Deinde Philo ait, drachmas Argenni ignei viginti immittito, albũ piper intelligens, quod ſtomacho accommodatius acriũſque nigro eſt. Cæterũ vigenas drachmas inijciendas cenſet ſeminis hyoſcyami, feræ Arcadicæ, quoniam Erymãthium aprum Hercules in Arcadum terra procreatum occidiſſe dicitur. Nardi drachmam vnam inijci vult, quam falſo nomine radicem dixit, quoniam ſpica nardi nuncupatur. Vult autem ipſam eſſe Cretenſem, vbi „ ait, quam locus protulit, qui Piſſę Iouem generauit. quoniam fabulatores Iouẽ inquiunt in Dictæo monte Cretẽſi altum eſſe, cum à matre Rhea occultaretur, ne etiam ipſe à patre Saturno deuoraretur. Appoſuit autẽ Ioui Piſſam, vt multi ſolẽt, etiam citra poeticam artem in vita dicere, per Aeſculapium, qui eſt in Pergamo: Per Dianam, quæ eſt in Epheſo: Per Iouẽ, qui eſt apud Delphos: Per ignem, qui eſt in Eleuſine. Nõnulli verò non Creticam regionem, ſed Indicam dictam eſſe pronuntiant, vnde elephas adfertur. hinc enim Iouis in Piſſa ſimulachrum partũ eſſe, hoc eſt generatum. His omnibus inijci iubet papaueris liquorẽ, qui à medicis opiũ proprie nominari ſolet, cum nullus aliorum liquorum, etſi multi ſint, neutro genere proferatur. Cum igitur nomẽ ex õ litera & pion compoſitum ſit, ideo dixit,

Poiop vbi ſcribis, primum ipſi imponito maris

„ Articulum, & drachmis aſſociato decem:

Quod eſt inijcito etiam opij drachmas decem. Reſtat quo omnia hæc læuigata excipiũtur, mel obſcure ab ipſo nuncupatum lucus Tauri filiarum, quoniam tauris putreſcẽtibus apes generari dicuntur: atticum ipſum eſſe cupiẽs, genere finitimum dixit Cecropidis, hoc eſt Atheniẽſibus. Poſtremo verſu indicat Aſclepiadas quoque ſic nominari: ex Tricca enim genus ipſorum eſt, vt teſtatur poeta. Hoc fere primum anodynorum antidotorum celebre extitit, huic autem quidam addiderunt, alij ademerunt, nonnulli menſuris euariantes, principalium antidotorum anodynων numerum fecerunt, quæ etiam colica appellant, nomen ab affectu maximos dolores experiunte deſumentes.

Ego autem primum generales compositionis ipsorum modos expediam, deinde, vt consueui, particularium materiam enumerabo. Itaq; opium, omnium quæ sensum stupefaciunt somnúmque torpidum inducunt, valentissimum est. efficit autem, hæc etiam sola sapa immersum: deinde exceptum panni flocco sedíque impositum: item si fronti, & naribus oblinatur. At si cum alio quodam vim ipsius mitigante fuerit commixtum, hæc efficiet moderatius. Cæterum quæ miscentur, ex eorum genere esse conuenit, quæ aut concoquere, aut lenire dispositionem dolorificam possunt, aut humores eos excitātes per halitū discutere, aut incidere & extenuare, aut per totam substantiā immutare. Non tamen ignorare vos arbitror optimum esse compositionis scopū, cum ad tria quis respicit, nempe vt sensum obtundat, nihil postea ex hoc offensæ in particula permaneat, postremo, quod maximum est, vt dispositioni auxilietur. Huc itaque respiciens, videtur mihi Philon propositum in disputatione medicamentum composuisse, ex alterci quidem, & opij mistura, somnum torpidum, & facultatis sensoriæ stuporem moliri cupiens. Vt autem citius distribuantur permeéntque totam penitiorem affectarum partium substantiam, calefacientia adiecit, pyrethrum, euphorbium, & piper, quę noxios humores per halitum digerere, viscosos abstergere, crassos incidere, & flatulentos spiritus attenuare vacuaréque possunt. Cæterum non exigua vis omnium frigidarum dispositionum concoctoria in nardo existit, non tamen Cretensem nardum inijcere oportet, neque prorsus quæ apud nos generatur, quam montanam, & nardinam herbam potius, quàm nardum appellant. Est itaque nardus gallica bonum remedium, quemadmodum & indica, verum illa multo inferior, sicut & hac montana est. Porrò sicut ex aromaticis dictis medicamentis nardum solam Philon iniecit: sic qui illius ætate extiterunt, alius aliud adiecere, nonnulli plura. verum quæ adijciuntur hæc sunt. Iunci odorati flos, casia, cinnamomū, amomū, & costus. Quēadmodū rursus crocū indidit, crudos humores dispositionésq; cōcoquentē: ita alij myrrhā, & castoreū miscuerūt. plurimi vero ipsorū recte se gerētes, hęc quoq; cōsueta semina, de quibus etiā antea in medicamētis diaspermaton tractatū est, vt medicamēti amari insuauitas obtūderetur, ídq; totū facilius distribueretur, & vrinā moueret. Quòd si humorū crassitiē attenuare oporteat, hoc quoq; efficiētia. Dico autē apij semē, cumini, anisi, dauci, petroselini, aliáq; id genus. Apponam igitur iam etiam particularium materierum, quæ à maioribus probatę sunt, congeriem.

*Quas Andromachus conscripserit colicas.*

Primam quidem ipsarum ad verbum hoc pacto tradidit. *Colice Cassij.* Anisi drachmæ sex, apij seminis drachmæ duodecim, nardi drachmæ quatuor (nonnulli sex) castorei drachmę tres, petroselini drachmę quatuor (alij tres) piperis albi drachmę quinq;, & lōgi tātūdē, scyuri drachmę sex, iūci odorati drachmæ tres, liquoris papaueris drachmę sex, croci drachmę tres. excipito melle cocto. nōnulli & cinnamomi drachmā vnā, aut casiæ drachmas duas ponūt. ad sumū datur instar paruę nucis regię, ex aquę calidę cyathis tribus, minimū exiguę pōticæ.

*Colice altera ex iis quæ Andromachus prodidit hæc est. Alia Cassij, vt Crispus. facit etiam bene si extrinsecus imponatur.*

Anisi drachmæ duodecim, seminis apij drachmæ vigintiquatuor, nardi in-

dicæ tantundem, castorei drachmæ sex, seminis petroselini drachmæ sedecim, myrrhæ drachmæ duodecim, piperis albi totidem, & longi drachmæ decem, *iunci odorati drachmæ sex, opij, croci, casiæ, singulorum drachmæ duodecim, costi, acori, singulorum drachmæ sex. melle cocto excipiũtur, dantúrque nucis auellanæ instar, cum ternis aquæ cyathis. Hæ igitur duæ sunt compositiones medicamentorũ, quibus de paulo antè diximus. Quæ subsequitur, qua vsum se esse affirmat, ipsa nonnulla continet alia præter commemorata, congenera sanè, & opio & alterci semini, nempe mandragoræ pomorum succum, vel ipsius radicis, & cicutæ succũ: ita vero & phu ponticũ, quod nonnihil sanè obtinet nardo persimile: nõnihil petroselino, & seminibus, quæ vrinæ mouendæ sunt. At syluestris brassicæ semen, ex eorum numero habetur, quæ maxime attenuant, siccare & digerere possunt efficaciter. Ex ijs quæ vrinam citant, est & meu & asarum. Illyris, quam ne appellauit quidem iridẽ illyricam, concoquẽs medicamentum est, & attenuãs. Stœchas, putredinem arcet & extenuat. ipsum vero medicamentum ita Andromachus scripsit.

*Vetus legit, aluminis scissi, σχιστῆς pro σχοίνου.

*Colice Tullii, qua vtor.*

Mandragoræ pomorum succi drachmæ octo, vel radicis succi drachmæ decem, phu pontici drachmæ octo, brassicæ syluestris seminis tantundem, cicutæ succi drachmæ sedecim, costi, piperis albi, aut lõgi, myrrhæ, singulorũ drachmæ octo, opopanacis drachmæ sex, stœchados, dauci seminis, meu, asari, singulorũ drachmæ duodecim, cinnamomi, iridis illyricæ, acori, singulorum drachmæ octo. Post cõmemorata superius, habetur colice Abascanti, quã meæ cõcordẽ deprehẽdi. Anisi drachmæ decẽ, seseleos seminis drachmæ viginti, petroselini, nardi indicæ, piperis albi, & longi, singulorũ drachmæ tres oboli quatuor, opij drachmæ decem, myrrhæ tantundem, cumini æthiopici, castorei, iunci odorati, croci, singulorum drachmæ quinq;. melle cocto præparantur.

*Colice mirabilis qua vtor ad iliosos, & eos qbus stercus per vomitũ reiicitur in maximis doloribus, si detur fabæ istar, ex ternis, aut quaternis aquæ frigidæ cyathis.*

Piperis albi, alterci seminis, singulorum drachmæ quadraginta, opij drachmæ sex, croci drachmæ decem, spicæ nardi, euphorbij, pyrethri, singulorum drachmæ duæ. melle cocto excipiuntur.

*Alia efficax ad omnem inflationem.*

Sinonis, alterci seminis, piperis albi, singulorum drachmæ quadraginta, lachrymæ papaueris drachmæ viginti, croci drachmæ sex, opobalsami drachmæ tres. melle cocto excipiuntur.

*Colice Terentii Valentis.*

Sinonis, piperis albi, alterci seminis, singulorum drachmæ quadraginta, lachrymæ papaueris drachmæ viginti, croci drachmæ octo (alij drachmæ sex) mandragoræ corticis radicis drachmæ tres, mellis quod satis est. nonnulli opobalsami drachmas tres adijciunt.

*Colice Apollonii.*

Nardi drachmæ duæ, castorei, fœniculi, mandragoræ succi, costi, singulæ drachmæ, asari, spicæ nardi, singulorum drachmæ tres, opopanacis drachma vna, dauci cretici drachmæ tres, cinnamomi drachmæ quinque, piperis albi, & longi, iridis, myrrhæ, singulorum drachmæ duæ, lemnij sigilli drachmæ decẽ,

absynthij drachmæ duæ, mellis quod satis est. dato drachmam vnam ex aqua.

¶ *Colice Nicostrati, Isotheos appellata, æstimata duobus talentis, efficax ad stomachicos, lippientes, magno dolore infestatos, vteri cruciatus, ex mulsa, in qua ruta sit decocta.*

Croci sesquidrachma, nardi drachmę duæ, myrrhæ drachmæ octo, costi, piperis albi, & longi, galbani, singulorum drachma vna, opobalsami drachmæ quatuor, cinnamomi, mandragorę succi, castorei, singulorum drachmæ duæ, dauci seminis drachmæ quatuor semis, sagapeni drachmæ tres, casiæ drachmę quatuor. melle attico excipiuntur.

¶ *Colice, vt Scribonius.*

Cornus cerui teneri cremati cineris hemina, piperis albi, myrrhæ, singulorũ drachmę duæ. lęuigata dato cochleario vno, adiecta cochlea cruda in puluerem redacta, cum duobus vini cyathis, & aqua calida.

¶ *Colice, qua frequenter est vsus, perfecte liberans & reficiens.*

Gingiberis drachmæ tres, salicis tantundem, rutæ surculi tres aut quatuor, glandium palmæ drachmæ tres, aquæ cyathi tres. coniecta in ollam recentem coquito ad tertias. dato potui post accessionem, per tres dies, & interposito spatio idem facito ad dies plures medicamentum propinans.

¶ *Colice Tullii bona, qua & ipse vtor.*

Brassicæ syluestris seminis, pheu pontici, singulorum vnciæ sex, piperis albi, & longi, dauci seminis, singulorum drachmæ nouem, castorei, costi, opij, mandragoræ corticis, nardi indicæ, asari, iridis illyricæ, singulorum drachmæ sex, stœchados drachmæ nouem, cinnamomi drachma vna, casiæ daphnitidis drachmæ octodecim. melle cocto excipiuntur. dato fabæ ægyptiæ magnitudinē.

¶ *Colice, quam admirabatur Aristo, Diophanti Lucii.*

Centaureæ succi, castorei, scyllę tostæ, piperis albi, & longi, myrrhę, rutæ domesticæ, hyssopi, abrotani, iridis illyricæ, singulorum drachmę duæ, croci, guttæ ammoniacæ, acori radicis, pheu pontici, gingiberis, veratri nigri, singulæ drachmæ. oxymelite excipiuntur. dato drachmam ex oxymelite.

¶ *Colice vt Publius in Potiolio, & Apollonio.*

Polij drachmę sex, scordij drachmæ duodecim, gentianæ drachmæ quinq;, rutæ syluestris seminis drachmæ quatuor, liquoris cyrenaici drachmæ tres, minij lemnij drachmæ quinq;, myrrhæ drachmæ septē, opobalsami drachmæ octo, piperis albi drachmæ duæ semis, cachryos drachmæ quatuor, verbenacę herbę drachmæ duæ, pentaphylli drachmę quinq;. melle attico excepta, dātur nucis instar. ¶ *Quæ Asclepiades ad colicos affectus tradiderit.*

Catapaston ad coli inflationes Antonij pharmacopolæ. hoc vtens inclaruit. Chrysobalani, seseleos, astragali, singulorum vnciæ duę, iridis illyricæ, tragacanthę, singulorum vncia vna. hęc simul contusa, incretáq;, dantur cochlearij vnius mensura, vel minus, vel amplius, ex aquæ calidæ cyathis quaternis ante cibum. Gallinarum interiora omnia exempta coniectáq; in vas fictile torreto, læuia reponito: in vsu cochlearium vnum & dimidium dato, dauci cretici cōtusi incretiq; tantundem, ex mulsæ calidæ cyathis tribus.

¶ *Ad coli inflationes, Chariclis.*

Cumini æthiopici drachmæ sex, apij seminis drachmæ quinq;, dauci cretici

feminis drachmæ duæ, piperis albi drachma vna. tonsa cribrataque reponito. dantur cochlearia duo, cum ternis mulsæ cyathis. Rutæ syluestris siccæ seminis, seselis gallici, singulorum drachmæ octo, petroselini drachmæ quatuor, sinonis syriaci tantundem, piperis albi drachmæ duæ. contusa & increta, dato in modum prædictum.

*Quod lingi potest nectarion. Benefacit colicis, pleuriticis, difficulter spirantibus: mulieribus educit menses, præterea vim concoquendi obtinet.*

Cumini hispani vncia vna, piperis albi, gingiberis, singulorum par modus, vini dulcis, aut scybelitis, aut protropi sextarij tres, vini falerni sextarius vnus, mellis attici libra. arida contunduntur, incernuntúrq; crassiori cribro: deinde ex vino coquuntur ad tertias: hinc passum adijcitur, & rursum incoquuntur, agitare ipsa oportet surculis rutæ, quibus adiuncta sit salicis virgula, quíque inuoluti sint salicis cortice. habere conuenit etiam alteram virgulam, & rutæ ramusculos recētiores, vt primis siccatis, recentioribus medicamentū agites. Vbi vero liquor semel bísve efferbuerit, mel adijcito, rursúsque incoquito: deinde sacco trāsmissum liquorē reponito. cū vsus postulat, mystra tria dato ante cibū, & post. Fœniculi succi sextarij quatuor, croci drachmę quatuor. crocū in purū linteolū illigato: succū & mel mixta coquito vase fictili, mouetóq; croci ligamēto: vbi coierint vt atteriacę habeāt spissitudinē, crocū expressum proijcito, medicamētū verò reponito. cū vsus exigit, dato mystrū vnū, aut duo, ante cibum.

*Aliud Scribonii Largi, quod ex salice constat. toto affectu liberat.*

Salicis corticis drachmę quatuor, gingiberis sicci drachmę tres, palmarū numero sex, aquæ sesquisextarius. coquito omnia rutæ surculis agitans, ac vbi ad tertias peruenerint, liquorē exprimito, datóq; cyathos binos quotidie. Hoc faciundum est ad dies tres. ac rursus per triginta dies idē facito, vt sint in anno potiones triginta sex. medicamentum ad annum bibitur.

*In aliis scripturis ita habet.*

Salicis viridis corticis drachmæ quinq;, gingiberis sicci drachmæ quatuor, piperis albi tantundem, palmarum patetarum grandiū numero duę, aut tres, rutæ viridis ramusculi quinque, aquę pluuialis sextarij tres. coquito ad tertias, ac dato in modum prædictum.

*Paccii Antiochi, toto affectu liberat.*

Cornus ceruini dum tenerum est mollissimi cremati vt albescat cochlearia tria cumulata, satis ampla, piperis albi grana decem, aut nouem, myrrhæ exiguum, quod odorē tantummodo præstet. hæc omnia teruntur, cochlea lybica varia colore cum sua testa contunditur, læuigatúrque donec nullum vestigium appareat tessularum, postea vini falerni non saccati cyathi tres adijciuntur. Omnia commixta vase fictili super carbones calefacimus, mouentes diligenter ne quid subsidat ex medicamēto. Cum autem incaluerint, dato potui in ipsis accessionibus, ídque facere oportet per insequens biduum. Ac conuenit pridie à cibo abstinuisse, sequentibus diebus solo prandio vsos, cibum capere qui facile conficiatur distribuatúrque.

*Sigonis colice. hac vsus est Vales. Benefacit in summis doloribus, exhibita nucis auellanæ instar ex aquæ calidæ ternis cyathis, & statim cruciatus imminuit: præsertim, si pruritus per totum corpus obuenerit. Valet etiam diuturnis lieno-*

*sis, iliosisque affectibus, hepaticis. Confert ad febres circuitu remeantes, vteri strangulatus, & vesicæ affectus. est etiam bona arteriace.*

Sinonis syriaci, aut hispani drachmæ sexaginta, piperis albi drachmæ quadraginta, alterci albi seminis drachmæ quadraginta, opij, mandragoræ corticis, singulorum drachmæ decem, croci drachmæ sex, mellis cocti quantum reliquis excipiendis sufficit. Quo pondere dari conueniat ostensum est.

*In aliis scripturis ita habet.*

Sinonis hispani drachmæ sexaginta, piperis albi, alterci seminis, singulorũ drachmæ quadraginta, cornu ceruini combusti, opij, singulorum drachmæ viginti, mandragoræ corticis drachmæ decem, croci drachmæ sex, mellis quod satis est. *Lingonis colice ex frigida data, statim dolores soluit.*

Alterci albi seminis drachmæ viginti, opij, dauci cretici seminis, singulorũ drachmæ decẽ, petroselini drachmæ sex, croci, spicæ nardi, pyrethri, singulorum drachmæ quatuor, euphorbij, opobalsami, cinnamomi, singulorum drachmæ duæ. excipito melle cocto, ac dato fabæ ægyptiæ magnitudine, cũ aquę tepidæ, aut frigidæ cyathis tribus, in accessionibus.

*Anodynos colice, qua vsus est Cassius. facit & ad interiorum affectus. medicamentum admodum bonum.*

Anisi, nardi syriacæ, myrrhæ, singulorum drachmæ octo, piperis albi, & lõgi, singulorum drachmę duodecim, seseli seminis drachmæ sex, opij drachmæ sex, croci, castorei, petroselini, iunci odori floris, singulorum drachmæ quatuor, mellis attici decocti quod satis est. datur nucis auellanæ instar.

*Lucii anodynos colice, confestim dolores soluit. inscribitur Sicelice.*

Myrrhæ, alterci succi, opij, singulorum drachmæ octo, mandragoræ radicis, piperis albi, croci, thuris, singulorum drachmæ decem. excipiuntur melle, dantúrq; fabæ ægyptię magnitudine ex tribus aquę calidæ cyathis in noctem.

*Euschemi Spadontis inscripta, anodynos colice. bibitur ad dies triginta.*

Brassicę syluestris seminis, pheu, cinnamomi, ireos illyricæ, acori, asari, opopanacis, myrrhę, nardi indicæ, opij, costi, mandragoræ succi, castorei, singulorum drachmæ sex, triplicis piperis, dauci cretici seminis cõtusi drachmæ duodecim. excipiuntur melle cocto, datúrq; fabæ ægyptiæ pondus: febri carentibus, ex quatuor mulsi temperati cyathis: febricitantibus, ex mulsa. Hac etiam enematis loco vsus est medicamenti capiẽs quod nucẽ auellanã impleat, & fœnugræci decocti cyathos quatuor, olei in quo ruta decocta sit tantundem.

*Ad eosdem affectus Breniti medicamentum.*

Croci, opij, opopanacis, myrrhæ, iridis, acori, mãdragoræ, asari, costi, nardi indicę, dauci cretici, meu, singulorũ drachmę sex, piperis albi, & longi, liquoris gẽtianę, stœchados, casię, pheu pontici, singulorũ drachmæ octo. melle excipiuntur. *De dysentericis.*

De dysentericis, quę scire cõuenit vniuersim, cõprehẽsa iã à me sunt, nimirũ in medicatorię methodi cõmẽtarijs: necnõ in hoc ope, vbi de hepaticis agimus, explicata sunt. Reliquũ igitur est, vt de ijs, qui vere dysenterici sunt verba faciamus, in quibus neq; iecur affectũ est, neq; alia quædã dispositio preter intestinorũ exulcerationẽ, vel simplicẽ, vel cũ putredine quadã, obortã, quã medici consueto vocabulo, à depascẽdo, Nomen appellãt. Quę igitur a d eiusmodi af-

fectus ſunt vtilia, abunde iam vſu comprobata, hæc ab initio ſubſcribam.

*Quæ Andromachus ad dyſenteriam prodiderit.*

Potio ad dyſentericos & ſanguinem ſpuentes. Roſarum floris, opij, acaciæ, gummi, ſingulorum drachmæ tres, balauſtij tantundem, hypociſtidos ſucci tantundem, gallarum drachmæ duæ, plantaginis ſeminis totidem, & ſucci tantūdem, lycij indici drachma vna, roſarum ſucci tantundem. paſtillos, qui drachmam ſinguli pendeant, fingito. vtitor vario modo.

*Ad dyſentericos, & cœliacos, medicamentum ex fructibus, dia oporon appellatur.*

Mala punica integra viginti, mala cotonea tantundem, eruorum ſextarius vnus, prunorum ſylueſtrium ſextarij duo, ſorborum ephetinorū ſextarij duo, rhus ſyriaci ſextarij tres, pira terentiana viginti, mala (in alio cotonea) ceſtiana triginta, ſiliquæ quadraginta, myrtorum nigrorum ſextarij tres, muſti aminæi decocti ad tertias ſextarij quadragintaocto. coquito ſimul, ad mellis vſq; ſpiſſitudinem. reponito vaſe fictili.

*Alia dia oporon ad eadem. ſtomachum ſubuerſum reficit, & * extrinſecus imponitur.* *Vetus addit, intra aſſumitur.

Mala punica decem, mala cotonea viginti, mala hermiblaca quindecim, ſorborum ſextarij duo, meſpilorum, glandium, rhus ſyriaci, ſingulorum ſextarius vnus, rubi faſciculus qui manum impleat, myrtorum nigrorū ſextarius vnus, palmæ patetæ triginta, acinorū ſiccorū ſextarij dimidium, prunorū ſylueſtriū ſextarius, ſiliquæ magnæ decē, œnāthæ vnciæ ſex, cornorū ſextarius vnus, mala citria quinq;, paſſi cretici ſextarij ſedecim. cocta ſimul vaſe vitreo reponito. vtitor vt priori. *Ad dyſentericos quo vtor.*

Gallæ, ericæ ſeminis, opij, ſingulorum drachmæ quatuor. ex aqua paſtillos fingito, qui obolos binos pendeant. dato ex aqua, aut vino.

*Ad dyſentericos Clidion.*

Nardi, croci, ſingulorum drachmæ octo, aloēs drachmę quatuor (ego drachmas duas pono) thuris drachmę duę, acacię drachmę quatuor, myrrhæ drachmę quatuor, hypociſtidis ſucci drachmę quatuor (alij, drachmę ſex) roſarū ſiccarum, lycij indici, tragacanthi, ſingulorū drachmæ quatuor, opij drachmæ quatuor (alij drachma vna oboli duo) piperis drachmæ duæ. alij etiā iridis drachmas duas adijciunt, quidam & cinnamomi drachmas duas, & ſemis ponūt, gallæ drachmas duas. formato paſtillos ex aqua, qui obolos duos pendeant. dato cum myrtite.

*Ad dyſentericos & cœliacos, paſtillus Beritii.*

Nardi, croci, ſingulorum drachmæ duæ, myrrhæ, hypociſtidos ſucci, aloēs, opij, tragacanthæ, licij indici, gallæ, aniſi, acaciæ, piperis, rheu pontici, ſingulæ drachmæ. tragacanthum vino macerato, reliqua læuia admiſceto, fingitóque paſtillos, ſingulos drachmæ vnius pondere, ac dato ex vino.

*Ad dyſentericos Clidion.*

Acaciæ drachmæ vigintiquinq;, alterci ſeminis drachmæ quinquagintaſex, myrtorū cōtuſorū drachmæ centū ſexaginta, rhu ſyriaci drachmæ ſeptuaginta, & ſucci drachmę duæ ſemis, thuris drachmæ octogintaquinq;. omnia torrida læuigato, excipitóq; vino nigro. ad ſummum drachma ex his datur.

*Ad dysentericos, & cœliacos.*

Vini falerni sextarij sex, mellis attici libræ sex. simul incocta vsque dum abunde coierint vtitor. dato plenum cochlearium linctu.

*Ad dysentericos, & omnia interiora, pastillus Eudemi senioris.*

Croci, casiæ fistulæ, singulorum drachmæ duæ, myrrhæ, aluminis, liquoris papaueris, singulorum drachmæ duæ. ex aqua formato pastillos. dato dysentericis ex duobus vini cyathis, febricitātibus ex aqua, hepaticis & peripneumonicis ex mulsa, pleuriticis & tussientibus similiter.

*Aliud ad dysentericos.*

Fœniculi seminis, anisi, apij seminis, malicorij, singulorum drachmæ quatuor, opij drachmæ duæ. fingito ex aqua pastillos, qui obolos duos pendeāt, ac dato vnum.

*Ad dysentericos, & cœliacos, ex commentariis Antipatri.*

Piperis nigri drachmæ quatuor, gallæ tantundem, myrrhæ drachmæ duæ, croci tantundem, nardi drachma vna, lycij drachma vna, hypocistidos succi, acaciæ ramenti, loti, gummi, singulorum drachmę duæ, opij, aloës, anisi, singulæ drachmæ, rhus obsoniorum drachmæ duæ. rubi succo exceptis vtitor.

*Ad dysentericos, cœliacos, sanguinem spuentes, Cornelii medici.*

Myrrhæ, thuris, aloës, croci, opij, rhus syriaci, & coriarij, lycij indici, acaciæ, malicorij, hypocistidos succi, gallæ, balaustij, singulorum par modus. formato pastillos triobolares. dato in noctem, ijs qui febre carent, ex vino: febricitantibus, ex frigida.

*Aliud ad dysentericos Valentis.*

Myricæ fructus, rhus syriaci, opij, petroselini, singulorum par portio. singula torrida, & in læuorem detrita, ex aqua in pastillos fabales redigito. dato in noctem febricitantibus, ex aqua calida: ijs qui febre carent, ex frigida.

*Ad dysentericos, ex commentariis Lucii.*

Styracis drachmæ duæ, opij, croci, acaciæ, gallæ, tamaricis fructus, singulæ drachmæ. fingito pastillos ex aqua, datóque fabæ ægyptiæ instar ex vino.

*Ad dysentericos, sanguinem spuentes, medicamentum, quo semel poto, fluxio continetur.*

Cochlearum combustarum drachmæ duodecim, cornu ceruini combusti drachmæ viginti oboli duo, myrtorū nigrorū drachmæ quindecim, opij torrefacti drachmę quinq; oboli duo, gallę torrefactę drachmæ quinq; oboli duo, œnanthæ drachmę sex, hypocistidos succi drachmę quinque oboli duo, mandragoræ radicis drachmę duodecim, rhus succi, terræ asteros, singulorū drachmæ duodecim, rhus obsoniorum drachmę quatuor, malicorij torrefacti drachmæ septem, thuris drachmæ octo, pityos corticis torrefacti drachmæ sex, apij seminis drachmæ quatuordecim, alterci torrefacti drachmæ decem, rhus coriarij sextarij duo, acaciæ torrefactæ drachmæ quinq; oboli duo, vini nigri ad rhu incoquēdum, vt succi crassissimi spissitudinem accipiat. coquito igitur cum vino. & sic percolata excipito conformans succo, facitóque pastillos drachmæ vnius magnitudine, aut triobolares, aut obolos duos pendētes. dato pro ut vires sunt, febricitantibus quidē, ex aquæ calidæ cyathis tribus: qui febre carent, ex vini cyathis duobus. In alijs scripturis habetur cornu ceruini drachma semis oboli duo, gallæ drachmæ septem, & acaciæ tantundem.

Ad dysentericos Phlabii Pycti.

Myrtorum ſiccorum combuſtorum ſextarius, roſarum ſiccarum combuſtarum ſextarij dimidium, ſedimēti malabathri drachmæ duæ, baccarum iuniperi drachmæ triginta, pirorum ſiccorum combuſtorum ſextarius vnus, piceæ corticis drachmæ duodecim, myrrhæ drachma vna, gallæ quinque, cornuum combuſtorum ſextarius vnus. ad ſummum ſiccum dato drachmas octo ex vino diluto. integra palmulis purgatis excipiens dato.

Ad cœliacos vt ſtatim fluxio ceſſet.

Tamaricis fructus drachmæ quatuor, rhus obſoniorum drachmæ quatuor, myrtorum nigrorum drachmæ quatuor, acaciæ drachmæ duæ, meconij drachma vna. malorum ſucco excipiuntur, fiúntque paſtilli ſinguli drachmæ vnius. His vtitor cum toſti oui luteo. vbi potui dederis, incoquito rubi radicem, aut myrti, aut malorum cotoneorum decoctum. ex his frigidis cyathos ternos propinato cum medicamine. Benefacit lientericis.

Potio ad internos defluxus. extrinſecus ſi applicetur cum melle cocto, benefacit.

Aniſi drachmæ duæ, hypociſtidos ſucci drachma vna ſemis, roſarum ſeminis tantundem, liquoris papaueris drachma vna, myrrhæ drachma vna, crocomagmatis drachma vna. ex aqua dantur oboli tres, duo, & vnus.

Potio ad omnem fluorem & inflationem, Lucii Tarſei.

Aniſi, apij ſeminis, ſingulorum drachmæ duæ, anethi ſeminis, dauci ſeminis, tordili, ſingulorum drachmę quatuor, opij, alterci ſeminis, ſingulorum ſeſquidrachma. aqua excipito, atq; ſic vtitor.

Potio ad fluxum muliebrem, reprimens, authore Apollonio.

Coralli oboli tres, thuris oboli duo, acaciæ oboli tres, balauſtij tantundem, gummi obolus vnus. crudi oui luteo fingantur. dato totius dimidium potui, cum aquæ cyathis quaternis.

Enema, hoc eſt, quod per anum iniicitur dyſentericis, Iſidori, ad vlcera in longanone oborta.

Chartæ cineris drachmæ decem, aluminis ſciſſi drachmæ quatuor, arſenici tantundem, ſandarachæ drachmę tres, ſquamæ æris, omphacij, ſingulorũ drachmæ tres, croci, liquoris papaueris, vtriuſque drachmæ duæ, calcis viuæ drachmæ quinq; læuia miſceto, excipitóque vino dulci. fiunt paſtilli, qui ſinguli pendeant drachmas tres, & duas, & vnam. In vſu, diluũtur vino auſtero ad ſordiũ ſpiſſitudinē, huic miſcetur cremor ptiſanæ cyathis duobus. Hoc ægrotãti per inferiora inijcito, reliquũ pro viribus cremoris ptiſanæ & medicamēti.

Enema Fauſtianum.

Arſenici drachmæ duodecim, chartæ conbuſtę drachmæ triginta, ſandarachæ drachmæ ſex, calcis viuæ drachmæ decem (alij drachmæ duodecim.) formato paſtillos, ſingulos drachmarũ quatuor. Plantaginis ſucco diluito * incoctis ſpiſſamentis, aut dilutæ vini potionis cyathis tribus, aut ſex.

* Vetus legit, tritis in eo corticib9 granatorũ, vt σύμμαπα putet trita eſſe ex illis corticibus.

Enema, quo vtor Athenæi. conuenit cum Harpocra, Magno Philadelpho, & Ariſtolao.

Vuæ immaturæ drachmæ ſex, aluminis ſciſſi drachmæ ſex, calcis viuæ, ſquamæ, ſingulorũ drachmę ſex, arſenici drachmę octo, ſandarachę drachmæ tres,

chartæ combustæ drachmæ quindecim. excipito myrteo drachmas quatuor aut tres. indito ex vini tẽperati cyathis quatuor, aquæ tepidæ cyathis duobus, interim aqua pluuiali.

*Enema quo vtor.*

Chartæ combustæ drachmæ triginta, arsenici drachmæ duodecim, gallæ drachmæ nouem, calcis viuæ, bituminis, sulphuris viui, sandarachæ, singulorũ drachmæ sedecim.

*Enema aliud Idio authore.*

Aeris vsti drachmæ vigintiquatuor, calcis viuę, aluminis scissi, singulorũ par modus, chartę combustę drachmę triginta, arsenici drachmæ duodecim, sandarachæ tantundem. excipito myrteo, aut iure rosarum cum vino austero ad dimidias decoctarum. rosas exprimito, atq; sic pariter læuigata formato, atq; idem aqua iniicito.

*Enema Eubuli.*

Squamę æris drachmę viginti, chartę cõbustæ drachmæ sedecim, calcis viuæ drachmæ sex, arsenici drachmæ octo, sandarachæ drachmæ quindecim, omphacij drachmæ tres, fæcis combustæ drachma vna. vino myrteo excipito, & vino temperato calido indito.

*Enema Heræ.*

Chartæ combustæ vncia vna, calcis viuę semuncia, cadmiæ vncia, arsenici tãtundem. cochlearia duo huius sicci iniicito, decocti myrtorum, aut vini myrtitis cyathos quatuor. calcem succo plantaginis restinguito.

*Enema eiusdem.*

Sandarachæ, arsenici, singulorum drachmę octo, acaciæ drachmæ quatuor, calcis viuæ tantundem. vino austero excipito drachmas tres, in imbecillis minus, vino tẽperato indito. *Aliud.* Sandarachæ drachmæ octo, calcis viuæ recẽtis drachmæ decẽ, chartæ combustę drachmæ octo (alij drachmæ triginta ponũt) malicorij, gallarũ, acaciæ, singulorũ drachmæ quinq;, mænedarum conditarũ aceto ad dies viginti & vnũ, & combustarum drachmæ tres, arsenici drachmæ sedecim. comburitur in olla cruda. alij arido vtũtur, alij pastillos ex myrti decocto fingunt. At si malum remoretur, indito polygoni succo, aut muria.

*Enema quo vtor, quod respondet aphthæ.*

Rhus syriaci, gallarum contusarum, singulorum drachmæ quindecim, chartæ combustæ tantundem, suberis vsti drachmæ quinquagintaquinq;, panis alexandrini sicci combusti drachmæ quindecim, arsenici drachmæ viginti, sandarachæ drachmæ decem, acaciæ drachmæ quinq;, cerusæ drachmæ viginti, calcis viuæ drachmæ decem, argenti spumæ drachmæ tres. vino veteri excipito fingens pastillos, alios drachmarum duarum, alios trium, alios quatuor. infundito per initia succo plantaginis, aut polygoni, aut parietarię. Quòd si aliquod horum desit, ex aqua: sin morbus vigeat, & inualescat, quãdo dolor multus vrget, indito cum fœnugræci decocto, aut lini seminis: si declinauerit, cum iure myrti & rubi ex vino coctorum: in pueris mensura cyathorum duorũ, in mulieribus trium, in viris quatuor.

*Enema quo vtor, ad Gemellum refertur.*

Arsenici drachmæ octo, sandarachæ drachmæ quatuor, calcis viuæ drachmæ

octo, squamæ æris drachmæ sex, aluminis scissi æqualis portio, omphacij drachmæ octo, lycij indici tantūdem, liquoris papaueris drachmæ quatuor, hypocistidos succi tantūdem, croci drachmæ duę (ego autem drachmas quatuor) chartæ combustæ drachmæ octo. vino temperato inijcito.

*Enema Agathii.*

Arsenici drachmæ duæ, sandarachæ drachmæ quinq;, calcis viuæ drachmæ tres, chartæ cōbustæ drachmæ quatuor. indito medicamento drachmas tres, cum salis læuigati totidem, ex aquæ frigidæ cyathis senis.

*Enema ad dysentericos Nicostrati, quo Menander vsus est.*

Calcis viuæ drachma vna, gypsi drachmæ octo, acaciæ drachmæ duæ, vuæ immaturæ drachma vna, stimmios drachmæ tres, thuris drachma vna, gallæ drachmæ quatuor, tragacāthi drachmæ duæ. vino myrteo excipito pastillos formans. reponito oliuis expressis siccis, ne perspirent.

*Enema ad dysentericos, Thamyri.*

Arsenici drachmæ duæ, aluminis scissi tantundem, cadmię tantundem, calcis viuæ recentis drachma vna, chartæ combustæ drachmæ duæ, suberis ex cado vini falerni combusti drachmæ septem semis. excipito pastillos sapa, aut passo, aut hispano rursus incocto apud te. conterens pastillum indito cochlearia duo, reliquis secundum virescum lentis decocto. Quòd si lentem non habeas, rubum cum rosis siccis decoquito, ac seorsim myrta ex vino austero coquito. misceto vniuscuiusq; cyathum vnum, interim cum vini cyathis quaternis, & decoctionis rubi cyathis duobus. Confert etiam potum, prout vires exigunt, cum frigida, cochlearij minoris, aut amplioris mensura.

*Enema Deletii Epagathi.*

Arsenici drachmæ duodecim, hypocistidos succi drachmæ tres, sandarachæ tantundem, chartæ combustæ drachmæ triginta, calcis viuæ drachmæ vigintiquatuor, balaustij drachmæ quadragintaocto. Balaustium coquito vino veteri austero: deinde decocto reliqua terito, formatóque pastillos, qui singuli drachmas quatuor pendeāt. nonnulli vnciam dicūt ex myrti & lētis decocto.

*Quæ Asclepiades tradiderit ad dysentericos, quorum nonnulla etiam cœliacis congruunt.*

Vini myrtitis drachmæ tres, rhus rubri hemina vna, mellis attici decocti libra vna. rhu & vinum incoquito, rubi agitans ramulis. vbi ad tertias peruenerint, humorem exprimito, atq; huic melle adiecto rursus incoquito, vsq; dum coierint in crassitiem, ac dato mystrum ante cibum. *Aliud.* Rhus syriaci, polentæ subtilioris, vuæ passæ cum acinis, singulorū drachmæ duæ, mali punici calycum contusorum incretorúmq; drachma vna. excipito melle cocto, datóq; ante cibum mystrum.

*Pastillus cœliacis, & dysentericis efficax.*

Ouum crudum recens perforatum, in vas demittito. Huic olei immaturi vas vnum admetire, piperis albi læuissimi tantundem, gallarum læuissimarum immaturarum tantundem, farinę triticeę parem modum. omnibus maceratis emollitísque pastillos fingito, & torrefactos dato ante cibum.

*Aliud. huius vsu nouimus multos morbo liberatos.*

Gallarum læuissimarum cochlearium, piperis albi, rhus rubri, malicorij læ-

uiſſimi, ſingulorum par modus. Omnia emollita, oui luteo excipito, coniecta in mali punici concauũ, & oſtio adipe circũlito, obturatóq; ſupra prunas torrefacito, deinde malicorio purgato, dato cochearium eſui.

*Catapotia cœliacis & dyſentericis vtilia.*

Gallarum immaturarum non perforatarum drachmæ quatuor, opij hiſpani drachmæ duæ, petroſelini drachma vna. excipiuntur aqua, fiũntq; catapotia. dantur ciceris magnitudine, pro virium ratione.

*Aliud Aſpaſii, generoſum.*

Petroſelini, ericæ ſeminis, rhu ſyriaci, opij, ſingulorum drachmæ duæ. myrtorum decocto catapotia finguntur, ac dantur vt eſt prædictum.

*Paſtillus anodynos, cœliacis & dyſentericis efficax, & bibitur, & per inferiora iniicitur: interim cataplaſmate eo vtimur melle cocto excipientes.*

Alterci ſeminis drachmæ quatuor, apij ſeminis tantundem, aniſi, roſarũ floris, ſingulorum drachmæ duæ, hypociſtidis, opij, ſingulæ drachmæ. aqua læuigata, in paſtillos coguntur. dantur autẽ tres oboli, ijs qui febre carẽt, ex vini temperati cyathis tribus: febricitantibus, ex aqua.

*Aliud cœliacis & dyſentericis medicamentum probatum, & bibitur, & in aluũ inditur. Item extrinſecus impoſitum auxiliatur.*

Apij ſeminis, alterci ſeminis, aniſi, fœniculi, ſingulorum drachmæ quatuor, opij, rhus ſyriaci, ſingulorum drachmæ duæ, hypociſtidis ſucci, balauſtij, ſingulæ drachmæ. aqua excipito, formatóq; paſtillos. dato ex more.

*Paſtillus aromaticus cœliacis & dyſentericis efficax, Berytio aſcribitur, medicamentum probatum. protinus fluorem ſiſtit.*

Croci drachmę quatuor, nardi indicæ, aniſi, ſingulorũ æqualis portio, myrrhæ drachmæ duæ, aloës indicæ, hypociſtidos ſucci, liquoris papaueris, gallarum immaturarum, tragacanthæ, piperis albi, ſingulorum tantũdem. vino excepta in paſtillos redigito. dato obolos tres.

*Alius, qui ad Philippum refertur, dyſentericis inueteratis ſalutaris anodynos. bibitur & in aluum datur.*

Balauſtij, acaciæ, hypociſtidos ſucci, opij, thuris, myrrhæ, myrtorum nigrorum, croci, gallarũ, lycij, aloës, rheu pontici, malicorij, ſingulorum drachmę quatuor. excipiuntur vino Italico, fiũntq; paſtilli qui drachmam pendeãt. dato ijs qui carent febre, ex vino: febricitantibus, ex mulſo.

*Paſtillus anodynos generoſus, ſomnũ concilians, in ueteratis dyſentericis.*

Chartæ combuſtæ drachmæ decem, ſandarachæ, arſenici, ſquamæ æris, aluminis ſciſſi, omphacij, calcis viuæ, ſingulorum drachmæ quinq;, croci, opij, ſingulorum drachmæ duæ. ſingula curioſe terito, deinde vino myrtite excipito, cogitóque in paſtilllos drachmam vnam pendentes, & vtitor, ſummam capiés iniectionem drachmarum trium, mediam duarum, infimam vnius. In confectione omphacium tibi ſit cum opio, vino dulci myrtite madefactũ. crocus ſit ſeorſim cõtritus: deinde ſimul mixta diligenter terito, poſt ſiccis admiſceto, cogitóque in vnitatem, cauens ne medicamentum à calce aduratur. Quod ſi huiuſmodi aliquid fuerit ſubſequutum, adijcito myrtitis quod ſatis eſt, vt omnia diſſoluantur. Cæterum dum medicamẽtum adhuc calet, paſtillos formare oportet. cõſiſtẽtiæ immutatio ac varietas requiritur, prout laborãtes aut faci-

le,aut ægrè afficiuntur:ad hęc magnitudinis ratione.Inijcito diligenter in ijs qui febre carēt,cū vini austeri temperati cyathis sex: in febrientibus,ex aqua, aut decocto palmæ glādium, aut rosarum, aut myrti. At priusq̄ indatur,panis porrigitur si febris abest,cū diluta vini potione: febricitantibus, ex aqua.

*Aliud,iis qui febre vacant protinus efficax.*

Chartæ combustæ drachmæ decem,sandarachæ,arsenici,squamææris,aluminis scissi,omphacij,lycij indici,acaciæ,gallæ,hypocistidos succi,calcis viuæ, singulorum drachmæ quinq;,croci,opij,singulorū drachmæ duæ. vino myrtite excipito, formatóque pastillos magnitudine variantes.ad summum drachmæ quatuor inijciuntur.Conuenit autem pro affectus magnitudine,quantitatem etiam expēsam inijcere.Cæterum liquor sit, passum creticum dilutū, vt in summa iniectione sint cyathi sex.

*Epithemata ad cœliacos,& intestinorum tormina.*

Alterci albi seminis,apij seminis,singulorū vnciæ quatuor,anisi seminis,rosarū floris,hypocistidos succi,balaustij,rhus syriaci,singulorum vnciç duæ, liquoris papaueris vncia vna,croci tantūdem.singula in læuorē detrita ex vino myrtite:deinde simul mixta,in pastillos redigito,siccatóq; in vmbra:hinc cōtūdens cribrānsq; quantū satis est,excipito palmulis patetis: post in linteolum illita, ventriculo imponito. *Aliud.* Acaciæ succi,malicorij,alterci seminis, opij, gallarum,omphacij,rhus obsoniorum,syriaci,singulorum vnciæ tres,myrtorum nigrorum hemina vna.contundito incernitóq;,& vino austero macerata in pastillos cogito,siccatóq; in vmbra.vsus indicatus est.

*De vitiis sedis.*

Sedis vitia multis de causis curationem ægrè recipiunt,quippe particula est admodum sensilis,dictúmq; à me sæpius est,id genus corpora facilè ab acrioribus & austeris medicamentis irritari.quinetiam recrementorum cibi transitus,& ipse per se mordax est,& magis quòd tum bilis ipsa,tum quędam sanies interdum permeat.Præterea adhuc quod medici statum tempus nō habeant, quo medicamenta applicent,sed ægroti magna parte intempestiue, ac quando non cōuenit,ad excretionem irruant.Iam humiditas caliditásque loci siccantium pariter & refrigerantium indiga,haud mediocriter curationis difficultatem promouet.Quia verò astringentia rodunt, locus autem tam sensilis rosionem tolerare nequit,ideo aptissima ipsis sunt medicamenta,quæ citra asperitatem astringunt:cuiusmodi potissimum sunt ex metallicis, neq; acria, neque omnino acerba.hæc enim lota, citra rosionem, id quod par est efficiūt. Hæc igitur summatim in memoria tenentes,materiā vsu probatam deinceps perscriptam habebitis.

*Quæ Andromachus sedis remedia prodiderit.Hedrice,hoc est ad sedem efficax remedium,qua vtor.*

Cerusæ,argēti spumæ,singulorum drachmæ quinq;,thuris, aluminis scissi, singulorum vnciæ tres,croci oboli tres,vini & rosacei quod satis est.

*Hedrice Apollonii qua vtor.*

Lycij indici vnciæ duæ, œsypi vncia vna, ceræ thyrrenicæ vnciæ quatuor, (alij vnciç duę)rosacei quod satis est. *Alia.*Butyri,cerę,singulæ sesquūcia,medullæ ceruinæ, œsypi, thuris, singulæ vnciæ, aluminis scissi vnciæ tres, lycij

vnciæ duæ, vini & rosacei quod satis est.

Alia, Nicostrati.

Ceræ tyrrhenicæ vncia vna, lycij indici vnciæ duæ, balaustij semuncia, œsypi vncia vna, acaciæ semuncia, rosacei vnciæ quatuor.

Hedrice Herophili.

Rosarum siccarum, aut viridium, cerusæ, pompholygis, croci, argẽti spumæ lotæ, meliloti, singulorum drachmæ duæ, iunci odori, meconij, œsypi, singulæ drachmæ, oui vnius luteum tostum, rosacei quod satis est, succi plantaginis cyathi duo.

Alia, efficax etiam ad pruritum.

Argenti spumæ libra semis, thuris, terræ samiæ, singulæ vnciæ, œsypi vnciæ duæ, rosacei tantũdem, melini libra semis. sicca ex vino falerno in vmbra siccato, adijciens œsypum, ac myrta duo contrita.

Hedrice qua vtor ad condylomata, & ani inflammationes, fissurásque.

Guttæ ammoniacæ, lapidis hęmatitis, thuris, aluminis rotundi, singulorum drachmæ duę, gallę, croci, terebinthinę, singulæ drachmę, cerę tyrrhenicę drachmæ duodecim, rosacei heminæ quatuor. vtitor pessario cum serico, [in reliquis cum rosaceo.]

Hoc videtur superfluũ.

Pessarium ani cum serico

Hedrice quæ constat ex cerebris, vnde encephalon dicitur.

Adipis anserini curati, ceræ, thuris, medullæ ceruinæ, rosarum floris, pompholygis, cadmiæ, plumbi eloti, singulorũ drachmæ quatuor, cerusę drachmę octo, cerebri gruis drachmę duæ, liquoris papaueris sesquidrachma, œsypi drachmæ quinq;, sereos succi hemina vna, rosacei eius dimidium.

Cerebrum gruis

Hedrice Rustici, qua vtor.

Rosarum viridium drachmæ octo, lactis muliebris hemina, argenti spumæ drachmę quadraginta, meconij drachmę quadraginta, oua cruda integra duo, butyri, œsypi, malicorij, singulorum drachmæ sedecim, mellis drachmæ centum (in alio heminæ dimidium) cerę drachmæ quadraginta, rosacei, aut myrtei heminæ dimidium. secũdum Heram vero œsypi vice, adipis anserini tantũdem, & argenti spumæ drachmæ decem, lactis heminæ quarta pars, & luteũ oui tostum.

Hedrice Tyranni.

Argenti spumæ vnciæ duæ, cerusæ vnciæ duæ semis, thuris vncia vna, myrrhę tantundem, cadmiæ sesquuncia, aluminis scissi vnciæ quatuor, ceræ totidem, vini & rosacei quod satis est.

Esamithræ Hedrice, ad multos vsus efficax.

Argenti spumæ drachmæ duodecim, cerusæ drachmæ duæ, chalcitidis tantundem, misyos tosti drachma vna, resinæ terebinthinæ drachmæ sex, olei & aquæ heminæ quatuor.

Lipara ad achoras & scabiem.

Argenti spumæ, cerusæ, singulorum drachmæ trigintaduæ, chalcanthi drachmæ sedecim, sulphuris viui drachmæ octo, myrtei & aceti quod satis est.

Lipara Galli.

Argenti spumæ, cerusæ, singulorum drachmæ vigintiquatuor, myrrhæ drachmæ octo, thuris drachmæ octo, myrtei drachmæ quatuordecim, vini austeri

æqualis portio.

*Lipara qua vtor Cleophantis.*

Myrtei olei, lentiscini, rosacei, singulorū drachmæ sex, cerusæ libra vna, argēti spumę elotę vnciæ sex, vini veteris Italici sextarij sex, cerę vncię quatuor.

*Alia, quòd nouē medicamentis constet, enneapharmacos dicta.*

Mellis, ceræ albæ, medullæ ceruinæ, myrrhæ, butyri, adipis anserini, seui vitulini, resinæ terebinthinæ, singulæ partes, olei tantundem. nonnulli etiam, gallæ pars vna.

*Xantes, multiplicis vsus.*

Ceræ drachmæ sedecim, butyri drachmæ decem, œsypi tantundem, adipis anserini drachmæ octo, resinæ terebinthinę tantundem, medullæ ceruinæ drachmæ quatuor, rosacei exiguum.

*Hedrice diapeganu, hoc est ex ruta.*

Argenti spumæ mina, rutæ minæ dimidiū (alij minā ponūt) aceti drachmæ quatuor, olei quod sufficit.

*Ad phimos, & sedis vitia.*

Plūbi cōbusti & eloti drachmę decē, cerusę drachmæ quatuor, cerę drachmæ duodecim, adipis porcini, aut anserini drachmæ quatuor, olei quod satis est.

*Ad phimos & sedis vitia, Icodoti, quo Astainus curatus est.*

Oesypi drachma vna oboli tres, adipis anserini curati hyeme drachmæ sex, ęstate, drachmę quatuor, medullę ceruinæ aut cameli drachmę duæ, ceræ tyrrhenicæ drachmæ octo, plumbi cremati & eloti drachmę quatuor, ladani drachmæ duæ, adipis vitulini, resinæ terebinthinæ, vtriusq; drachmæ quatuor, cerusæ drachmę duæ, argenti spumæ drachma vna, rosacei heminę quarta pars, hoc est sesquicyathus, quod est vnciæ duæ semis. quæ liquari possūt aridis adijciuntur. cūm tempore indurueri nt, rosaceo & adipe anserino soluantur. facit etiam medicamentum, ad articulos cicatrice recente contractos.

*Ad condylomata quo nullum est præstantius.*

Aluminis scissi drachmæ tres, ceræ drachmæ octo, croci drachmæ quatuor, cerusæ drachmæ duæ, opobalsami drachma vna, œsypi drachmæ octo, thuris drachmæ quatuor, aloës tantūdem. liquida aridis contusis superfundito.

*Asclepiadis ad anum procidentem, ex quinto interiorum, vt Archelaus.* Ad Ani procidentia

Stercoris plumbi, rhus syriaci, singulorum drachmæ octo, rosarum floris drachmę quatuor, myrrhæ minæę drachmæ duæ. sicco attingito, abstergēs prius locum vino austero, aut lentisci decocto. *Aliud.* Gallæ immaturæ, malicorij sicci, rhus coriarij, singulorū drachmæ duæ, plumbi cremati drachmæ quatuor, argenti spumæ drachmæ octo. læuia applicato. *Aliud.* Balaustij drachma vna, mali punici corij drachmæ duæ, alterci seminis tantundem, cerusæ drachmæ viginti, myrrhæ drachmæ duæ, plumbi eloti tantundem. læuibus vtitor. *Aliud.* Piceæ corticis, argenti spumæ, mānæ, singulorum drachmæ duæ, cupressi galbulorum siccorum drachmæ duę, plumbaginis tantundem. lęuia applicato, loco prius vino acerbo abster so.

*Nostrum ad procidentem anum.*

Ericæ seminis, gallarū, acaciæ, cerusæ, hypocistidos succi, piceæ corticis, thuris, myrrhæ minæ, singulorum drachmę quatuor. sicca adspergito loco prius

vino austero abstерſo.

### De Hæmorrhoidibus.

Quæ Aſclepiades in quinto exteriorum prodiderit de Hęmorrhoidibus ad verbum ita habent. Quoniam Hæmorrhoidum multę opus habent vt inuertantur, quò medicamenta ipſis commodè queant imponi, neceſſarium eſt etiã huiuſmodi remedia ſubſcribere.

*Quæ inuertant Hæmorrhoidas, Magni Tharſei, medicamentum probatum. Ad Hæmorrhoidum inuerſiones.*

Piperis, nitri, ſingulæ drachmæ. læuibus attingito, anteq̃ medicamẽtum imponatur. *Aliud.* Aphronitri, fellis taurini, herbæ pediculariæ, ſingulæ drachmæ. læuibus attingito, mellis momẽto addito. *Aliud.* Abſynthij ſucci, fellis taurini, herbæ pediculariæ, ſingulæ drachmæ.

*Aliud, vt Diogenes.*

Cyclamini ſucci, mellis, vtriuſq; æqualis menſura. coquitur vaſe æreo, vt cerati liquidi habeat ſpiſſitudinem.

*Aliud ex ſcriptis Largi ad inuerſionẽ hæmorrhoidũ quæ vix procidũt.*

Centaurei ſucci drachmæ duæ, aluminis liquidi tãtundem, miſyos drachma vna, herbæ pedicularię tantundem. melle excipito, & anũ circumlinito, aut lanam intinctam ſedi imponito. Quòd ſi medicamentum deſurgendi cupiditatem tibi fecerit, & tumor procidat, obducito anum ijs, quæ ad hæmorrhoidas conſcripta ſunt, quoniam à talibus vſui accommodis ſedes inuertitur, neceſſe eſt cõfectiones Nicodemi Romæ celebris perſcribere. Ceruſæ vncia vna, argenti ſpumæ vncię quinq;, cadmiæ vnciæ octo, aut pompholygis vncia vna, olei myrtei vnciæ octo, vini boni tantundem, butyri vncia vna.

*Ad ſedis inflammationes, & procidentiam.*

Gallam flauam coctam læuigatámq; applicato, valentiori quidem vino, mitiori autem aqua. Item ſuccus echini facit ad inflammationes, & ſedis procidentias. *Aliud.* Piceæ corticis drachmæ octo, cupreſſi galbulorum ſiccorũ drachmæ duæ. vbi locum prius vino auſtero deterſeris, læuia applicato.

*Ad igneos ſedis dolores.*

Oui toſti luteũ vino albo læuigatum & roſaceo cerato exceptum illinito.

*Ad pruritus.*

Cimoliam tritam cerato myrteo excipito.

*Ad ani & naturalium ſciſſuras.*

Cineris raſuræ, linteolorum crematorum, & amyli, parem modum. læuigata, & oleæ foliorum ſucco mixta illinito.

*Paſtillus ad excreſcentias.*

Aloës, croci, ſingulorum drachmæ duæ ſemis, aluminis ſciſſi vncia. læuigato ex vino amineo, & vtitor.

*Ad naturalium affectus.*

Naturalium exulceratio dignoſcitur ex manifeſto ipſorum dolore, ac inde quòd per vrinam nonnihil eorum quæ vlceri adhærent excernatur. Verum hæc ab ijs, quæ è veſica feruntur, diſcerni licet, quòd ſtatim in primo exitu appareant: quæ verò ex veſica veniunt, vrinis ſint permixta. Porrò naturaliũ & ſedis vlcera, ſi citra inflammationem exiſtant, ſiccantibus admodum indigẽt

medicamentis,cuiuſmodi ſunt & quod charta combuſta conſtat, & anethum crematũ aridum,cucurbita vſta. Verum humidi expertibus & recentibus vlceribus etiam aloë probè medetur,ſi in tenuiſſimum redacta puluerem arida inſpergatur. At omnium ipſorũ leniſſimum eſt & à dolore alienum, nihilóq; minus efficax pompholyx.ſi humidiora fuerint vlcera,piceæ cortex per ſe,& lapis hæmatites congruunt: ſi cauitas quædã adſit,manna prædictis miſceri debet. vteri vlcera aut veſicæ cum eiſdem indigeant medicamentis,quæ intro ea tranſmittant,per ea quę liquari poſſunt, τηκτὰ Græcè appellãtur.aptiora igitur ſunt arida,cuiuſmodi eſt crocus,pompholyx,& aloë facile miſcemus plantaginis ſucco,ſiue alteri id genus alicui.

Pompholyx.

*Ad ſcroti & naturalium dolores.*

Butyro & reſina æqualibus vtitor,aut lini ſemine ex aqua cocto,& myrrhæ decima parte admixta,& reſinæ æquali locum obducito.

*Ad naturalia tumida.*

Vitis folia,thuris,ſingulæ drachmæ,ceruſæ drachmæ quinq;.trita applicato. vtitor etiam ſuperfuſione marinæ aquæ frigidæ,quiete,& caulis deligatura. *Aliud.* Lentem ex aqua coctam,& malicorium leuigatum applicato.ſi ex ſudoribus in ſcroto vlcera oboriantur,gallam læuem & alumen inſpergito.

*Ad naturalium phymata.*

Apij ſemen inſpergito,& felle taurino oblinito. Fiſſuras naturalium adiuuat reſina fricta,cum roſaceo ſubacta ad ſordium vſque ſpiſſitudinem,admixto etiã oui toſti luteo,aut roſacei,amyli,thuris,ſingulis vncijs.aut hederæ foliorũ ſiccorũ crematorũ cinis trita ex oleo in pila plumbea. Ad naturaliũ inflãmationes,vuam acinis exẽptis & cuminum trita imponito. Aut hordeaceam farinam mulſæ incoctam,vitis folia tenera trita cum polenta,omnia inducito. Aut cuminum tritum cum butyro & reſina æqualibus liquefactis. Si teſticuli aphthis tententur,terra cimolia cum aqua prius illitis ſinito ſicceſcere,& aqua calida abſterſis,myrtum nigram læuem, & ſmyrnei pauxillum tritum applicato. Excreſcẽtias teſticulorum cinis ſarmentatius cũ nitro & aqua maceratus perſanat ſi applicetur.

*De priapiſmo.*

Priapiſmus eſt,firmũ genitalis incrementũ,quod in longũ latúmq; intumeſcit,citra veneris appetentiam,flatulentus nimirũ eſt ſpiritus, qui particulam in tumorẽ attollit,humorũ viſcoſorũ craſſorúmq; ſoboles modici caloris gratia. Notum vero eſt cuilibet particulas nõ eſſe calefaciẽdas, ſed leuiter refrigerandas cerato roſaceo cum aqua contuſo:itẽ chamæmelino genitali & lumbis impoſito,victus & medicamenta exhibentur,quæ extenuare citra manifeſtũ calorẽ poſſunt. Applicabũtur etiam, quæ naturali modo operãtur experimẽtis ac vſu probata.nymphæa his quoq; potui dabitur,agni ſemẽ,rutáq; viridis, obſonijs mixta,ſed per initia ea nõ aſſumi debet,vt quæ vehemẽter calefaciat, verũ poſt aliorũ extenuanriũ vſum. Id faciundũ venit,cũ vacuationẽ per enemata moliris.nã vicinæ particulæ ſæpe per aluum inferiorem profluunt.

*Ad eos qui vrinam inuiti reddunt.*

Veſica caprilla,aut ouilla cremata ex poſca propinatur: veſperi autẽ cum ſiti cubandũ eſt. Benefacit etiã leporis teſticulus,ſi vino odoro decoctus bibatur

t.j.

Calaminthã & myrrhã ante cœnã potui dato, genitalia verò vngantur cimolia creta cum ſucco perdicij.

### Ad vuluæ affectus.

In vteri ſtrangulatu corpus ſenſu priuatur, motúq;, pulſus apparet langui-dus, exiguus, & omnino aboletur. in nonnullis, ſenſus quidem, & motus, & ratio cõſtat, vix autem reſpirant: quibuſdã & vox intermoritur, alijs artus contrahuntur. Fit igitur ſenſus, motus, & ſpirationis abolitio ex frigiditate, dum ipſis abundè eſt ſolus per arterias totius corporis perſpiratus, nec reſpirare per os deſiderãt, vt dixi, propter frigiditatem, cum ſuperiori tempore, quo probè purgabantur, vterũ gerebant, & cum viris coibant, his læuarentur, vt videatur humidum & frigidum in ipſis ſemen totũ refrigerare corpus. Ad vteri ſtrãgulatus cõuenit agarici vncia vna ex vino pota. Plantaginis ſemen & ſuccus cũ vino, vnguis ex concha, potus. acetũ ſcyllinum ſorbere prodeſt. Naribus admota excitant periclitantes, bitumen, caſtoreum, galbanũ, pix liquida, liquor cedrinus, pili combuſti, ruta, cæpa, allium. Incenditur autem ſuffiminis gratia cornu ceruinum, & ruta cum melle lana excepta: ano applicantur.

# CLAVDII GALENI

## PERGAMENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS LIBER DECIMVS & vltimus, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

### De Nephriticis.



Vòd nephriticas, & antidotos, & facultates nominãt, quæ renũ affectibus medentur, ex ipſa conſtat appellatione. Porrò generaliſſima ipſorũ differentia duplex eſt. Nõnullæ ſiquidẽ calculoſis renibus auxiliantur: nonnullæ verò inflammatione, & vlcere tentatis, quæ etiam veſicæ ſimiliter affectæ congruunt. Cæterum prædictorum medicaminum facultates plurimum inter ſe contrariæ exiſtunt, quippe quæ inflammatorijs vlceroſiſque affectibus componuntur, mitigatoria medicamina requirunt. At quia fieri nequit, vt hæc celeriter ad renum loca perueniant, ideo ipſis medicamenta, quæ vrinæ ciendæ ſunt, admiſcemus. Quæ calculoſis auxiliantur, vna facultate indigẽt, puta quæ incidere, & abſtergere cũ manifeſta caliditate poſſit: ſunt autem huiuſmodi ferè omnia amara. Quemadmodum igitur in alijs, ita in his quoq; comprobatam materiam ordine conſcribam, orſus ab ijs, quæ ad vlceroſos, & inflammatorios affectus conueniunt, à quibus etiam Andromachus, & Aſclepiades auſpicati, deinde ad eas, quæ lapides confringunt, ſe conferre.

*Quas Andromachus facultates nephriticas ad renum & vesicæ affectus tradiderit. Potio.*

Lini seminis, papaueris albi seminis, cucumeris seminis, tragacanthi, singulorum drachmæ duæ, amyli drachmæ quatuor. ex aqua pastillos excipito. dantur ad vesicam exulceratam, & difficultatem vrinæ. *Aliud*. Nuclei pini triginta, amygdalæ viginti, palmulæ quindecim, tragacanthi drachmæ quatuor, succi dulcis radiculæ drachmę duę, croci obolus vnus, myrrhę tantundē. subactis vino, quod primū ex vuis non pressis distillauerit, ceu idoneo vtitor.

*Aliud ad vesicæ affectus & vlcera pastillus quo vtor.*

Cucumeris seminis drachmæ duodecim, alterci seminis drachmæ sex, cicutæ seminis, opij, fœniculi, croci, singulorum drachmæ tres, casiæ drachmæ quatuor, amygdala decem, nuces auellanæ totidem, apij seminis drachmæ sex, maluæ syluestris seminis drachmæ tres. passo cretensi excepta, dato trium obolorum pondere. in quibusdam habetur cicutæ drachmæ sex, ijs qui febre carent, ex passo.

*Aliud ad eadem & vesicæ dolores.*

Croci, vrticæ seminis, maluæ syluestris seminis, singulorum drachmæ sex, alterci seminis drachmæ duodecim, opij drachmæ sex, apij seminis drachmæ duodecim, nucis ponticæ drachmæ octo, amygdala viginti, cucumeris seminis drachmæ duodecim, mellis attici quod satis est. datur nucis ponticæ magnitudo, cum tribus mulsi cyathis.

*Aliud ad eos qui sanguinem profundunt ex vesica.*

Aluminis scissi drachma vna, tragacanthi drachmę duæ, gūmi obolus vnus. ex passo dato obolos duos, interim obolum vnum.

*Ad affectus vesicæ, vritice, hoc est vrinam ciens Macedonis. cōfert iecorariis, hydropicis, arquatis, nephriticis, omnibúsque vesicæ symptomatis. calculos comminuit.*

Acori drachmæ quinquaginta, phu drachmæ vigintiquinque, nardi gallicæ drachmę vigintiquatuor, dauci seminis drachmę vigintiduę, cinnamomi drachmę trigintaduę, meu drachmæ sedecim, asari drachmæ vigintiquatuor, petroselini drachmæ sedecim, opobalsami drachmę sedecim, & fructus tātundē, croci drachmæ vigintiquatuor, myrrhę drachmę viginti, dulcis radiculę drachmæ sedecim, nardi indicæ tantundem, casiæ drachmæ duodecim, amomi drachmæ sedecim, vuæ passæ drachmæ octo, tragacanthæ drachmæ nouē. arida excipiens melle, tragacanthum vino aminæo madefaciens, dato nucis auellanæ instar ex quaternis vini cyathis, febricitantibus ex mulsa.

*Aliud ad vesicæ vlcera & inflammationes.*

Nuclei pini viginti, cucumeris seminis domestici grana quadraginta, amyli oboli tres, nardi drachma vna, apij seminis cyathi duo. nardus & apiū in aquę sextario coquuntur: deinde decoctionis cyathi duo cōmemoratis miscentur.

*Ad calculosos quo Bassa Marii vxor curata est. confringit calculos, ac rursus non sinit concrescere.*

Casiæ drachmæ duæ, apij seminis drachmæ tres, myrrhæ minææ drachmæ quatuor, piperis albi drachmę duę, thuris drachmę tres, lapidis syriaci masculi drachma vna, aut fœmellę tātūdē, staphylini seminis, anisi, singulorū drachmę

t.ij.

duæ, ſtyracis drachmæ tres, iridis illyricæ tantundem, papaueris albi ſeminis drachmæ duæ, ſpicę nardi tantundem, amygdalarum amararum purgatarũ, aſari, ſingulorum drachmæ tres, ſmyrnei ſeminis, cyperi, ſingulorũ drachmæ duæ, mellis attici quod ſatis eſt. dato quotidie.

*Ad calculoſos. comminuit lapillos & paulatim excernit donec veſicam purgauerit, deinde pellucentem vrinam reddat, quod maximum eſt perſanat, vt non amplius generentur calculi.*

Dauci ſeminis, aniſi, cucumeris ſeminis, petroſelini, myrrhę, ſingulorum vnciæ ſex, caſiæ, baccarum lauri, cinnamomi, nardi gallicæ, ſingulorum drachmę quatuor. Læuigata excipito ex aqua lupini exigui inſtar, datóque ieiunis quotidie ad dies triginta cum aquæ cyathis tribus. Hoc vt accepimus peculiari quodam modo præparatur. lignea enim pila & piſtillo contunduntur, ac eum qui contundit, neque ferreum annulum habere oportet, neque calceos clauis tranſfixos. hoc à ruſtico ceu myſterium accepimus.

*Ad* Nephriticos *& omnem fluorem,* Apollonii.

Mandragorę corticis torrefacti ſeſquidrachma, aniſi torrefacti tantũdẽ, tragacanthæ, palmularũ glandiũ carnis, ſingulorũ drachmæ tres. cũ melle dato.

*Quæ Aſclepiades ſcripſerit* Nephritica.

Fructus piceæ contuſi, cribróque increti drachmæ viginti, papaueris nigri ſeminis, tragacanthæ, ſingulorum drachmæ duæ, nardi gallicæ, croci, aniſi torridi, dauci cretici radicis, ſingulæ drachmæ, coſti oboli tres. præparato ex paſſo, & excipito pyxide, datóque nucis auellanæ magnitudinem, ac muſti quod prius diſtillauerit cyathus vnus, aquæ calidæ cyathi duo. *Aliud.* Cucumeris domeſtici ſeminis torrefacti drachmæ tres, maluæ ſeminis drachmæ quinque, nuclei pini torrefacti drachmæ ſex, apij ſeminis drachmæ ſeptem, lini ſeminis drachma vna, amygdalarum amararum purgatarum drachmæ nouem. excipito paſſo, ac dato in modum prædictum.

*Aliud* Nephriticis *vtile,* Oneſidemi.

Amygdalarum amararũ drachmę ſedecim, dauci cretici ſeminis, maluæ ſeminis, ſingulorum drachmæ ſex, ireos ſylueſtris radicis drachmæ octo, cornu ceruini cremati, tragacanthæ, nardi gallicæ, cucumeris domeſtici ſeminis, ſingulorum drachmæ ſex, paſſi quod ſatis eſt. præparato in modũ prædictum.

*Aliud medicamentum probatum. huius vſu nouimus multos nephriticos etiam toto affectu liberatos, verũ pluribus diebus medicamento inſiſtere oportet. datur etiam calculoſis, & colicos curat, necnon veſicæ affectus. in hunc modum habet.*

Nucum auellanarũ purgatarũ, amygdalarum amararũ purarũ, cucumeris ſeminis purgati, ſingulorũ drachmæ tres, cicutæ ſeminis, croci, maluæ ſeminis, opij, ſingulorũ drachmæ ſex, alterci albi ſeminis, apij ſeminis, ſingulorũ drachmæ duodecim. excipito in paſtillos melle redigẽs, datóq; obolos tres, & mulſæ calidæ cyathos tres. in alio habetur vrticæ drachmæ ſex.

*Ad renum tophacia ſedimina aliud* Oneſidemi.

Conſolidam, ſion, & artemonium ex vino coquito, decocti liquoris expreſſi cyathos duos propinato, & aquę tantundẽ. *Aliud.* Malue ſylueſtris radicẽ, & rutæ ſylueſtris radicẽ, mõtaniq; apij radicem incoquito, ac more prædicto dato.

*Aliud ad calculosos, quod inspergi possit.*

Balsami fructus partes duæ, lapidis qui spongijs reperitur tantundem, pulegij sicci, maluæ syluestris seminis, ocimi sicci, singulorum par modus. cõtusa cribratáq; reponito, ac dato cochlearium cum vini temperati cyathis duobus. *Aliud*. Struthij pars vna, iridis syluaticæ tantũdem, oxallidis siccę tantũdẽ, anemonæ quæ mali cotonei florem habet aridæ tãtundem. contritis incretísque, vt prædictum est vtitor.

*Catapotia Heraclidis Tarentini. dissoluunt in vesica tophos, prosunt etiam stillicidio.*

Piperis, galbani, singulæ drachmæ, liquoris lybici drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ quatuor, musti quod primũ fluxerit quantũ satis est. fingito catapotia ciceris instar. dato tria & passi cyathos duos superbibẽdos. *Aliud*. Guttæ ammoniacæ, piperis, aphronitri, singulæ drachmæ, balsami fructus drachmæ duę, myrrhæ drachmæ quatuor. excipiũtur musto primario, finguntúrq; catapotia ciceris magnitudine, ac terna dãtur, vini dulcis superbibat æger quartã heminæ partẽ. dato autẽ ad dies quadragintaocto, sed balneo prius vsis.

*Pastillus vrinæ ciendæ efficax, educit calculos, & tophacia sedimina.*

Asari, petroselini, phu, meu, singulorum drachmæ quatuor, acori, anisi seminis, dauci seminis, apij montani, fructus balsami, tragacanthæ fructus, singulorum drachmæ duæ. Tragacanthum passo dissolutum aridis inijcito, fingitóque pastillos, ac dato obolos tres, cum passi temperati cyathis duobus.

*Aliud Charidis, educit arenosa sedimina, cõfert ad affectus cum vlcere.*

Apij seminis, petroselini seminis, anisi, singulorum drachmæ sedecim, iunci odori floris, croci, tragacanthæ, singulorum drachmæ sex, dauci cretici seminis, piperis albi, singulorũ drachmæ quatuor. præparato in modum prædictũ, ac dato drachmam cũ musti primarij temperati cyathis tribus.

*Antidotum ex lapididus, διὰ τῶν λίθων inscribitur, Mithridatis. Benefacit nephriticis & vesicæ affectibus, comminuit calculos, & tophos dissoluit.*

Smyrnei seminis, cyperi, spicæ nardi, papaueris albi seminis, cinnamomi, casiæ fistulæ, piperis albi, staphylini seminis, singulæ vnciæ, thuris non fecti, apij seminis, croci, styracis, ireos, amygdalarum amararum, acori, singulorum sesquuncia, lapidis syriaci fœmellæ, aut masculi, singulorum semuncia, myrrhæ minęæ tantundem. melle macerato. datur instar nucis auellanæ.

*Aliud Biennitæ, medicamentum probatum, anodynon vtile & nephriticis & vesicæ vlceribus. calculos confringit & lutum expellit per vrinam.*

Iridis drachmæ quatuor, meu, seselis, chamędryos, hyperici, cneori, cachryos, singulorum tantundem, amomi drachmæ octo, cinnamomi drachmæ duodecim, rorismarini montani, nardi indicæ, croci cilicij, petroselini, polij, rutæ syluestris seminis, dictamni cretensis, singulorum tantundem, glycyrrizæ, lapidis syriaci masculi, singulorum drachmæ sedecim, thlaspis drachmæ vigintiquatuor, viticis seminis, myrrhæ, spondylij, singulorum tantundem, cardamomi drachmæ quadragintaocto. excipiuntur melle cocto, dantúrque nucis auellanæ instar cum mulsi temperati cyathis quatuor.

*Quæ Archigenes prodiderit ad nephriticos in secundo medicamentorum κατὰ γένος.*

Hic corrupt⁹ est codex græcus.

Nephriticos cōuenienti victus ratione tracto, imponens sanè ceratū rosaceū cum styrace in malagmatis formam redactum [vehemēter inquit fide dignus auxiliari vi contraria caulis decocti cyathos duos si ieiuno ad dies nouem propinentur] aspergetur autem modicum salis, ac modicum iuuat. item rosarum foliorum, amygdalarum corticibus detractis, thuris, æqualem portionem, papaueris capitum duplicatam, passo quod primum fluxerit excipito, ac vase fictili loco non humido reponito, datóque obolos duos cum primario passo bibendum. Nonnulli in vicem amygdalarū, amylum inijciunt, ac passi loco aqua excipiunt, propinant autem ex musto lixiuio.

*De coxarum dolore, podagra & nephritide.*

Ex genere morbi articularij, & coxendix, & podagra est. quod enim in omnibus articulis molestat, articularius est: quod in vno, nempe coxarum articulamento, coxendicem nominant: in pede, podagram. Incipit igitur magna ex parte etiam podagræ origo ex vno articulo, temporísque processu ad omnes pertingit. Cæterum commune tribus hisce vitijs est, humoris redundantia affectum occupans articulamentum: quo repleto vndequaque, fit vt particulæ neruosæ ambientes tendantur, atq; hinc dolor oriatur. Interim igitur humor qui artubus sese insinuat, sanguineus est, plerunq; verò pituitosus, aut mixtus ex pituita & bile, aut etiā cum his sanguine. verū exactius si quis interpretetur, non pituitosum humorem, sed crudum propriè dictum præpollere plurimum in articulario morbo dixerit. Est hic humor crassus, puri spisso similiter. cum autem in articulis remoratur, non tantum crassior, sed etiā viscosior euadit, sic vt in duritiem contumacissimam, quam latini tophon, græci poron appellant, occallescat: quod vbi factum fuerit, nulla amplius spes restat, qua articulus in primum statum exactè possit reuerti, sed deprehendi facile humorū noxam inferentium discrimina possunt, tum suis coloribus, tum symptomatis, & medicaminum, quæ admouentur, experientia. Quæ igitur à colore petitur dispositio dignotióq; illorum, omnibus cognita est: quæ verò à symptomatis, etiam si non omnibus, neq; in prōptu perspicua, attamen difficilis cognitu non est. quippe biliosus sanguis multi caloris sensum ægrotanti conciliat, excandescítque calidorum impositu, quemadmodum rursus à mitigantibus remittitur. Porrò vt noxium humorem dignoscas, conferet etiam tibi præterita victus ratio, exercitijs, aut otio trāsacta, balneísq; post cibum, aut ante ipsum, sicut & horum exercitiorum, ciborúmq; tum quantitas, tum qualitas: itē anni tempus, regionis constitutio, quēadmodum & ętas, & corporis habitudo, quorum omnium multis in locis frequenter vires sum persecutus. Curationis initium erit, humoris, quem noxium deprehēderis, vacuatio: si quidem plethoricū corpus extiterit, sanguinis missione imprimis adhibita: mox purgatione: deinde medicamentorum, quæ explicabuntur, cōueniens tempore & ordine vsus est. In manibus sanè & pedibus repellentibus fluxionem medicamentis nos vtimur: in coxarum articulamento id facere vitamus. Etenim cum id in alto habeatur, sanguis ex ambientibus vasis & musculis eo rapitur. Itaque mitigatorijs per initia medicamentis in coxarum dolore vtendum, neque refri-

gerantibus abunde, neque valide calefacientibus, qualium postea vsus erit. Nã fluxiones ab eis irritantur, dum caliditas eas attrahat potius, quàm prohibeat. Quia verò institutum meum non est in hoc opere, neque de cataplasmatis, neque de fomentis aliquid dicere, verum de medicaminum compositorum methodo, ad hanc solam digrediar, à coxendice exorsus, quę raro à sanguinis copia generatur, curatúrque citissime, venarum poplitis, aut tali incisione. Quemadmodum autem sola subinde sanguinis vacuatio abunde est auxilij, ita in omni coxendice contrarium accidit, præcipuè verò, in ea quæ ex copia conflata est, si quis ante corporis totius vacuationem acribus in affecta particula vtatur medicamẽtis, difficillime curatu reddit affectum, dum copia indidem ita constipatur impingitúrq;, vt vix dissolui queat. Nam præter alia etiã crassescit, viscosáque efficitur acrium medicaminũ calore & siccitate, tostioni simile quid sustinens. Itaque tanquam plurimũ momenti ad curationẽ affectus conferat totius corporis euacuatio, ab ea auspicãdum est, non modo ex cruribus, sed etiam ex cubito detractionem molientibus. Iam verò & vomitus coxendice laborantes iuuat, magis quàm per inferiora euacuatio, vtpote qui humorem deorsum tendentem, in contrarium reuellant. fieri autem per initia debent ex cibo, postea etiam medicamẽtis in id efficacibus, vt in his à moderatioribus incipiatur. At in quibus impactio firmata est vehemẽs & solutu cõtumax, à medicis, qui intempestiuè medicamentis acribus vsi sunt, cucurbitula maximum est præsidium. opitulantur etiã clysteres, qui ex purgantibus fiũt medicamentis, qualis est etiã, qui constat colocynthide. Hæc igitur modò cõmemorata præ oculis habẽtes, medicaminibus à maioribus proditis methodo vti poteritis. Cæterum auspicabor ab ijs quæ Andromachus conscripsit in illa libri exteriorum medicaminum parte, vbi cũ malagmata ad principalia dicta tradidisset, ita reliqua omnia persequitur, quæ aliquo modo inueteratos affectus iuuant, inter quos habetur etiã coxendicum dispositio.

*Quæ Andromachus tradiderit ad verbum in libro exteriorum ad coxarum dolores.*

Rutæ syluestris seminis, silphij, baccarum lauri, aphronitri, abrotani, cu„ curbitæ syluestris, cardamomi, ameos, singulorum drachmæ quatuor, rutæ vi„ ridis minæ pars octaua (nonnulli horum singulorum drachmas viginti po„ nunt) galbani drachmę sex, opopanacis drachmę quatuor, sulphuris viui tantundem. Quod hoc medicamentum validè calefaciat, si quæ prius sæpe in cõmentario de simplicium medicamẽtorum scripta sunt meminimus, nihil adhuc sermone recentiori opus est: siquidem rutæ syluaticæ folia, medicamentum sunt vehementissimum & maximè calidum. Item silphium & baccæ lauri, deinde aphronitrum & abrotanum, hinc cucurbita & cardamomum, & quod vocatur ami. Iam viridis ruta, minus quidem his, non tamen contemnendam habet caliditatem, sicut nec sulphur viuum. Hæc igitur omnia, noxios coxarum articulamenti humores ex alto possunt elicere. vt autem emplastrum ex ipsis fiat, author medicamenti picem, resinam terebinthinã, ceram & adipem miscuit. At ammoniacum thymiama & galbanũ, præterquã quòd emplastri cõpositioni cõferunt, adhuc etiã emolliendi quandã vim & mitigatoriã obtinent. opopanax, ex eodẽ cũ ipsis genere est, sed vim valentiorẽ occupat.

*Aliud remedium ad eundem affectum Andromachus his verbis tradidit.*

*Aliud malagma ad coxendicum dolores, aliáque multa.*

Ceræ drachmæ ſeptuagintaduæ, reſinæ terebinthinæ drachmæ quadragintaocto, guttæ ammoniacæ drachmæ trigintatres, propolis drachmæ quadragintatres, galbani drachmę trigintaſex, bdellij drachmæ vigintiquinq; opopanacis drachmæ duodecim, ſpumæ nitri drachmæ trigint a. vnguento irino contingens applicato.

*Aliud Proti Peluſiotæ ad coxendicum & capitis dolores, omnéſque veteres cruciatus conuenit.*

Ceræ drachmę vigintiquatuor, guttæ ammoniacæ drachmæ ſeptem, reſinæ terebinthinæ drachmæ ſeptem, thapſiæ ſucci drachmæ octo, olei cyathus vnus.

*Item aliud medicamentum inter malagmata in hunc modum Andromachus conſcripſit. Ad coxendicum dolores, Heræ Cappadocis.*

Picis liquidæ heminæ tres, aut duæ cum dimidia, ceræ, reſinæ pityinæ, ſulphuris viui, ſingulæ libræ, nitri ſeſquilibra, herbæ pedicularıæ ſextarius, pyrethri ſelibra, vini fæcis combuſtæ libræ duæ, cardamomi ſextarius vnus, galbani ſelibra. liquida aridis adijciuntur. hoc medicamentum etiam ipſe Heras in proprio libro ferè ad calcem ſcripſit, verum non adiectũ ei eſt in pice, aut duæ, & dimidia, ſed abſolutè poſitum eſt heminæ tres. titulum autẽ ei hunc ad verbum dedit.

*Ceratum ad coxendicum dolores. reficit etiam admodum inueteratos affectus. hoc vſus ſum ad refectionem in Phrontino.*

Picis liquidæ heminæ tres, ceræ, reſinæ pityinæ, ſulphuris viui, nitri, ſingulæ libræ, herbæ pediculariæ ſextarius, pyrethri ſelibra, vini fæcis combuſtæ libræ duæ, cardamomi ſextarius vnus, galbani ſelibra. liquida aridis miſcetur. Tradidit inſuper alia duo ad coxendicem medicamenta Heras, quorum alterum in hunc modum habet.

*Ad coxendices, mitigatorium admodum.*

Picis partes duę, ſulphuris viui pars vna. læuia ambo mixta loco dolenti applicato, ſed vbi ægrotum prius laueris, ſuper chartam inijcito, ſinitóque donec ſua ſponte recedat. poteſt autem qui chartam habet etiam lauare. In quibuſdam exemplaribus habetur, picis pars vna, ac licet etiam ipſum hoc pacto conficere, cum ſciamus nos efficacius eſſe cum vtraque miſcentur, & pix & ſulphur viuum, imbecillius autem in quo pix duplo copioſior ſulphure immittitur. Reliquum atque tertium ad coxendicem remedium ita ab Hera perſcriptum eſt.

*Aliud ad coxendicem. hoc vſus ſum in Phrontino ſtatim in acceſſionibus.*

Ceræ drachmæ centum, viſci quercini drachmæ ſedecim, myrrhæ drachmę ſex, reſinæ terebinthinę drachmæ vigintiquinque, galbani drachmæ ſex, iridis illyricæ totidem, cedrini liquoris heminæ dimidium, cyprini olei tantundem. ceram & liquorem cedrinum, cum cyprino liquefacito, deinde reſinam & galbanum. cum ablaturus es medicamentum, iridem & viſcum inſpergito. Iam ablata olla myrrha ſit in læuorem detrita: deinde liquida ſuperfundito, & mixtis vtitor. nonnulli etiam nitri drachmas quinq; addiderunt.

*Quæ Asclepiades in quarto interiorum, quæ Marcellas inscripsit, remedia tradiderit.*

Hic quoque omnia id genus malagmata vocat, verum adijcit alijs ad coxendicem, alijs ad lienem, alijs ad latera, aut aliam quandam partem: nonnulla etiam multi vsus esse dicit, sicut & hoc ab eo scriptum in hæc verba.

*Malagma Antiochidis ad lienosos, hydropicos, coxendicum dolores, & articularios. confectum est Fabillæ Lybicæ.*

Ceræ, visci quercini, resinæ terebinthinæ, singulorum libræ tres, myrobalani expressionis, nitri spumę, lapidis asij floris, guttæ ammoniacę, singulæ librę, olei cyprini libræ tres, aceti quod ammoniacum dissoluat. Post hoc deinceps ita scribit.

*Aliud Fabillæ compositum vehementer generosum ad eosdem affectus.*

Myrrhæ stillaticiæ, bdellij vnguis, medullæ ceruinæ, guttæ ammoniacæ, iridis siccæ, singulorum drachmę duæ, opopanacis, galbani, styracis, masticħes, lapidis asij floris, liquoris sycomori, cachryos, piperis albi, singulæ libræ, cerę, resinæ terebinthinæ, singulorum libræ quinque. contundendum est medicamentum, ac eum qui contundit, irini vnguenti sedimētum attingere oportet, quousq; tactu lenius medicamentum euaserit.

*Aliud ordine scripsit Asclepiades in hunc modum. Malagma quod ab aureo colore, chrysizusan appellamus.*

Arsenici aurei coloris, calcis viuæ, aluminis liquidi, aluminis scissi, singulorum vnciæ duæ. arida contundimus, incernimúsque, in pilam coniectis admiscemus aceti cyathos octo, læuigata diligenter liquidis excipimus. sunt autem hæc. Cerę, resinæ frictæ, & pityinæ, singulorum librę duæ, olei communis cyathi octo. hæc liquefacta refrigerari sinemus, refrigerata tritis adijcimus. nos apposuimus medicamenti confecturæ, myrrhæ vncias duas, alij addunt sandarachæ vncias duas, subtrahentes aluminis liquidi vncias duas. nos autem subscripta omnia immittentes præparamus, ac fit efficacius.

*Post commemoratum, aliud hoc pacto tradidit. hoc vsus est Andromachus. Benefacit lienosis, hydropicis, præcordiorum distentionibus, coxarum doloribus, articulariis, & inueteratis affectibus.*

Cerę, picis brutiæ, vtriusque libra. loco picis resinam frictam indimus. resinæ pityinæ libra, olei cyathi octo, arsenici aurum referentis, aluminis scissi, calcis viuę, singulorum vncię duę. præparato in modū predictum. nos adiecimus medicamento myrrhæ vncias duas, visci quercini vncias quatuor.

*Post comprehensa superius, alia quædam ad hydropicos, & lienosos persecutus, iterum conscripsit varii vsus medicamentum, quod etiam coxarum doloribus conuenire dicit his verbis.*

Andreæ malagma, remedium admirabile, ad ea quæ * perforare voles, dis- *Vetus legit, mollire.
soluere, expurgare. ossa corrupta educit, aculeos, & spicula. A scriptum est Saerapioni empirico. valet coxendicum doloribus, purulentis, scirrhosis, viscerum affectibus. est etiam acopon salutare, resolutis longo tempore, distortis aliqua corporis parte. Item vlceribus pinguiusculis, vt aliena educat, & ipsa obducat cicatrice. Cocci gnidij purgati, nitri rubri, salis ammoniaci, aristolochiæ cretensis, cucumeris syluestris radicis, resinæ terebinthinæ, singulorum dra-

chmæ viginti, piperis longi, & rotundi, guttæ ammoniacæ (quidam etiã amomi) xylobalſami, ſingulorum drachmæ decem, thuris maſculi, myrrhæ, reſinæ ſiccæ, viſci laborati, ſingulorum drachmæ decem, ſycamini liquoris tantundem, ceræ drachmæ triginta, adipis caprilli drachmę quindecim, irini vnguẽti fęcis ad excipiendum quod ſatis eſt. arida contunduntur, incernuntúrq; cribro tenuiſſimo ita vt irini ſedimento attingantur. deinde vbi probe in vnitatem coierint, emollita reponimus. cum voles etiam acopo vti, medicamẽti ſumito vncias tres, adipis anſerini tantundem, olei cyprini tantundem. mixtis vtitor.

*Poſt hoc ita ſcripſit. Aliud ad eoſdem affectus.*

Pyrethri, cocci gnidij, aphronitri, ſalis ammoniaci, ariſtolochiæ cretẽſis tenuis corticis, cucumeris ſyluatici radicis, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum drachmę viginti, piperis longi, & rotundi, guttę ammoniacę, bdellij, xylobalſami, thuris, myrrhæ, cardamomi, amomi, ſeui caprilli, reſinæ ſiccę, ſingulorum drachmæ decem, ceræ drachmę triginta, viſci laborati drachmæ octo, ſycamini liquoris tantundem, irini vnguenti fęcis ad excipiendum modicum, vini italici quod ſatis eſt. Perfuſa quæ diſſoluere oportet, pro more præparato. In alio exemplari neque xylobalſamum, neque cinnamomum, neq; amomum offendi. Poſt commemorata, cum alia enumeraſſet medicamenta, rurſus meminit coxendice laborantium, his verbis.

*Aliud eiuſdem epithema, coxarum doloribus, articulariis protinus auxiliatur.*

Fœnugræcum in vas fictile coniectũ & poſcæ quod ſatis eſt, incoquito prunis ſuperponens vſq; dum diſſoluatur. Vbi vero diſſolutum fuerit, mellis quod ſufficit adijcito, rurſúſque incoquito: deinde exemptũ diligenter terito, ac in linteolum indito, locis dolentibus imponito, ac faſciola inuoluta finimus, idque ad duos tréſve dies facimus. Inter terẽdum vbi medicamentum indurue rit, liquoris quod ſatis eſt, adijcimus. Verum id quod adijcitur eiuſmodi eſto, vt cataplaſma fiat valentius.

*Aliud eiuſdem continua ſerie ſcriptum in hunc modum.*

Conſolidæ ſeſquilibra. raſam minutímque inciſam & pilæ fictili iniectam, diligenter terito: vbi exacte læuigata fuerit, addito mannæ vncias tres, ouorũ triũ recentium crudorum albumem cum luteis, ac rurſus terito. vbi coierint, addito adipis ſuilli veteris libram vnam. contuſa diligenter illitáque, in linteolum imponito. ſtatim mitigat. poſtea aliud rurſus in hæc verba tradidit.

*Aliud eiuſdem malagma ad coxendicum dolores, ſtatim in ipſis acceſſionibus impoſitum, didymæa dicitur. Valet ad attritus & omnem neruorum dolorẽ, diſſoluit etiam omnem duritiem, præterea confert aliis inflammationibus, purgat etiam cicatrices prauas. Valet contra artus diſtortos confractóſque, & malignos mammarum affectus.*

Ceræ, viſci quercini, reſinæ terebinthinæ, iridis ſiccę, myrrhæ, galbani, ſingulorum drachmæ quadragintaocto, olei cyprini aut vnguenti ægyptij quantũ ſufficit. galbanum cyprino iniectum vel vnguento ægyptio, ignique impoſitũ diſſoluimus, cerã emollimus, ac reliquis mixtã diligẽter cõtundimus, atq; his galbanũ liquefactũ inditũ, cũ cyprino rurſus tundimus, ac vbi malagma leniſſimũ tactu reddiderimus, excepto vtitor. deinde hoc tradit Aſclepiades.

*Aliud eiusdem ex Ario. confert colicis, statim in ipsis accessionibus impositū, & scabiem citra exulcerationem persanat.*

Ceræ, picis liquidę, singulæ libræ, sulphuris viui, aluminis scissi, nitri rubri, singulæ selibræ. quæ liquari possunt liquefacito. arida contundito, incernitóq; cribro tenuissimo, ac vbi liquida in spissitudinem coierint, adijcito arida paulatim inspergens mouénsque continue, & in mortarium transfusa rursúsque tusa, excipiens vtitor. Post superius aliud in hæc verba recenset.

*Aliud eiusdem malagma, quod silphio constat, coxarum doloribus vehementer generosum.*

Ameos drachmę duodecim, silphij, rutæ syluestris seminis, baccarum lauri purgatarum, singulorum drachmę quatuor, cucurbitæ syluestris medullæ drachmę duæ, nitri drachmæ quatuor, abrotani drachmę quatuor, cardamomi drachmæ quatuor, ceræ ponticæ minæ pars octaua, picis, resinæ, guttæ ammoniaci, singulorum minæ pars octaua. quæ liquari possunt aridis superfunduntur. Superiori succedit hoc, in eum modum ab Asclepiade scriptum.

*Aliud eiusdem quo vsus est Antipater.*

Silphij, rutæ syluestris siccæ, baccarum lauri siccarum, aphronitri, cucurbitæ syluestris medullæ, abrotani thebaici, ameos, cardamomi, singulorū drachmæ quatuor, rutæ domesticæ viridis, picis aridæ, resinæ terebinthinæ, guttæ ammoniacæ, adipis vitulini, singulorū minæ pars octaua, galbani drachmę sedecim, opopanacis drachmæ quatuor, sulphuris viui drachmę quatuor, olei cyprini heminæ quatuor. In vsu prius coriandrum siccum crematum cyprino excipiendum est, atque hoc coxa illinenda, secūdum huius vsum, malagma imponi debet. Ab hoc rursus aliud tradidit hisce verbis.

*Aliud eiusdem malagma ad coxédicum dolores, recorporaticium. toto affectu liberat. confert resolutis, tremulis, & inueteratis affectibus.*

Picis liquidæ brutiæ libræ tres, fęcis siccæ combustæ libræ duę, nitri rubri selibra, resinæ pityinæ libra vna, ceræ libra vna, herbæ pedicularıæ libra vna, sulphuris viui libra vna, pyrethri selibra, cardamomi sextarius. picem, ceram, resinámque incoquito. arida contundito incernitóque cribro tenuissimo, & liquidis exceptis vtitor. Hinc aliud medicamentum in ea verba scripsit.

*Aliud eiusdem quo vsus est Philocalus.*

Sinapis, fœnugræci moliti, vtriusq; sextarij dimidium, pyrethri, herbæ pedicularıæ, nitri rubri, singulorum drachmæ quatuor, opopanacis drachmæ duæ, galbani drachmæ duæ, resinæ terebinthinę libra vna, ceræ libra vna, olei cypri ni libra vna. liquida aridis superfunduntur.

*Quam Democrates curationem coxendicum conscripserit ex iberide.*

Damocratis liber Clenicus inscribitur, in quo numeris iambicis, vt solet, de tribus medicamentis disserit. Primo sanè quod herba constat, quam etiam ipse vocat iberidem. Altero quod semine conficitur, dolorem auferens. Tertio purgante, quod ab ipso Hiera nuncupatur. Itaque de prima coxendicum curatione in libello hoc, in iberide ait medicum quendam sibi familiarem curatum fuisse herba, quam, vt dixi, ipse Damocrates iberidem vocat. didicit eam ipse suis oculis, cum nullus vnquam ipsius nomen audiuisset, quoniam ne præceptor quidem cognouit. Porrò notis quas producit, videtur à Grǽcis dictum

lepidion, iberidem nuncupare à loco, vbi familiaris amicus ipsius curatus fuerat. Scribit autem signa ipsius his iambis,

„ Vbique multa nascitur, sed maxime
„ Apud vetusta monumenta, & muros, vias
„ Olim frequentatas, vbi non exercuit
„ Agricola aratrum, semper folijs germinat
„ Nasturtij, vere equidem floret, non diu,
„ Cauli ipsius cubitali longitudine,
„ Modo minori, longiori nunc, &
„ Tenuia adhærent folia æstate, frigore
„ Orto, arida eadem reijcit, & marcet simul.
„ Nonnulla radici adnascuntur: insuper
„ Fert caulis æstate tenuem florem admodum
„ Varium, colore lacteum, hunc pauxillulum
„ Subsequitur seminis, adeò vt nemo queat
„ Videre id exactè: radix acerrimum
„ Odorem habet, similem admodum nasturtio.

His speciem herbæ indicauit, subsequentibus vsum ipsius ostendit.

„ Hanc effodito, capitóque multa copia
„ Aestate, nam recens multo est valentior
„ Sicca, hanc diligenter tundito, vix enim potest
„ Tundi, inde exigua prorsus oblinito axungia:
„ Pòst applicans patellæ, tum toti cruri
„ Ligánsque finito hærere horis non pauculis,
„ Mulieribus, duabus: quatuor, viris:
„ Mox balneo adducas, nullo nec perlitos
„ Prius nec vnctos vnguine: cum superuenit
„ Mador, solio impositum contineas, nam inuehit
„ Subinde morsum, cui sensus calidus inest,
„ Modicè madentes ipsos nunc educito.
„ Et si fuerint inducti manibus plurium,
„ Pedibus suis proprijs exibunt singuli.
„ Vini exiguum oleo mixtum largo subigito,
„ Totósque perlinito eos, demptis linteis,
„ Sed omnibus pinguedinem addes, fascijs
„ Leuissimis membrum contegito. Cæterum
„ Iubeto quæ volet facere reliqua omnia
„ Consueta, & grata. Nam præsidium istud potest
„ Citra alterius misturam priuatim satis.
„ Et si laborem citra ægroti permanent,
„ Quod accidit plerunque, fac radiculam
„ Lætus venare: sin restet vestigium
„ Affectus, ipsum totum denuo lines
„ Diebus interpositis circa bis decem.

Hoc vsus modo & capitis dolores diuturnos, & alios omnes cruciatus veteres, & solutu contumaces affectus resolutionésq; curasse se ait. summatim, in quibus alij vtuntur sinapismo, & ex thapsię præsidio, hac se herba sanare affirmat. De iberide hac etiam Archigenes mentionem facit, nominans ipsam lepidion in secundo medicamentorum secundum genus, conuenire ipsam lienosis, & coxendice laborantibus astruit.

*Ad coxendicum dolores, & perfrictiones, Hygieni Hipparchi.*

Herbam iberidem, quam nonnulli vocant lepidion, aut nasturtiũ syluestre excipito, ac radicem ipsius cõtundito, adipe suillo emollitam emplastri modo loco dolenti imponito ad horas tres: deinde in balneũ dimittito. Idem liberat etiam vetustos capitis dolores simili vsũ, quem Damocrates Medicus versibus conscripsit.

*De Podagricis & articulariis vitiis.*

Dictum à me superius est, vbi de coxendice agebatur, huiusmodi vitia fluxionum esse soboles, dum in articulorum regiones decumbunt, quare etiã cu ratio ipsorum vnum scopum obtinet, vt id quod decubuit vacuetur. Præterea dum ea influit, communi influentium humorum sermoni scopum auxiliorum subijcere oportet, repellendo, repercutiendóque. Vbi vero non amplius influxerit, id quod impactum est, digerendo. Materia vero medicamentorum quibus hæc constat, varia est, sicut etiam in alijs affectibus. Nam prudentiores ab initio ex artificiali quadã cõiectura, aliàs aliud excogitauerũt: experiẽtia autẽ, etiã pręstantissima probarunt. quare quemadmodum in alijs affectibus, ita in his quæ maiores experientia comprobarunt, optima ascribam.

*Quæ Asclepiades ad commemoratos affectus in quarto exteriorum, quibus Marcellas titulum indit scripta reliquerit.*

Epithema ad podagricos, articularios, anodynon. vsus est in ipsis accessionibus. Lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, croci drachma vna. læuigata lacte bouillo caprillóve, & mica panis adiecta diligenter terito, vt tactu lene fit cataplasma. emollitũ rosaceo attingito, ac vtitor vt blando cataplasmate, extrinsecus betæ, aut lactucæ folijs tuẽdi gratia impositis. Interim opium & crocum cum lacte læuigatum excipimus cerato quod ex rosaceo paratum sit, deinde linteolo illita imponimus. *Aliud.* Styracis drachmæ duæ, opij drachma vna. præparato & vtitor in modum prædictum.

*Aliud, statim dolorem finit. oportet autem antequam medicamentum applicetur, ægrotum lauare, deinde locis abstersis, imponere.*

Absynthij pontici succi, croci, opij, singulorum drachma vna, ceræ ponticę drachmæ quatuor, irini vnguenti drachmæ sex, passi cretici quod satis est. opium, absynthiũ, crocum dissoluito: cum dissoluta fuerint, liquidis excipito, & linteolo illita imponito. *Aliud.* Cicutæ seminis excorticati drachmæ sex, croci drachma vna, opij drachma vna, passi cretici quantum sufficit. læuigata excipito cerato, quod ex rosaceo præparatum sit.

*Epithema ad podagricos, articularios. Benefacit, & ad maximas dispositiones. Vsus est Erasistratus Sycionius.*

Capparis radicis cõtusę cribróq; incretę chœnix vnus, alterci seminis chœnix dimidius, chamæleontis nigræ radicis chœnicis quarta pars, cicutę seminis

chœnicis quarta pars, mandragoræ radicis chœnix vnus, solani (alij dorycnij) chœnicis quarta pars. Omnia mixta contusáque, & increta, vase fictili reponito, ac cooperta diligenter seruato. Cum vsus exigit, chœnicibus quatuor læuigatis, ac vasi fictili aconiato inditis, fæcis siccæ heminas quatuor adijcito, carbonibus superposita coquito, diligenter mouens, vsque bis térve efferbuerit: deinde vbi ab igne sustuleris, medicamentum calidissimum inducito, vel vt æger ferre potuerit. Verum antequã cataplasma imponas, pedes conuenit multa aqua frigida irrorare, ac per spongiam fotis, medicamento vti: postea cataplasma ex linteolis tenuissimis aceto intincto, applicare, ac fasciola, quæ id cõtineat, circundata, medicamentum iniectum ad horas duas sinere. Hinc eo quod iniectum est ablato, pustulas erumpentes acu compungere oportet, humor enim ex his mucosus multus & glutinosus effluit. Post huiusmodi humorum excretionem, multa aqua frigida pedes superfundere conuenit, ac rursus medicamentum imponere, in vicem aceti vtentes aqua potabili, ac linteolum quod imponitur aqua frigida madefacere.

*Aliud eiusdem.* Hoc cucurbitularum, & hirudinum loco vtimur, vt sanies cruentas exuget. Facit etiam ad tophaciam duritiem, scirrhósque, adeo vt dissoluat.

Fœnugræci moliti sextarius, lapidis asij floris tãtundem, farinæ fabaceæ nigræ simul molitæ, farinæ lupini, singuli sextarij. omnia mixta, calidáque aqua macerata, calido imponito, ac fasciola comprehendito. locos affectos superfundere prius conuenit, vel etiam ipsos ægros in solium collocare. Iam verò ligamentis iniectis deligatis, & irriguis, medicamentum tollimus: locis fotu recreatis, vtimur medicamento, quod amygdalis cõstat amaris: item malagmate, quod crocum recipit, iridem, & aristolochiam. Hoc perscriptum est in superioribus malagmatis, quæ ad podagram.

*Pastillus podagricis & articulariis vtilis, vsus est in ipsis accessionibus.*

Aloës libra vna, cẽtaurei vnciæ sex, thuris masculi vnciæ quatuor, myrrhæ tãtundem, lapidis asij floris vnciæ duæ, opij vnciæ duæ, mandragorę succi vnciæ duæ, aluminis scissi vnciæ duæ. excipito passo, fingitóque pastillos. cũ vsus exigit, lacte dissoluens illinito pennis, ac vnguento superinijcito linteolũ passo madens.

*Aliud, cui titulus est Ζωή.*

Aloës drachmę duodecim, opij drachmę octo, meconij succi drachmæ sex, alterci succi tantundẽ, aconiti drachmæ quatuor, hypocistidos drachmæ sex, glaucij drachmæ octo, croci drachmæ duodecim, gũmi drachmæ vigintiquatuor, malorum mandragoræ drachmæ viginti, aceti heminæ duæ. coquito mala ex aceto, expressa prædictis addito. insaccata læuigatáque diligenter pastillos fingito, siccatóque in vmbra. vsus indicatus est.

*Malagma articulariis, podagricis, ex cicuta & agarico, medicamentum probatum.*

Cicutæ seminis, agarici, fœnugræci, singuli sextarij, nitri vncia vna, ceræ, resinæ frictæ, olei veteris, singulę libræ, medullæ ceruinæ, iridis illyricæ, singulorum triens. sicca contundito cribratóque incerniculo tenuissimo. quæ liquari possunt, liquefacito: deinde vbi refrigerata fuerint adapertáq;, siccis adijcito.

contuſa excipito & vtitor. *Aliud eiuſdem.* Ceræ libra vna, olei veteris, aut ſabini ſextarius, fœnugræci tantundem, cicutæ ſextarij dimidium, reſinæ frictæ libra vna, nitri rubri vnciæ nouem, lapidis aſij floris vnciæ ſex, medullæ ceruinæ vnciæ quatuor, iridis illyricæ totidem. præparato in modum prædictum.

*¶Aliud eiuſdem malagma ex tedis* Titi *Cæſaris, podagricis & articulariis vtile. omnem duritiem emollit.*

Viſci quercini ſeſquilibra, thuris libra vna, ceræ libra, tedarum pinguium libra, reſinæ pityinæ tantundem. incoquito quæ liquari poſſunt tedis pinguibus agitans, ac vbi tota harum pinguedo defluxerit, ab igne ſublato liquorem per ſaccum traijcito, huic thus læuiſſimum adiungito continue mouens vſque dum manus non inquinet. in pilam tranſmiſſa excipito, & vtitor. *Aliud* Tedarum pinguiſſimarũ, thuris maſculi, reſinæ pityinæ, ſingulæ libræ, viſci quercini ſelibra. in morem præparato.

*¶Malagma dia aſiu, hoc eſt, ex aſio lapide, podagricis, & articulariis admodum generoſum. toto affectu liberat, vſus eſt cum morbus remittit.*

Viſci, reſinæ terebinthinę, ſingulorum libra vna, aphronitri, lapidis aſij floris, thuris, ſingulorum ſelibra, olei cyprini libra vna, adipis quantum ſufficit. arida contunduntur, cribranturque, & ex aqua teruntur, vt cerati habeāt ſpiſſitudinem. quæ liquari poſſunt liquantur & læuigatis adijciũtur. contuſa rurſus excipimus, & vtimur. *Aliud.* Viſci libra vna, reſinę terebinthinæ tantundē, lapidis aſij, nitri, ſingulorum vnciæ quatuor, mannæ vnciæ tres, cyprini vnciæ duæ, aquæ lixiuæ quod ſatis eſt.

*¶Aliud articulariis egregiè efficax. ſtatim auxiliatur, vt quod humiditatem in alto abſorbeat.*

Viſci, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum libra, adipis taurini, lapidis aſij floris, calcis viuæ, mannæ, ſingulorum vnciæ tres, cyprini libra vna. præparato vt eſt prædictum.

*¶Aliud Diodori.*

Adipis taurini vnciæ octo, aphronitri vnciæ quatuor, lapidis aſij floris drachmę duæ (in aliſs habetur drachmæ quatuor) olei cyathi duo. quę liquari poſſunt aridis adijciuntur. medicamentum vehementer bonum eſt. ebibit etiam collectiones in omnibus articulis conſiſtentes, læuátque doloribus.

FINIS DECIMI ET VLTIMI LIBRI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCOS, IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.